SCHOLA VERITATIS ORTHODOXAE

ADVERSVS MENDACIA LVTHERI, CALVINI,
Cæterorumque Proteſtantium erecta.

AB ADM. R. P. MAG.

FR. IGNATIO FIVMI

ORDINIS PRAEDICATORVM CONGREG. S. MARIAE SANITATIS
Prouinc. Regni, olim eiuſdem Cong. Vic. Generali, ac Studij Generalis
Conuentus Sanctæ Mariæ Sanitatis de Neapoli Regente, ex meris
Aduerſariorum Principijs, teſtimonijſque conſtructa,
& in quatuor Partes digeſta.

SECVNDA PARS, DVOBVS LIBRIS COMPREHENSA.
De Organis Senſibilibus Supremi Magiſtri Veritatis Dei, per quæ loquitur, & docet hominem ſcientiam ſupernaturalium.

LIBER SECVNDVS

In quo agitur de Deo, qui locutus eſt ad Patres noſtros, per Prophetas, in Filio ſuo, & per Os Sanctorum.

IDEST

De Verbo Dei Tradito, & Scripto Noui, & Veteris Teſtamenti, de Concilijs, & de commentitio Primatu Eccleſiaſtico Regis Angliæ contra Laicocephalos. Duplici Conſideratione ad Libri finem adiecta, ad Sereniſs. DD. Regem Angliæ, & Ducem Saxoniæ Sac. Romani Imperij Principem Electorem.

Opus Theologis Scholaſticis vtile; Sanæ Doctrinæ Prædicatoribus, ac Propagatoribus Catholicæ Fidei à Sancta Sede Apoſtolica ad partes Infidelium miſſis neceſſarium, ac Hæreticis illis Dubijs qui ſimplici, ac recto corde quærunt Religionis, ac Fidei Veritatem neceſſarijſſimum.

AD EMINENTISS. ET REVERENDISS. S. ROMANAE ECCL. PRINCIPEM CARDINALEM

D. F. VINCENTIVM MARIAM VRSINVM

ORDINIS PRAEDICATORVM.

S. Petrus epiſt. 2. cap. 3.
In vobis erunt Magiſtri MENDACES, qui introducent SECTAS perditionis, & eum qui emit eos, Dominum negant, ſuperinducentes ſibi celerem perditionem, & multi ſequentur eorum Luxurias, per quos Via VERITATIS blasphemabitur.

NEAPOLI, Typis Michaelis Monaco, & Antonini Gramignani MDCLXXVII.
SVPERIORVM PERMISSV.

VITTORIO EMANUELE III
PROVINCIALE
Digitized by Google

Nos Frater Ioannes Thomas de Roccaberti Sacræ Theologiæ Professor, ac Ord. Prædic. humilis Magister Generalis, & Seruus.

HArum serie nostrique authoritate officij facultatem concedimus tibi admodum Reuerendo Patri Magistro Fratri Ignatio Fiumi Congregationis nostræ Sanctæ Mariæ Sanitatis de Neapoli Prouinciæ nostræ Regni, vt typis mandare possis, opera dogmatica à te composita, quæ iam de mandato nostro à duobus Theologis Nostri Ordinis reuisa, & approbata sunt; seruatis de iure seruandis In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem his officij nostri sigillo munitis manu propria subscripsimus, Dat. Romæ die 8. Mensis Iunij 1674.

F. Io: Thomas de Roccaberti

Magister Ordinis.

Locus † Sigilli

Reg. fol. 259.

F. Emanuel Pereira Mag. Prouincialis Terræ Sanctæ.

IN Congregatione habita coram Emin. D. Card. Philamarino Archiep. Neap. sub die 2. Martij 1665. fuit dictum, quod R. D. D. Franciscus Staybanus reuideat, & in scriptis referat eidem Congregationi.

D. Paulus Garbinati Vic. Gen.

Canonicus D. Matthæus Renzi.

OPus hoc, cui titulus est: *Schola Veritatis*: ab Ad. R. P. Fratre Ignatio Fiumi Ord. Præd. S. M. Sanitatis Sac. Theolog. Mag. concinnatum: ne dum Catholicæ Fidei minimè iniurium, quin potius consonum existimo: in eo enim veritas (miro solidioris doctrinæ, explicata stylo) adeo elucescit, vt sibi solis mutuata virtute; vt idem, qui subterraneos caligineſque perfusos, suis radijs peruadens anfractus ex ibi luto natiua conficit virtute aurum; ita istud, luteas animas, tenebricosa infidelitate detentas; sub Diabolicæ potestatis terra, vt orco mancipatas; à cælesti gratia deuias in aurum diuinæ conuertit sodalitatis. Nec mirum quod lumen diffundat in tenebris: Prodit enim ab Ignatio Fiumi, qui nominis igne; ac Fluuij cognomenti donatus: Fluuius existit igneus: vel ille procedens (vt vaticinatur Isai.) a facie Dei: quæ, vt habetur Genes. 32. & Exod 3. dicitur ipsa lux: vt inter vmbras infidelitatis degentibus, lucem veritatis ostendat; cuius Radium, in tenebris antea obrutos, & vmbra mortis sedentes, illuminat; vel Flumen existit igneum, sed vnum ex illis, quæ profert D. Dionysius cap. 15. Cælest. Hierarch. dicens in Sanctis Angelis significare diuinos latices indeficientem ipsis copiam inundationis largientem, vitalisque fœcunditatis altores: Etenim istud nostrum *igneum Flumen*, Sapientia (qua ab omni deficit defectu) ità in fide, infidelibus imprimenda, inundatur, vt vitalis fœcunditatis in eadem fide (deuiscerata ab eius igne perfidia) plurimi gignendi infideles argumentum deprome nt. Ex quo Opus prædictum posse imprimi (si ità Eminentiæ Tuæ videbitur) rationabiliter autumo.

Eminentiæ Tuæ

Addictissimus Seruus Franciscus Staybanus S. T. Doctor Examin. Syn. ac Pœniten. in Ecclesia Neapolitana.

IN Congregatione habita coram Em. D. Card. Philamarino Archiep. Neap. sub die 22. Septembris 1665. fuit dictum, quod stante relatione infrascripti reuisoris Imprimatur.

D. Paulus Garbinati Vic. Gen.

Canonicus D. Matthæus Renzi.

Reuerendus D. Franciscus Staybanus videat, & in scriptis referat.

Galeota Regens, Carrillus Regens, Marinus Regens, Ortiz Cortes Regens.

Prouisum per Suam Excellentiam Neap. die 7. Iulij 1665.

Anastasius.

EMINENTISSIME DOMINE.

PErlegi ex mandato Em. Tuæ, Opus, quod *Schola Veritatis inscribitur*, quod nè dum in minimo quidem in Regiam Maiestatem Inuictissimi Regis nostri Caroli II. eructat dissonum, quin potius in omnibus consonum. Vndè hoc Opus imprimi posse si tuæ videbitur Eminentiæ existimo.

Eminentiæ Tuæ

Addictissimus Seruus D. Franciscus Staybanus S. T. Doct. Examin. Synod. & Pœnit. Ecclesiæ Neapolitanæ.

Visa supradicta relatione Imprimatur; verum in publicatione seruetur Regia Pragmatica.

Galeota Regens, Marinus Regens, Ortiz Cortes Regens.

Digitized by Google

EMINENTISS.mo ET REVERENDISS.mo PRINCIPI

D. F. VINCENTIO MARIAE VRSINO

SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE CARDINALI,

Archiepiscopo Sipontino, ex Ord. Prædicatorum.

HOC nostro æuo, multi fidei perduelles pietatem sibi fingunt ex affectu: adorant plerique quod amant: & malis propensionibus; diuinæ veritatis, ac Sanctimoniæ vultus imponunt. Sic, primi cælestis doctrinæ radij, paulatim extinguntur: frigescit feruor initiorum. Quin, exhausto nouitatis impetu, studijsque vetustate tepentibus, noua ab ipsis semper dissidia suscitantur. Populi Duces indormiunt, & conniuent, seculi negotijs sopiti. Plebi circa pompam, corticemque velut ad montis radices ludibundæ allabitur superstitio. Iamque vanescunt legitima fides, pietas sincera. Ita demum, ab modica stirpe (nisi potentior manus occurrat) erroris, & nequitiæ Hidra consurgit, fingitque pietati non vnum vultum, laruam virtuti multiplicem componit vt Orbem decipiat. Ab hac scilicet Lerna, mundi pestes; inter Iudæos Pharisei, inter Paganos Philosophi, inter Christianos (preter antiquos) Lutherani, Caluinistæ, & id generis alij, qui simulatione pietatis nouas, & falsas doctrinas defendentes, quasi venena quædam in veritatis poculo miscuerunt; quibus, Popularium, ac simplicium animas, Pretioso Christi Sanguine redemptas, eorum fraude deceptas, in damnationis nassam, æternæque mortis interitum traherent. Aduersus hos Venerandæ Vetustatis, ac auitæ Patrum fidei prophanatores, eorumque doctrinas, post multos, nouissimus ego surrexi, nouoque modo dimicaturus in arenam descendi; dum, ex meris Nouatorum placitis, veluti telis ex eorum met pharetra detractis, vanidas eorum Nouitates impetij. Vt autem hæ, qualescunque ingenij mei molitiones, fidei hostibus essent ad exitium, infirmis ad salutem; tibi Eminentissime Domine dicandas censui, vt tuam protectionem olentes, fortius quod intendunt perficerent; Nam, tui Stemmatis Rosæ, Scharabeis hæreticis interitum, infirmis Catholicorum moribus conferunt sospitatem. Et quidem Tu Eminentissime Princeps, ex purpurea tui Stemmatis Rosa, rectius diceris ex nobilissima Purpuratorum familia, ex qua, velut Rosa, natus es Purpuratus. Quòd si hanc quam gestas Purpuram, Religiosa humilitate fortiter recu-

recusasti, & non nisi accedente Obedientiæ merito induisti, hoc ideo factum à te puto, ne duplicem induendo Purpuram, alteram fastidires: sed immeritò; etenim, *Omnes Domestici* Ecclesiæ Dei, *induti sunt duplicibus*. Alijs, *bissus & purpura indumentum*; tibi purpura duplex, Stemmatis scilicet, & Ecclesiæ. Sed iam (rectius dicam) Stemmatis etiam Purpuram, generosa pietate proieceras, quando spretis seculi, ac Eccellentissimæ tuæ familiæ pompis, Rosam in Stellam, Vrsum in S. P. N. Dominici Canem, Sacro Prædicatorum Ordini ascriptus, demutasti. Adeoque dicerem, Diuino Consilio factum, vt pro tuæ Rosæ Purpura, quam ob Christi amorem liqueras; Cardinalitiam, à Supremo Rectore Domus Dei collatam, iuuenis adhuc indueres. Illaque indutus, splendidor esses Stella naufragantibus ad Salutem, fidelior Ecclesiæ Canis ad excubias contra vitia, contra hostes Gatholicæ Fidei. Hoc totum vt prestares; accessit, tùm Sac. Congregationis Concilij Tridentini Præfectura, tùm Sipontinorum Prælatura. Et tunc, dicat Vrbs, pangat Orbis, quantum illuxerit in primo munere Stella tua, prudentia, ac fidei zelo. Ipsi dicant Sipontini, quantum Populis, tuæ Pastorali curæ commissis, luceat lux tua exemplo, modestia, benignitate: quantum zelo Domus Dei, pro Ministrorum, Cleri, ac Ouium Christi reformatione, velut Domini Canis, contra morum corruptelas, contra vitia incessantèr adlatres. Dominus Deus, qui ex millibus, pro Ecclesiæ suæ bono, Eminentiam tuam elegit, per mille annos te conseruet incolumem. De cetero, suscipiat Eminentia tua huius meæ lucubrationis munusculum, illudque potius ex maximis quæ continet, quam ex offerentis pretio existima. Nec tua dedignetur humanitas, & Librum, & Auctorem, sub tuæ protectionis vmbra suscipere, eumque *à Contradictione linguarum* defendere, qui tùm Professione, tùm S. P. Dominici Instituto, caro & frater tuus est, vt tandem dicere liceat cum Augustino lib. 13. Confess. cap. 9. *Currite Ignes Sancti, Ignes decori, vos estis lumen mundi, nec estis sub modio. Exaltatus est cui adhæsitis, & exaltauit vos, discurrite & innotescite omnibus gentibus.* Interim ego, quod huc vsque feci, deinceps etiam Deum rogabo, vt tibi det vitam longæuam, quam mereris; & pro Ecclesiæ suæ emolumento, ad mille annos conseruet incolumem. Neapoli ex Conuentu Sanctæ Mariæ Sanitatis die 14. Maij 1677.

Eminentiæ Tuæ

Humillimus, & Obsequentissimus Seruus
Frater Ignatius Fiumi Ord. Præd. Mag. & Prior
Monasterij SS. Petri, & Sebastiani de Neap.

SECVNDA

Digitized by Google

SECVNDA PARS

SCHOLAE VERITATIS ORTHODOXAE

ADVERSVS MENDACIA LVTHERI, CALVINI, Cæterorumq; Proteſtantium erectæ.

Ab. Adm. R. P. Magiſtro Fr. Ignatio Fiumi Ordinis Prædicatorum ex meris Aduerſariorum principijs, teſtimonijſque conſtructæ, & in quatuor partes digeſtæ.

LIBER SECVNDVS.

De Organis ſenſibilibus Spiritus Sancti Supremi Magiſtri Scholæ Veritatis Catholicæ per quæ loquitur, & docet hominem ſcientiam ſupernaturalium.

TRACTATVS IV.

De Supremo Catholicæ Veritatis Magiſtro Deo, qui locutus eſt ad Patres noſtros.

IDEST

DE VERBO DEI TRADITO.

ACerba totius Chriſtiani Orbis procella, quæ emergentibus nouarum hæreſum dogmatibus, florentiſſimam Eccleſiam in Germania, Anglia, Gallia, Hollandia, & cæteris regionibus concuſſit, diutinoq; ſchiſmate exagitauit, indè exorta eſt, quòd quiſq; Sacra Traditione reiecta, non ſicut accepit à Patribus, ſed pro ſuo libito, ſeditioſorum hominum mera cõmenta credidit. *Et* quidèm recentia in præſens opinionum non tàm aſſerta, quàm Monſtra, ab hoc vno Cerberi capite, cerebro proprio fabricata, prodijſſe haud dubium eſt; dùm ſinguli hæretici ſpiritu vertiginis ducti, affirmant negant vt libet; addunt, truncant vt placet, & liberi (vt dicitur) ab aratro, ſemper quid

Digitized by Google

nouum nunquàm à Patribus Traditum comminiscentes, plebibus credendum propinant; & dùm Excelsa, & Diuina, in ipsius Sacræ Vetustatis propudium prædicant, Excelsa, & Diuina, dogmatis nouitate prophanant. Similes sunt, Idolo Babylonico, caput habentes in Cœlo, mentem in Cœno. Statua inquam sunt sine fidei statu, quia sine situ, vbi conscientia secura quiescat; semper dubij, semper anxij nunquam de veritate securi.

Nos sic Catholici, non sic; sed semper certi, semper de fidei veritate securi; quam vt adequatè essequeremur, indubiè, nos Deus amandauit ad Patres. *Interroga Patres tuos, & dicent tibi.*

Hinc Verbum Dei, quod quidem adequata fidei regula est, duplex esse autumamus. Alterum Scriptum est, alterum *Traditum*: si primum, est vt Moyses in papyro; Si secundum, est vt Christus in vtero aure quotidiè conceptum *(Ecclesia enim (ait D. Augustinus) Mariam imitatur; Virgo est, & parit)* digito scriptus vterque Dei, ille in marmore, hic in pectore: Ecclesiæ quippè thesaurus, seù Bibliotheca duplex est, altera spirans in membris, altera sinè spiritu in membranis. Sicut in foro geminum est Ius, scriptum, & non scriptum; ità in templo, geminum est quoq; viuæ, & non viuæ vocis oraculum, illud vocat Eusebius lib. 1. de demonstrat. euangel. cap. 8. *Ius Dei non scriptum, auctarium Fidei.* Tertull. de corona milit. cap. 4. *Depositum Christi.* Irenæus lib. 3. *In ecclesiastica memoria tanquam in eius ærario cœlestibus diuitijs opulento.* De hoc Christi deposito, deque cœlestium diuitiarum ærario, erit in hac tractatione discussio.

INSTRVCTIO VNICA

DE ESSENTIA, DIVISIONE, ET INCONCVSSA AVCTORITATE VERBI DEI TRADITI.

VErbum Dei manet in æternũ, aptissimè de Verbo *Tradito* scriptum est. Perit liber, non perit Fides. Amburi potest volumen, non fidei extingui lumen. Transfunditur verbum Dei in membra Christi, & à parentibus transuolans ad nepotes, sanguine sese ipse scribit in nobis Christi, & nostro; charactere (inquam) Fidei indelebili, memoriaquè sempiterna, sic enim promisit per os suum: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Sic & præcipit per Prophetam suum. *Mandauit (ait) patribus nostris nota facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio altera.* Sic & decreuit per Apostolum suum: *Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus.* De huius sacri verbi Dei Traditi, Essentia, Diuisione, & inconcussa Auctoritate, erit in hac Instructione tractatio. Vndè sit.

Matt. 22.
Psal. 77.
2. Timoth. 2.

Digitized by Google

LECTIO I.

Quid sit, & quotuplex sit Traditio.

1 EXposceret rerum ordo, vt Cõtrouersia hæc à quæstione, *An sit?* sua auspicaretur initia; sed quia iterùm hæc eadem causa esset contrà Protestantes agitanda, dùm erit nos inter, & eos lis, nàm præter Dei verbum scriptum, aliud verbũ *Traditum* habeat in Dei Ecclesia locum; inutilem repetitionem euitantes, pro nunc, à quæstione, an sit, abstinemus, & dicimus vt in simili casu dixit Hieronymus in cap. 1. Matth. *Ordo præpostérus, sed necessario commutatus.* Quarè tractationem hanc à quæstione, Quid, & Quotuplex sit, auspicamur. Et quia *quid*, seù cuiuslibet rei *essentia*, Definitione innotescit; Traditionis definitionem, seù descriptionem ex D. Dionysio Areopagita petimus; qui, lib. de Cœlesti Hierarchia, sic eam definit:

Traditionis definitio. *Traditio est doctrina sacra, & Arcana ex animo in animum à Maioribus in Posteros medio intercurrente verbo transfusa.*

eiusdem diuisio. 2 Deindè, eiusdem sacræ Traditionis partes inuestigaturi: ad diuisionem iuxtà Dialecticæ regulas, cõfugimus, eamq; rectè adequatèq; diuidimus, in Traditionem Diuinam, Apostolicam, & Ecclesiasticam. In qua re, adest

Mendacium Protestantium.

3 BRentius, vna cum Lamberto Daneo, & Antonio Sadeele Caluinistis, Romanocatholicis insultant, quòd *Traditionis* vocabulum nesciunt, adeoq; dicunt, eiusdem *Traditionis* definitionem ex Dionysij verbis loc. cit. compactam, nihil valere. Sed, & Sauubrandus Protestans lib. 7. de principijs cap. 3. duo tantùm genera *Traditionum* agnoscit, Diuinarũ, scilicet, & Humanarum, ambas tamen asserit esse scriptas.

VERITAS CATHOLICA

Definitio, ac Diuisio Sacræ Traditionis allata, est optima.

4 DEcet Theologum separare prætiosum à vili, quod vt præstemus præmittimus 1. *Traditionis* vocabulum multifariè accipi posse. Primò, accipitur largissimè, pro doctrina, siuè voce, siuè scripto tradita: 2. Tessal. 2. *Tenete traditiones &c. siuè per sermonem, siuè per epistolam nostram*, & Exod. 17. *Scribe hoc monumentum in libro, & trade auribus Iosue.*

5 Secundò, sumitur strictè pro doctrina prius voce tradita, postmodum verò scripta. 1. Tessal. 4. *Rogamus vos, & obsecramus in Domino Iesu, vt quemadmodum accepistis à nobis &c. scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum.* Quo loco insinuat Apostolus, quòd, quæ prius voce tradiderat, eadem nunc scripta epistola mandat. Et hoc modo, Euangelium ipsum, *Traditio* appellatur, prius Christi iussu ore prædicatum, & tẽporis progressu scripturis consignatum.

6 Tertiò, accipitur strictissimè pro doctrina tantùm viua voce tradita à maioribus, & per manus posteris consignata, nulloquè modo scripta, & de hac sola in præsentiarum agimus. Hæc sunt operosè consideranda, pro multorum argumentorum solutione.

7 Et tùnc dicimus, quòd cùm multa à Patribus ad filios, & à Maioribus ad posteros continua successione perueniant; si hæc prophana sunt, *Traditio* prophana erit, quam Christus Matth. 7. reprehendit: & de hac non loquimur: Si verò res traditæ ad fidei doctriuam, ad bonos mores, & ad sacros ritus pertineant,

ne ant,& sint voce non scripto,consignatæ, sed vsu, consuetudine, & praxi continua, in ecclesia obseruatæ,Traditio Sacra erit,de qua loquimur.

Traditiones Diuinæ quæ sint.

8 Præmittimus 2. pro diuisione Traditionum assignata, quòd si doctrina à primis Catholicæ Religionis Ducibus ad posteros transmissa, sit à Christo Apostolos docēte, nunquam tamen scripta;hæc *Traditio*, Diuina est; & talis est doctrina, quæ ad formam,& materiam Sacramentorum pertinet, de qua vix pauca scripta extant, que tamen compertum est, à Christo sumpsisse suæ institutionis exordia, iuxtà ea, quæ *D.* Paulus de Eucharistia scribit 1. Corinth. 11. *Ego autem accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Idest, doctrinam illam vobis trado, quam accepi à Domino.

Traditio Apostolica quæ sit.

9 Si doctrina sit ab *Apostolis* Spiritu Sancto assistente, instituta, nec in eorum epistolis est scripta, vt est doctrina de leiunio quatuor temporum; Quadragesimæ, & multa alia inferiùs recensenda; *Traditio* Apostolica est. Quòd si quandoq; *Traditio* diuina, dicitur Apostolica;hoc non dicitur ex eo,quia ab Apostolis sit instituta; sed ex eo, quia, eam Apostoli à Christo acceperunt, ac ipsi primùm Ecclesiæ tradiderunt; Hinc dicebat Paulus 1. Corinth. 7. *Præcipio ego non Dominus*, qui reuelauit mihi. Iterùm, Apostolicæ Traditiones dicuntur diuinæ,non quòd Deus immediatè instituerit, sed quod Spiritu Dei suggerente eas instituerint *Apostoli*;sicut etiam *Apostolorum* epistolæ, *Diuina*, & *Apostolica* scripta dicuntur, etiam si in eis sint quædam præcepta diuina, & quædam *Apostolica*, vt patet ex loco nuper adducto, vbi subdit Apostolus, *Dico ego non Dominus*; qui aliàs ibidem dixerat, *Præcipio ego non Dominus*, & iterùm, *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do &c.*

Quæ sit Traditio Ecclesiastica.

10 Christo, & *Apostolis* vita functis, diuino disponente consilio factum est, vt Ecclesiæ non dessent Apostolici viri, qui *Apostolis*, Apostolicoque muneri succedentes, eorum doctrinam, cæremonias, ac ritus fideliter custodirent; & Spiritu Sancto afflati pro proprijs, ac alijs aliorum Ecclesijs Leges,ac Cæremonias statuerent pro solemni Sacramentorum administratione, ac Catholicæ Religionis, Ecclesiasticique cultus manutenentia. Et hæ leges, hi ritus, & hæc doctrina quæ ad nos non scripto, *sed de animo in animum peruenit*, Ecclesiastica Traditio dicitur. Quare, in psal.44. habetur: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*, hoc est, ait Augustinus, *Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi*, & statim *Constitues eos Principes super omnem terram.*

11 Ex his, quisquè, vtriusque partis Veritatis propositæ probationem de facili colliget; sed vlteriùs;

12 Probatur veritas generalibus principijs Protestantium inhærendo, ex Sacra Scriptura, & ex totius *Antiquitatis* consensu. Et quidem prima pars, quod Traditio sit doctrina *ex animo in animum veniens &c.* Traditio nil aliud est, nisi Sacrū doctrinæ fidei nostræ Depositum, quod 1. Timoth. 6. Timotheo, ac reliquis Apostolorum successoribus traditur custodiendum, *O Timothea (ait Apostolus) Depositum meum custodi*: Hic autem nomine Depositi, Traditionem intelligit Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromat. *Cognitio (inquit) quæ datur ex traditione per Dei gratiam, veluti Depositum committitur ijs, qui se ipsos doctrina dignos exhibuerint: ex qua eluceſcit charitatis dignitas ex luce in lucem.* Clementi Alexandrino subscribit Athanasius epist. ad Episcopos *Aegypti*, & Lybiæ, dùm Traditionem appellat, *Doctrinam fidei nostræ commissam*, seù depo-

Digitized by Google

de possitatam; sed natura depositi est (ex Lyrinensi cont. proph. vocum nouit. cap. 27.) vt per manus, ad manus fideliter traijciatur. Rectè igitur Romanocatholici Traditionis definitionem à *D. Dionysio* compactam suscipiunt; Quòd scilicèt sit doctrina mysteriorum fidei, seù arcana, quæ tamquam sacrum Depositum, ex animo in animum, veluti per manus ad manus ad posteros est transfusa. Vnde ait Lyrinensis vbi sup. *Depositum quod tibi creditum est, non quod à te inuentum: Quod accepisti, non quod excogitasti. Rem non ingenij, sed doctrinæ; non vsurpationis priuatæ, sed publica traditionis.*

13 Probatur 2. pars, 1. generalibus principijs Protestantium inhærendo ex Antiquitate. Et certè Cyprianus epist. 23. Dominicam traditionem agnoscit, dùm dicit: *In calice offerendo Dominica seruetur traditio, vt neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit, & Calix qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur.* Chrysostomus agnouit Traditionem *Apostolicam*; vndè homil. 69. ad populum, ait: *Non frustra ab Apostolis sanctum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum. memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt.* Huius meminit etiam *Augustinus* epist. 119. *Quo ordine (ait) sumeretur diuina Eucharistia, nihil Christum præcepisse, vt Apostolis, per quos dispositurus erat Ecclesias, seruaret hunc locum.*

14 Hieronymus, Ecclesiasticæ Traditionis meminit epist. ad Lucinium, his verbis: *Traditiones Ecclesiastica quæ fidei non officiunt, ità obseruandæ sunt, vt à Maioribus tradita sunt.*

15 Probatur 2. eadem pars specialibus Principijs, & testimonijs Protestantium. Bullingerus Lutheranus apud Choclæū de Tradit. Eccles. fiast. cap. 9. suscipit eorū sententiam, qui, duo *Dei* verba astruunt, Scripta scilicèt, & Tradita, seù non Scripta, sed ex sola mente Dei iuxtà regulam verbi Dei deducta, vt sunt cæremoniæ, quæ seruantur in *Baptismi*, & Cœnæ ministerio. Præterea, quædā alia ab *Apostolis* tradita recenset. Deniquè, meminit Ecclesiasticorum decretorum de orationibus publicis, de concionibus, de ferijs &c. *Igitur*, ex hoc aduersario tria sunt traditionum genera &c.

16 Accinunt alij Lutherani in confess. Augustana variata, & reformata, seù deformata anno 1540. Qui de ritibus ecclesiasticis humana auctoritate institutis, docent; *Ritus illos seruandos esse &c. vt certa feriæ, certa cantiones piæ, & alij similes ritus*, ergò has, vt ab Apostolicis, & Diuinis Traditionibus distinctas, agnoscunt, sed de hoc infrà fusiùs.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

17 Arguit 1. Danæus Caluinista cont. primā partē. Quæ sunt scripta, *Traditiones* appellantur; & tamen scripto, non voce ad nos ex animo in animum peruenerūt. Ergò mala definitio. Ma. patet ex illo *Actor.* 6. vbi de Christo dicitur, *Mutabit traditiones quæ tradidit nobis Moyses &c.*

18 Respondetur, quod Traditio de qua *Danæus* loquitur in Argumēto est Traditio in prima acceptione, vt præmisimus primo; sicut etiam Euangelium appellatur traditio secundo modo sumpta; quia, priùs, ex Christi præcepto, ore prædicatum; decursu verò temporis scriptum: & tùnc nihil contrà nos, qui loquimur de Traditione in tertia acceptione.

19 Arguit 2. cont. eamdem partem Sadeel Caluinista. Lex euangelica arcana est, & de animo in animum venit Hierem. 13. *Dabo legem meam in visceribus eorum*, ergò mala Definitio, quia competit alteri à definito.

20 Re-

Digitized by Google

20 Respondetur ex argumento tantum colligi, Legem euangelicam esse traditionem 2. modo acceptam, priùs, scilicèt in cordibus hominum, Apostolorum voce, transmissam, postmodum scripto consignatam. Nos autem loquimur de Traditione in tertia acceptione, scilicèt de doctrina nullo modo scripta.

21 Hic adnota, quòd quamuis multa tradita, decursu tẽporis sint scripta; tamen infinita propèmodum suut, quæ haud scripturis sunt consignata.

22 Arguunt 3. cont. 2. partem, Vnicum est Verbum Dei Traditum; ergò nõ multiplex traditionũ genus.

23 Respondetur, distinguo antecedens, vnicum est verbum Dei traditum, ex parte doctrinæ traditæ de dogmatibus atque ritibus, conc. antecedens; Quantùm ad vsum, & praxim eiusdem doctrinæ traditæ, nego antecedens. Et proportionabilitèr eodem modo distinguitur consequens. Vnicum ergò est verbum Dei traditum, ex parte doctrinæ Traditæ de dogmatibus, & ritibus, nàm eadem doctrina est, quæ à Christo, & Spiritu Sancto acceperunt Apostoli: & ab Apostolis, accepit Ecclesia, dicente Apostolo, *Accepi à Domino quod & tradidi vobis*; sicut eadem Fides est, quam à Christo, & Spiritu Sancto Apostoli acceperunt; ac quam per manus, & ex animo in animum nobis tradiderunt. Tamen si loquamur quantùm ad vsum, & praxim eiusdem doctrinæ, secundum quòd spectat ad Ritus, differt doctrina, seu Traditio Apostolica à Diuina, per hoc; nàm, ea quæ tradita sunt à Christo circà Sacramenta, vel tamquam de horũ essentia, vel de necessitate præcepti, (sicut & alia eiusdem Domini Nostri Iesu Christi præcepta circà mores) inuariabilia sunt, & indispensabilia, vt sunt Formæ Sacramentorum &c. Ea verò quæ ab Apostolis Spiritu Sancto, non quidem immediatè reuelante, sed infallibiliter dirigente, & suggerente ad Ecclesiæ ædificationem; Tradita sunt; cùm pro multis loci, & temporis circumstantijs, sint stabilia; dispensabilia sunt, ac variabilia; & de facto in multis fuerunt dispensata, vel penitùs abtogata, tacente Ecclesia, vel prohibente, vel contraria statuente, vt est illud de non edendo suffocato, & sanguine, de Eucharistia infantibus porrigenda, de eiusdem sumptione sub vtraque specie, & alijs, de quibus infrà.

Explicatur in quo conueniunt, vel disconueniunt tria Traditionũ genera.

Quæ Apostolica Traditio sit mutabilis, declaratur.

24 Rursus, Traditio Ecclesiastica, differt ab Apostolica circà vsum, & praxim doctrinæ Rituum, & morum; nàm ea quæ ex Christi mandato promulgarunt Apostoli, sunt prorsus indispensabilia; quæ neq; mutari possunt, nec abrogari: At verò, ea, quæ Ecclesiæ Pastores, & Episcopi, in Concilijs, ad eiusdem Ecclesiæ vtilitatem decreuerunt, possunt præsentes Pontifices, & Pastores qui primis Pontificibus, & Pastoribus in auctoritate, iurisdictione, ac potestate successerunt, secundùm temporum exigentias, proùt Ecclesiæ vtilitati prudentèr iudicauerint expedire, ea dispensare, mutare, vel penitus abrogare. Quod haud de priuatis Pontificibus vel Pastoribus, sed de Summo Romano Pontifice, vel Episcopis in Generali Concilio sub eodem Romano Pontifice congregatis, intelligendum est.

25 Arguunt 4. cont. eand. part. Eucharistiæ Traditiones, frequentèr Apostolicæ vocantur a Patribus, & Concilijs: Hinc 4. Synodus Nicæna act. 9. ait: *Fatemur vnanimitèr nos Ecclesiasticas Traditiones, siue scripto, siuè consuetudine valentes, & decretas retinere velle, quarum de numero est, Imaginũ effiguratio.* Sed hæc habetur ex Traditione Apostolica, ergò hæ duæ Traditiones nõ distinguuntur.

26 Re-

Digitized by Google

26 Respondetur ex dictis, has duas Traditiones cõfundi quantùm ad rationem credibilium; differunt tamen quantùm ad praxim, vsum, & naturam eorum quæ traduntur; quædam scilicèt, vt dispensabilia, quædam vt indispensabilia. Quarè 8. Synodus generalis cap. 1. Traditiones Apostolicas, & Ecclesiasticas recensens, inter eas distinctionem agnoscit, dùm inquit. *Regulas quas Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ, tàm à sanctis famosissimis Apostolis, quàm ab Orthodoxorum vniuersitatibus, nec non localibus Conciliis Ecclesiæ traditæ sunt seruare, atque custodire profitemur.* Recolenda sunt quæ supradiximus.

27 *Arguit* S. Sauubrandus. Quicquid Apostoli ex diuina institutione fecerunt, diuinũ est. Igitur Apostolicum, & Diuinum non differunt tamquam oppositæ species, seù tamquam genus, & species. Omne enim Apostolicũ est Diuinũ, nõ è contrà.

28 Respondetur, dist. cõsequens quantum ad ly Diuinum: si ly *Diuinum* accipiatur pro omni eò, quod est à Christo immediatè instituente; vel mediatè, scilicet, ipso inspirãte, & sugerente constitutum; concedo cõsequentiam: si ly *Diuinum* accipiatur pro eo, quod tantùm immediatè à Christo institutum est, vel Traditum, nego consequentiam; nàm, tantùm in hoc sensu, Traditio Dominica ab Apostolica discriminatur; vt vidimus hic nu. 9.

LECTIO II.

An præter Verbum Dei scriptum, detur aliud verbum Traditum habens infallibilem auctoritatem in rebus Religionis, & Fidei.

1 CErtè diù finè Libris stetit mundus, stetit & fides. Nec antè Christum; Magisterium, fuit in fide membranæ, sed memoriæ, *Inuestiga Patrum memoriam*, dixit patientissimus hominum cap. 8.; Nec post Christum multis annis, antequam Euangeliũ scriberetur, scriptumuè traderetur. Igitur, bis mille annis antè Christum, potuit sola Traditionis auctoritate seruari Fides, ac Religio, cur non post Christum, si sic visum esset? *Quid enim* (ait Irenæus lib. 3. cap. 4.) *si neque Apostoli Scripturas reliquissent nobis, nonnè oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant Ecclesias?* Tantæ igitur auctoritatis est Traditio, vt vel illa sola, tota Fidei machina reggi posset nulla extante Scriptura, vt de facili potuisset accidere, cùm tantùm legamus, Christum Apostolis præcepisse, *Prædicate Euangelium*, non autem *scribite*. Hanc infallibilem, ac inconcussam Sacrarum Traditionum auctoritatem eneruare, casso tamen labore, satagunt aduersarij.

Mendacium Protestantium.

2 LVtherus in Caput 1. epist. ad Galatas hanc sententiam profert, excucullato Apostata dignam: *Neque alia doctrina in Ecclesia tradi, & audiri debet, quàm purum verbum Dei, hoc est Sancta scriptura; Doctores, vel auditores aly cum sua doctrina, anathema sunto.* Quibus verbis, sacrum Dei Verbum Traditum, manifestissimè reijcit.

3 Subscribit Luthero Brentius in Prologomen. cap. de tradit. dùm ait: *Perspicuè significat Apostolus, quòd nulla Traditio contrà, & præter Scripturæ testimonia, agnoscenda sit pro dogmate necessario ad salutem.*

4 Martinus Kemnitius in Exam. Sess. 4. non semel asseruit, Scripturas omnia dogmata ad salutem necessaria continere, adeoq; sacram Traditionẽ, vt superfluam esse reijciendam. Idem asserit Bucerus in reformatione Colonienſi, & alij.

5 His

Digitized by Google

5 His manus prebet Caluinus, lib. 4. Instit. cap.8.§.8. dùm inquit: *Esto igitur hoc firmum Axioma, non aliud habendum esse Dei verbum, cui detur in Ecclesia locus, quàm quod lege primùm, & Prophetis, deindè scriptis Apostolicis continetur, nec alium esse ritè docendi in Ecclesia modum, nisi ex eius Verbi præscripto, & norma.* Et iterùm ibid. cap. 10. §. 30. *Quia (ait) Dominus, & totam veræ iustitiæ summam, & omnes cultus nominis sui partes, & quicquid ad salutem necessariũ erat, Sacris suis oraculis, tùm fidelitèr complexus est, tùm perspicuè enarrauit: in his solus (*sed non solis*) Magister est audiendus.* Imò, in hoc cap. 10. penè toto, omnia confundens, ac sus deque miscens, Sacras Traditiones acerrimè insectatur.

6 Hunc sequuntur Vuhitakerus, Sadeel, Sauubrandus qui ait locum ex Traditionibus, *non posse esse principium disputandi de rebus Fidei, ac Religionis*; Quin, & Protestantes ad vnum omnes, semper vnicum, ac solùm Scriptum Dei Verbum inclamant, Traditione reiecta,

VERITAS CATHOLICA.

Præter Verbum Supremi Magistri Dei Scriptum, extat Verbũ eius oretenus Traditum, quod quidem infallibilem habet auctoritatem in rebus Religionis, ac Fidei.

7 PRobatur generalibus Principijs Protestantium inhærendo, ex Sacra Scriptura, ac totius Antiquitatis consensu. Primò, ex Verbo Dei Scripto, quod quidèm talem cum verbo Tradito habet affinitatem, vt sint Aeterni Verbi veluti duo quædam pignora, alterum sono, alterum stylo editum; illud quasi primogenitum est, hoc verò posteriùs natum. Dicam ampliùs; hoc etiam ex illo natum. Non enim manu scribitur, nisi quod mente seruatur: vt mens sit quasi calamus calamit vt Verbum Traditum, sit Verbi Scripti, non frater modò, sed etiã pater: vndè, ab Augustino lib. 5. cont. Donatistas cap. 26. illud vocatur Fons, & Origo, *Ad fontem*, inquit, *recurramus, ideſt, ad Apostolicam Traditionem, & indè canalem ad nostra tempora dirigamus.*

8 Sed quia, vt in Mendacio vidimus, Protestantes Patre proscripto, Filium suscipiunt; probamus ex Filio Patrem, ideſt, Verbo Scripto, Traditum. In Sacra Scriptura multa habemus ad Fidem, ac veram Religionẽ spectantia, vt Altarium erectionem, Publicum Cultum inuocationis Diuini nominis, Sacerdotium, & Sacrificium maximè panis, & vini, abstinentiam, ac ciborum delectum, &c. vt patet Genes. 4. de Abele, Caino, Enos, & Melchisedech: Habemus insuper sanctificationem Sabbathi in Adamo ex vetustis Rabinis, asserentibus, primum hominem, psalmum 91., qui in diem Sabbathi inscribitur, composuisse: Habemus Cæremonias, leges Circumcisionis, Sacrificiorum, non cõtrahendi matrimonium inter dispares cultu &c. Genes. cap. 12. 13. 15. 22. & Abraham apprimè laudatur, quod eas seruauerit ibid. cap. 26:, quæ omnia adveræ Fidei, ac Religionis instituta spectabant, quæ tamen non fuerũt scripta à Moyse, nisi, post annos bis mille, quæque per tres dumtaxat viros Adam, Mathusalem, & Noe, fuerunt ad Abraham oretenus delata: & vt ait Lambertus Danæus Caluinismi magnus assertor, prologomen. in lib. hæres. D. Augustini; *Vera pietas à Deo Adamo, & ab Adamo Noe, à Noe autem filijs, & posteris per manus tradita fuit.* Atqui hæ leges, cæremoniæ &c. oretenus traditæ, seù ex sola Traditione acceptæ, nec fuissent seruatæ, nec in vsu traditæ ab Abrahamo nisi Diuinum, & infallibile habuissent testimonium: ergò si laudatur

Psal. 91. ab Adamo cõpositum.

Digitized by Google

datur *Abraham* à Deo, quòd leges, & cæremonias solo verbo traditas custodierit, certò certiùs est, præter Verbum Scriptum, etiam Verbum Traditum locum sibi in Ecclesia Dei vendicare, ac infallibilem in rebus Fidei, ac Religionis auctoritatem habere. Idipsum roborant innumera ferè Scripturarũ oracula, vt psal. 43. *Deus auribus nostris audiuimus, Patres nostri nunciauerũt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum.* Psal. 77. *Patres nostri narrauerunt nobis;* Quod etiam Deuteronom. cap. 32. dictum est, *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi maiores tuos, & dicent tibi.* Iob. 8. *Interroga generationem pristinã, & diligenter inuestiga Patrum memoriam*; & passim alibi.

9 Adhùc & alia, ad confirmandum intentum, ex Nouo testamento testimonia, & quidèm manifestissima, suppetunt. Ioann. 16. Christus Dominus Apostolos alloquens, ait: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo: Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Igitur, omnis veritas non habetur ex sola Scriptura, sed etiam ex Diuino viuæ vocis oraculo; *docebit vos*, non Scriptura, sed Verbo, *omnem veritatem.* Vndè, dixit Epiphanius hæres 61. *Oportet autem, & Traditione vti, non enim omnia à Diuina Scriptura accipi possunt.* Sed multa, Verbi Traditi auctoritate sunt roboranda.

10 Præterea, fuisse aliquam Fidei doctrinam non Scripto, sed Verbo tenus ab Apostolis traditam, & ad nos vsque, Patrum Traditione, trãsmissam, quæ altiora Fidei mysteria contineret, pleraque D. Pauli Apostoli testantur oracula, ac primùm quidem id apertè docet 2. ad Thessalonicenses 2. dùm ait: *State, & tenete traditiones, quas didicistis, siuè per Sermonem, siuè per Epistolam nostram.* Et rursus 1. Corinth. 11. *Laudo* (inquit) *vos Fratres; quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta tenetis.* Vnde, Ioannes Damascenus de Imaginibus cap. 17. dicit: *Quòd autem Apostoli quãplurima nullo Sacræ Scripturæ loco prodita nobis tradiderint, his verbis testatur ille Gentiũ Apostolus: State igitur Fratres, & tenete Traditiones &c.* Et ad Corinthios scribens. *Laudo vos fratres, quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, Traditiones tenetis.* Idem Apostolus 2. Timoth. 1. ait: *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti*, & cap. 3. *Tu verò permane in ijs, quæ à me didicisti, & credita sunt tibi.* Et ibid. cap. 2. *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus.* Quarè Epiphanius hæresi 61. sup. cit., inquit: *Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione Sancti Apostoli tradiderunt; Quemadmodùm dicit Sanctus Apostolus; sicut tradidi vobis, & alibi: sic doceo, & sic tradidi in Ecclesijs.*

11 D. Petrus Apostolus epist. 2. cap. 2. contrà Gnosticos inuehitur, quòd à Traditione defecissent, *Melius erat illis,* (inquit) *non cognouisse viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod Traditum est mandato Sancto.* Et nùnc percipio, quid sibi velit D. Paulus 2. ad Thessal. 3. dùm Anathema ferit non seruantes Traditionem: *Denunciamus autem* (ait) *vobis Fratres in nomine Domini Nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem quam acceperunt à nobis.* Super quæ verba venustè discurrit D. Cyprianus epist. 3. ad Cornelium Papam.

12 Ex his omnibus eruimus, multa ad fidem, & Religionem Catholicam spectantia, fuisse viua voce à Christo Apostolis, & ab Apostolis, posteris Fidelibus tradita, quæ non fuerunt scripturis consignata, vt idem Gentium Doctor 1. Corinth. 11. de Eucharistiæ Mysterio testatur, *Ego enim* (inquit) *accepi à Domino,*

quod & tradidi vobis, quemiam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur &c.

13 Probatur 2. Auctoritate Summorum Pontificum. Agmen ducit S. Pontifex Romanus Clemens 1. qui epist. 5. conquæritur, quòd quidam, Sanctis Patrum Traditionibus aduersabantur, dùm ait: *Renelatum est nobis, quòd quidam in vestris partibus commorantes, aduersantur sanis doctrinis, & prout eis videtur, non secundùm Traditionem Patrũ, sed iuxtà sensum suum docere videntur*, & infrà *& ideo oportet ab eo intelligentiam discere Scripturarum, qui eam à Maioribus secundùm veritatem sibi traditam seruauit, vt & ipse possit ea, que rectè suscepit, competenter asserere.* Hæc ille, qui in epist. 2. & 4. dixerat, se multa à Sancto Petro, & alijs Apostolis accepisse. Huic subscribũt alij Summi Pontifices, vt S. Anacletus epist. ad omnes Episcopos, S. Euaristus epist. 1. ad Episcopos Africæ, S. Alexander epist. 1., S. Thelesphorus epist. 1., S. Higinius epist. 1., S. Victor epist. 1. ad Theophil. Episcopum, S. Zepherinus epist. 1. ad Sicilienses Episcopos, S. Fabianus epist. 2. ad Episcopos Orientales, vbi postquã dixit, ex Traditione manasse, quòd *postquam Dominus Iesus lauit discipulorum pedes, sacrum Chrisma conficere docuit*, subiungit: *Ista à Sanctis Apostolis, & eorum successoribus accepimus, vobisque tenenda mandamus.* Et certè, de hac re, nihil in Sacra Scriptura habemus.

14 S. Damasus epist. 2. ad Episcopos Orientis pro Sacro Verbo Dei Tradito enixè decertat, cui subscribit S. Celestinus epist. 1. decretali ad Nestorium.

15 S. Innocentius 1. epist. 1. quæ est ad Decentium, de Sacris Traditionibus, illud protulit: *Si instituta Ecclesiastica, vt sunt à Beatis Apostolis tradita, integra vellemus seruare Domini Sacerdotes, nulla varietas in ipsis ordinibus, & consecrationibus haberetur.*

S. Leo 1. Serm. 2. de Ieiunio Pentecostes cap. 1. in hac causa ait: *Dubitandum non est, dilectissimi, omnem obseruantiam Christianam traditionis esse Diuinæ, & quicquid ab Ecclesia in consuetudinem est deuotionis receptum, de Traditione Apostolica, & de Sancti Spiritus prodiere doctrina.* Alij passim Sãctissimi Romani Pontifices, Sacram Traditionem, præter Verbum scriptum astruunt; eamq; in rebus Fidei inconcussam habere auctoritatem affirmant.

16 Quarè Agato Papa, qui licet vixerit anno 679. tamen hanc prædecessorũ suorũ constantissimam sententiam cõfirmans, epist. ad Cõstantinum Imperatorem, Helaclium, & Tiberium, A. A. ait: *Hæc est perfecta nostra scientia, vt terminos Catholicæ, & Apostolicæ Fidei, quos vsque hactenus Apostolica Sedes, nobiscum, & tenet, & tradit; tota mentis custodia conseruemus*: & inf. *Hæc nos Apostolica, & Euangelica Traditio, Sanctorumq; Patrum Magisterium, quæ Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia, & Venerabiles Synodi suscipiunt, instituisse monstrantur: ex quorum doctrinis hæc recolligentes ea breuitate perstrinximus. Hoc enim credimus, quod per Traditionem Apostolicam accepimus, cuius auctoritatem in omnibus sequimur: à qua & institutum hoc ipsum nostræ humilitatis prædecessores cognouimus, quam & vsque ad finem seruari nobis, siuè per vitam, siuè per mortem optamus.* Hæc ille, inter perfectæ doctrinæ Regulas, quas Romana Ecclesia profitetur, Traditionum doctrinam annumerans, atque alijs obseruandam tradens.

17 Probatur 3. Auctoritate Conciliorum. Omnium Conciliorum Patres, pro confesso habent, Perfectam Fidei doctrinã, gemina dogmatum differentia contineri. Quædamenim Fidei dogmata ad Scriptum Dei Verbum, quædam ad non Scriptum pertinere asseuerantes,

Qua-

Digitized by Google

Quarè, in Actis Concilij Nicæni 1. vt habetur ex Codice in Bibliotheca Venata D. Antonij conseruato, Sãctissimi illi Patres, his amplissimis verbis suam Catholicã Fidem professi sunt: contrà Arium gemino, Scripturam scilicet, & Traditionum testimonio dimicantes. *Nos Fidem à Domino iàm indè ab initio per Sacrosanctos eius Apostolos, vt edocti sumus, hanc à Maioribus nostris Sanctissimis, qui fidem ab ipsis acceptam religiosè conseruarunt doctrinam veram, & indubitatam per manus traditam accipimus.* Et post. *Hæc ità se habere, vt dicimus, infinitis Scripturarum testimonijs parati sumus ostendere.* Et in eodem Concilio Macharius Hierosolymorum Episcopus, cuidam Phedoni Ariano Philosopho, omnium Patrum nomine respondens, explicatis quibusdam Christianæ Religionis Capitibus, Traditionis Clypeo causam Catholicorum tutatus, dixit: *Hæc Fides est Ecclesiæ ab Apostolis tradita, & in qua nihil reprehendi potest. Hanc iam indè ab ipso Domino per Apostolos acceptam à Maioribus ad posteros transmissam, & quasi per manus traditam obseruat Ecclesia, eam hactenùs tenet, eam in omne tempus tenebit, quod ità est à Domino discipulis dictum: Euntes docete omnes gentes &c.*

Catholici Traditionis Sacræ Clypeo, sua defendunt.

18 Rursus in eodem Concilio Patres contrà eundem Arium dimicantes, vocem *Homousion* contrà illum statuerunt; eamque non tàm Scripturarum testimonijs, quàm Traditione Apostolica roboratam, apposuerunt in Symbolo, vbi de Filio Dei dicitur: *Genitum non factũ consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt*: Sic testatur Athanasius epist. ad Afros, *Episcopi (ait) non sibi met ipsis adinuenientes verba, sed habentes ea à Patribus, testimonia conscripserunt.*

Cõtra Arianos dimicãt, & *Homousion* statuunt.

19 Patres Concilij Ephesini, vt patet ex Actis eiũsdẽ, & ex Cyrillo in defensione Anathemat; Beatissimam Virginẽ Mariam Saluatoris Nostri Iesu Christi Matrem esse Theotecon, ideſt, Deiparã, vnamq; in Christo esse personam non tàm Scriptura, quàm ex Apostolica Traditione sanxerunt; ex Instructione Cœlestini Papæ, his verbis habita: *Subeamus omnes eorũ (Apostolorum) labores, quibus omnibus successimus in honore, præstemus eorum diligentiam prædicationi, post quæ monente Apostolo nullam prædicationem iubemur adducere, non est minus tradentis officio, custodia traditorum.* Et ibidem rursus: *Agendum est nùnc labore communi, vt credita, & per Apostolicam hucusque successionem decreta seruemus.*

Nestorius, ex Traditione damnatur in Concilio Ephesino.

20 Impius Eutyches, dùm in Concilio Chalcedonensi Actione 1. obstinatissimè cõtenderet, ex Scripturis, non haberi duas in Christo naturas; è contrà Theophilus Presbyter, eius impium dogma, ex Sacra Traditione confodit. Quarè, ibidem Act. 2. illud Cœleusma Patrũ, aditum est: *Hæc Patrum Fides. Omnes ità credimus. Anathema qui nõ credit. Petrus per Leonem.* (ex S. Leone Papa per epistolam, quæ est X. instructa hæc Sancta Synodus, duas esse in Christo naturas impermixtas definiuit) *loquutus est. Apostoli ità docuerunt.*

Eutijches à Theophilo Traditione conuincitur in Concilio Chalcedonensi.

21 In Concilio Constantinopolitano 1. ex sola Traditione definitur contrà Macedonium, *Spiritum Sanctum esse cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum.* Et in Concil. Constantinopol. 2. can. 9. Anathematizatur, qui *non vna adoratione Deum Verbum Incarnatum cum eius carne adorat, iuxtà quod Sancta Ecclesiæ ab initio traditum est.* Similitèr, in Concil. Constantinopol. 3. quæ est 6. Synodus, celebrata sub Agatone Papa anno 681. Act. 4., promulgata est epist. eiusdem Pontificis de Confirmatione Fidei Catholicæ, contrà Monothelitas,

Macedonij hæresis in Conc. Constantin. damnatur.

Digitized by Google

vnam dumtaxat in Christo voluntatem ponentes, & circà Mysterium Sanctissimæ Trinitatis errantes, sequentis tenoris. *Vt autem vestræ pietati, quòd Apostolicæ nostræ Fidei vigor contineat, breuiter intimatur, quam percepimus per Apostolicam, Apostolicorumque Pontificum Traditionem &c. sic igitur status est Euangelicæ, atque Apostolicæ Fidei regularisque traditio, & confitentes Sanctam, & inseparabilem Trinitatem vnius naturæ, & substantiæ, siuè essentiæ, vnius eam prædicamus, & naturalis voluntatis, virtutis &c.* En Concilium præcipua Fidei mysteria, ex sola Traditione definit. Huius postremi Concilij auctoritatem, quam nos recta fide suscipimus, suscipiunt & Protestantes: tùm quia Generale est, tùm quia septima Centuria celebratum, quorum temporum decreta, multi eorũ gregales non grauatè suscipiunt, vt hic lib. 1. Instruc. 1. lect. 2. initio, dictum est. Similiter, posteriora Concilia, vt 7. Synodus, quæ & Nicæna 2. Act. 3.: 8. Synodus, quæ & Constantinop. 4.; Lateranense, Constantiensæ, Florentinum, & Tridentinum, ex Traditione multa Fidei dogmata finierunt.

Monotheli-tarum error de vna Christi voluntate damnatur.

22 His manifestissimis auctoritatibus pressi Lutherani, & Caluinistæ, vt sibi rimulam aperiant, qua possint elabi, dicunt; hæc Conciliorum, & Pontificum testimonia, vera vtique esse; (quod aliò negarunt) attamen, ea non attingere Dogmatum Traditiones, sed tantùm Cæremoniarum, atque rituum. Verùm ex allatis testimonijs contrarium constat, dùm in illis, Fidei dogmata Pontifices, & Concilia finiunt. Et gratis concesso, quòd solos ritus attingant, nihil proficiunt Vuhitakerus, & Sauubrandus: quandoquidem constat, quod in ipsis ritibus, fidei dogmata includuntur, & cum ipsis dogmatibus, ad fidei obiectum spectant, & sub præcepto seruari mandantur, vtpotè populo Christiano salutares, & ad Dei cultum spectantes.

Protestantium effugiũ præcluditur.

23 Probatur 4. Auctoritate Veterum Patrum. Diuinus ille Dei Martyr Ignatius, cuius Epistolas tanquã diuinarum Traditionum promptuarium veneratur Antiquitas, scribens ad Philadelphios epist. 6., ait: *Audiui enim quosdam dicentes. Nisi Euangelium inuenero in archiuijs, non credo. Talibus quidem ego dico, quòd Iesus mihi pro archiuio est, quem nolle audire manifesta pernicies est.* Et posteà; *Nec enim spiritui debent archiua præferri.* Innuit his verbis Sanctus Antistes, & Martyr, quòd multa credenda sunt, quæ in Scripturis non habentur. Et iterùm in epist. ad Magnesianos, & ad Heronem multa recensèt, quæ scripta non sunt, & in Romano catholica Ecclesia ex Traditione seruantur.

24 Dionysius Areopagita Apostolorũ discipulus lib. de Eccles. Hierarchia, postquam cap. 1. dixerat *Apostolos, super substantialia, & summa Fidei nostræ Sacramenta, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis (iuxtà quod Sacræ definiunt leges) nobis tradidisse,* cap. 2. pleraſq; Traditiones enumerat, quæ in baptismo, à Romana Ecclesia obseruantur, & ait: *Cùm illum qui baptizatur Ministri perfectè exuerint, deferent Sacerdotes Sanctum Vnctionis Oleum. At verò Pontifex trino Crucis Sanctæ signaculo vnctionem inchoans, inunc gendum iam Sacerdotibus tota corpore hominem tradit. Ipse ad adoptionis matrem proficiscitur, eiusque aquas sancta præce, ac inuocatione sanctificans, terq: in eas ad crucis effigiem Sanctissimum fundens vnguentum, illasque hoc ritu perficiens, terque ad numerum Sacræ effusionis carmen pronuncians, semel scilicet per Sancti vnguinis iactus iubet adferre hominem baptizandum.* Hæc ex Traditione Dionysius, quæ in scripturis non habentur.

Cæremoniæ baptismi, & Crucis signatio ex Traditione.

25 Reclamant Protestantes de nulli-

Digitized by Google

nullitate, signanter Lutherus, & Caluinus, dicentes; hos libros esse Nothos, nec esse Dionysij, quia nullam de illis mentionem fecit Eusebius.

26 At garriant suo modo Protestantes, Antiquos habemus testes, qui hos libros, vt verum Dionysij partum agnoscunt; præsertim Patres Concilij Nicæni 1. in Canon. versis ex Arabico can. 31., & in 6. 7. & 8. Synodo, testimonia ex his Dionysij libris proferuntur. Idem faciũt Nazianzenus orat. in Christi Natali, & alij Patres, qui vel Dionysij tempora attigerunt, vel certè eius discipulos audierunt. Quòd, si istis nolint acquiescere aduersarij, audiant suos. Humfredus Protestans in Iesuitismi parte 2. ratione 5. pag. 513. fine, & 514. initio; contrà suos, ait: *Hinc Dionysium Areopagitam Suidas, Michael Singelus, Gregorius Turonensis, & alij; Pauli auditorem credunt fuisse, & Auctorem Cœlestis Hierarchiæ.* Quin, & Eusebius Traditiones deuotè suscepit. Constat igitur, quòd Protestantes in hac re nullam fidem faciunt.

Dionysius Areopag. Auctor Cœlestis Hierarchiæ.

27 S. Polycarpus, & ipse Apostolorum discipulus, epist. ad Philippenses, cuius Hieronymus meminit in Catalogo, eiusque fragmenta collegit Eusebius, sic scribit: *Propter quod relinquentes vanitates multorum, & falsas doctrinas ad illud quod traditum est nobis à principio verbum, reuertamur.* Hęc ille pro Verbo Tradito.

28 Iustinus inclytus Christi Martyr in *Apolog.* 2. pro Christianis postquam multos ritus, multasque Cæremonias à Christo Domino Sanctis Apostolis creenus traditas, nullibi scriptas, recensuisset v. g. quòd conueniant Christiani singulis diebus Dominicis, & post lectionem Scripturarum offeratur, & consecretur panis, & vinum aqua mixtum, & quòd non liceat vllo modo participare de Eucharistia, nisi post Baptismum, & alia huiusmodi, subiungit: *Postridie Saturni, qui dies Solis est, (nobis Dominica) cùm Apostolis, discipulisque suis apparuisset, hæc illis tradidit, quæ vobis quoque consideranda permittimus.*

Die Dominicæ obseruatio ab Apostolis instituta.

29 Nec curandi sunt Vuhitakeri latratus, dicentis, Sanctissimum hunc Christi Martyrem, in alio suo Quæstionum Libro, Chialistarum errorem defendere. Nàm, vt à multis asseritur, Libellus iste non est Iustini; quòd si obfirmato animo aduersarius illum velit esse Iustini; nõ per hoc videtur, labefactari locus Apologiæ ad Christianos: vbi, veræ Traditiones, quas Ecclesia Orbis terrarum recipit, recensentur.

Vuhitakeri latratus cõpescuntur.

30 Irenæus, Sancti Polycarpi discipulus, qui, quæ Magister suus dicebat, non scribebat in charta, sed in corde lib. 3. cap. 4. ait: *Oportet Ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt Apostoli ijs, quibus committebant Ecclesias*; & ibid. *Quæ autẽ sunt Ecclesiæ cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem.* Et cont. Florinum apud Eusebium lib. 5. cap. 19., inquit: *Ista dogmata Florine, Presbyteri qui ante nos fuerunt, quique erant ipsorum Apostolorum discipuli, minimè tibi tradiderunt.*

31 Quærit effugium Brentius, dicendo; loqui Irenæum de Traditione qua nobis in manus datur Scriptura, quauis intelligimus, quæ vera Scriptura sit.

Dùm Brentius quærit effugiũ præcluditur.

32 Miserum perfugium, dùm ex verbis eiusdem Irenæi præcluditur Brentius, eodem loco quo supra lib. scilicet 3. cap. 4., vbi ait: *Quid autem si neque Apostoli Scripturas quidem reliquissent nobis (audite Protestantes) nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderant ijs, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine Charactere, vel atramento scriptam*

tam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem Traditionem diligenter custodientes. Cùm ergo Barbari Scripturas nullas habuerint, & diligenter Traditiones oretenus factas seruauerint, & in Christum crediderint ex Irenæo; certò certiùs est, eum non loqui de Traditione qua nobis in manus datur Scriptura, vt contendit Brentius; sed tantùm de Traditione, proùt significat Verbum Dei non scriptum, sed oretenus traditum.

33 Origines Procemio in 1. lib. de Principijs, hoc Catholico Axiomate Aduersarios ferit; *Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat Traditione.* Et tract. 29. in Matth., ait: *Nos illis credere non debemus, nec exire à prima, & Ecclesiastica Traditione; nec aliter credere, nisi quemadmodùm per successionem Ecclesiæ Dei, tradiderunt nobis.*

34 Sed & acerrimus Traditionũ Sacrarum propugnator Basilius, multas Traditiones notat, quas sicut ab initio Romana Ecclesia seruauit, ità nùnc intemeratas custodit. Vndè lib. de Spiritu Sancto cap. 25., ait: *Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus à doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum Traditione in Mysterio, idest, in occulto tradita recepimus. Quarum vtraque parem vim habent ad pietatem: Et nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem Ecclesiasticorum iurium experientiam habet.*

Verbi Scriptis, & Traditi æqualis auctoritas.

35 S. Athanasius de Decretis Nicænæ Synod. non nisi Sacræ Traditionis auctoritate Arianos confutauit, his verbis: *Ecce nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstrauimus. Vos autem ò noui Iudæi, & Caiphæ filij, quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores?*

36 S. Epiphanius hæresi 69. Arianos, nomen Homousion, & Consubstantialitatis Filij cum Patre, reijcientes; sola Traditione conuincit, dicendo: *Respondete nobis Arij discipuli. Ingenitum dicimus omnes simul Patrem, & increatum: & admirabilis est dictio, scilicet. Vbi itaque est dictio hæc scripta, ostendite. Neque enim lex dicit, neque Prophetæ, neque Apostoli. Si itaque piè dicimus dictionem non scriptam, estque recepta, dùm pro gloria Dei dicitur, quis nos reprehenderit, etiam si non esset vox Coessentialis scripta.*

Ingeniti nomen cont. Arianos.

37 Rursus, dùm Aerius oppugnaret Paschatis solemnitatem, idē Epiphanius, eum hoc argumento præcluſit: *Quis autem magis de his nouit, hic ne seductus homo, qui etiam nùnc supereſt, & hùc vsque in mundo versatur, aut qui antè nos testes fuerunt habentes antè nos traditionem, in Ecclesia quoque etiam à suis Patribus didicerunt, qui antè nos fuerunt, quomodò Ecclesia acceptam à Patribus suis veram fidem, vsque nùnc retinet, itemq; Traditiones, & corruat huius sententia de Paschate &c.*

Paschæ solemnitas cõ trà Aerium.

38 Chrysostomus in 2. ad Tessal. 2. in rem nostram, inquit: *Patet quòd non omnia per Epistolam tradiderunt Apostoli, sed multa sine literis.* Et homil. 69. ad Populum, & homil. 3. epist. ad Philipp., iterùm ex Apostolica Traditione ostendit, quòd in Sacro Missæ Sacrificio, fiat commemoratio defunctorum, his verbis: *Non frustrà ab Apostolis sanctum est, vt in celebratione venerandorum Mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Nouerunt illis multum hinc emolumentum fieri, multum vtilitatis.*

Apostoli memoriam defunctorũ in Missa fieri sanxerunt.

39 Damascenus lib. 4. cap. 17. nostrum intentum roborat, dùm ait: *Plurima Apostoli sine scripto tradiderunt.*

40 Tertullianus lib. de Corona Militis cap. 2. Hoc validissimo argumento, suorum, ac nostrorum temporum errores, contrà Sacrarum Traditionum auctoritatem militantes

tantes, confodit. Si exigeretur ab aliquo, *vbi scriptum est nè coronemur? possumus similiter respondere: At vbi scriptum est vt coronemur?* Expostulantes enim *Scripturæ patrocinium in parte diuersa, præiudicant suæ quoque parti patrocinium adesse debere. Nàm si ideo dicetur coronari licere, quia scriptura non iubeat. Quid faciet disciplina? vtrumq; recipiet, quasi neutrum prohibitum sit; an vtrumque reijciet, quasi neutrum præceptum sit?* Sed *quod non prohibetur vltrò permissũ est.* Et cap. 3. concludit: *Non esse amplius per hanc lineam ferram reciprocandam; Cùm habeatur obseruatio inueterata, quæ de Traditione manauit. Quæ* (vt ait cap. 4.) *præueniendo, statum fecit, & sine illius Scripturæ instrumento, solius Traditionis titulo, exindè consuetudinis patrocinio causam obtinebit.* Præterea in suo lib. de Præscriptionibus, dùm modum præscribit, quo vti debent Catholici, in disputationibus cum hostibus fidei, *Non ad Scripturas* (ait cap. 19.) *prouocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa, vel enim hæresis non recipit quasdam Scripturas* (vt ait cap. 17.) *& si recipit, non recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit.*

Tertullianus præscribit modũ disputandi cum hæreticis.

Ex sola Scriptura, incerta quãdoq; victoria & quarè?

41 Tertulliani testimonia nituntur infirmare Kemnitius, & Vuhitakerus dicentes; eum, locis adductis, non prouocare ad doctrinam non Scriptam, seù Traditam; sed eiusdem doctrinæ Scriptæ defensionem, & promulgationem, per eamdem doctrinam scriptam faciendam esse: adeò quæ, non inferri Traditionum necessitatem, vel auctoritatem, quam prætendimus.

42 Benè est Protestantes. Tamen, vt video, iàm ex furore, ac nimia contradicendi libidine excœcati, Tertullianum nec legistis, nec vidistis; is enim manifestè, locis adductis, loquitur de Verbo Tradito, & ore prolato; non autem, de verbo Scripto. Quin, vt patet ad Librũ, ad verbum non Scriptum, seù Traditum prouocat;

43 Præterea, ridiculum est, quod à Kemnitio, & Vuhitakero asseritur, scilicèt, Tertullianum à verbo Scripto, pro verbi Scripti defensione, ad verbum Scriptum prouocare. Ridiculum plenè esset, si hæreticorum aliquis diceret, nego Scripturam; & ex aduerso instaret alius; probo quod sit Scriptura, assumpto hoc medio: Scriptura dicit &c. Quãdoquidem, defensio doctrinæ, non per eandem doctrinam quæ impugnatur, fieri potest; sed vel per explicationem eiusdem, vel ex alijs medijs. In Sacro ergò Ecclesiæ Depositò extat scientia, qua, scripta doctrina explicatur, & defenditur, quam, si adhùc crepet hæreticus, Traditionem tenetur appellare. Adeoq; certum est, quòd contrà non recipientes Scripturas, Traditionem vrget Tertullianus, vt ex eius verbis manifestissimè liquet.

Ridiculum Aduersarioꝝ effugiũ.

44 Audiendus est in hac causa, Augustinus, quem Caluinus tamquam verissimum Antiquitatis testem, ac omnium Theologorum Crypheum non diffitetur agnoscere: ipse enim, & Sacrarum Traditionum, vltrà Verbum Scriptum, existentiam probat; & earum inconcussam in finiendis litibus Fidei, auctoritatem commendat. Scribens enim contrà Donatistas lib. 2. cap. 7. eosque redarguens, quòd hæreticos ad Ecclesiam redeuntes rebaptizabant; contrarium ipse autumans, ait: *Quam consuetudinem, credo ex Apostolica Traditione venientem, sicut multa nõ inueniuntur in literis eorum, neque in Conciliis Posterorum; & tamen, quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, non nisi ab ipsis Tradita, & commendata creduntur.* Et iterùm in eadem causa, lib. 5. cont. Donatistas

cap.

Digitized by Google

cap.23. dicit: *Apostoli nihil quidem exindè præceperunt, sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum Traditione exordium sumpsisse, credenda est; sicut sunt multa, quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quamquam Scripta non reperiantur.* Et lib. de Vnitate Ecclesiæ, eamdem rem tractans cap. 9., inquit: *Hinc fortè dicis, lege mihi, quemadmodùm Christus suscipi iusserit eos, qui ab hæreticis transire ad Ecclesiam volunt. Hoc apertè, & euidenter, neque ego lego, nec tu.* Et epist. 174. ait; ex sola Traditione *probari, baptizatos fuisse Apostolos, verumtamen, etiam ipsos Apostolos baptizatos intelligere debemus.*

45 Has Augustini auctoritates, quippè quæ Nouatorũ oculos effodiunt, ipsi conantur infringere, dicentes; eas, nec continere res magni momenti, nec ad salutem necessarias.

46 Verùm, delirant Aduersarij. Nonnè Baptismus est ad salutem necessarius ?; Dicent: vtique. *At*, quòd quis verum habeat Baptismũ, an inualidum; & quòd hæretici non sint rebaptizandi, & quòd Apostoli sint baptizati, non legimus in Scripturis, (hoc enim de solo D. Paulo legimus Actor. 9.) sed tantùm ex Traditione habemus: & de his loquitur Augustinus. Non enim sine baptismo, & nisi renatus fuerit potest quis saluus fieri. Quòd si hoc parui momenti negotium videur aduersarijs; non nostrum, sed prudentis Protestantis iudicium esto.

Multa ad salutem necessaria ex sola Traditione habentur.

47 Instat Kemnitius; Augustinũ ijs locis tantùm probare, non posse ex Scripturis afferri exemplum, quòd hæretici ad Ecclesiam redeuntes, sint rebaptizandi; non autem inibi velle, an essent baptizandi, vel non baptizandi.

48 Sed fallit, & fallitur Kemnitius; nàm. Augustinùs, in primo loco numerat, & comparat illam consuetudinẽ de non rebaptizandis hæreticis, cum cõsuetudine ab vniuersa Ecclesia recepta, & custodita; quæ autem vniuersalis Ecclesiæ consensione sunt roborata; obligant ad obseruantiam; cùm, mos populi Dei, & instituta Maiorum, vim legis obtineant, vt idem pangit Augustinus.

Præcluditur Protestantium euasio.

49 Idem intendit in secundo loco; & addit, quod illa consuetudo quæ opponebatur Cypriano ab vniuersa Ecclesia recepta, erat ex illo genere rerum, *quæ ab Apostolis præcepta benè credebantur. Si ergò illa consuetudo benè, ac religiosè credebatur præcepta ab Apostolis*, iàm cadebant sub obseruantia præcepti Apostolici, iuxtà institutionem eis à Christo oretenus traditam. Non ergò ibi, tantùm ex Scriptura exemplum inquirebat Augustinus. *In tertio loco*, S. Augustinus cum aduersario disputans, qui ad Scripturas prouocabat; vicissim, Scripturas ab aduersario exigit, pro illius sententia, Augustino firmitèr in sola Traditione persistente. Quarto tandem loco, intendit probare, quòd si Traditio reijciatur, fidei Fundamenta conuelluntur; & Apostolos, neque Baptizatos, neque Christianos fuisse: indèq; Traditionis robur euincitur, cùm non nisi Traditione constet, Apostolos, fuisse baptizatos. Et tùnc nihil contra nos.

Traditione reiecta Fidei fundamenta cõuelluntur.

50 D. Ambrosius epist. 83. geminum Dei Verbum allegat, & ait: *Non mediocris esse sapientiæ, diem celebritatis definire Paschalis, & Scriptura Diuina nos instruit, & Traditio Maiorum.* Epist. 81. docet Symbolum Apostolorum ex Traditione haberi; quin, & epist. 24. 25. & 75. Ieiunium Quadragesimale à Christo fuisse præceptum, ex Traditione asseuerat.

Symbolum Apostolorũ ex sola Traditione habetur.

51 D. Hieronymus Dialog. cont. Luciferianos cap. 4. in rem nostram, sola Traditione contentus, ait: *Etiam*

si

si Scripturæ auctoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nàm & alia multa, quæ per Traditionem in Ecclesijs obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt.

52 Contrà Hieronymi, & aliorum Patrum dicta, Iunius, & Vuhitakerus Caluiniſtæ reſiliunt, dicentes; Traditiones à prædictis Patribus aſſertas, tantùm Ritus, & Cæremonias attingere, adeòq; eſſe adiaphoras, ſeù liberas, nec inducere obſeruantiæ neceſſitatem.

53 At caſſo labore fugam meditantur Caluiniſtæ; & amentium more furentes hac, illhac inconſideratè ſe vertunt, vt effugiant. Etenim, cùm Cæremoniæ, *& ritus iſti auctoritatem ſcriptæ legis* obtinuerint, liberi eſſe deſinunt, habentes ex lege neceſſitatem.

54 Pro quo, Notandũ eſt, quòd Traditiones bifariè poſsũt vſurpari, vno modo, proùt continent Dogmata, & Ritus præſcriptos à Chriſto; Alio modo, proùt Ritus inſtitutos ab Apoſtolis, Apoſtoliciſq; viris, Epiſcopis, ſcilicèt, & Paſtoribus concernunt. Traditiones primi generis, ſunt omninò neceſſariæ, neceſſariamq; nòn liberam, inducunt obſeruantiam; cùm Fidem, Fideiq; Sacramenta reſpiciant. Huius ratio ex D. Thoma depromitur p. 2. q. 106. a. 2. Quia Lex noua, vocatur, lex fidei, & gratiæ, propter determinationem articulorum Fidei, & & efficaciam Sacramentorum. Cùm autem tàm Fides, quàm Fidei Sacramenta, Diuino Chriſti iure præcepta ſint, neceſſariò ſunt obſeruanda; talitèr, quòd neque Romanus Pontifex poteſt contrà id, quod à Chriſto inſtitutum eſt, diſpenſare. Chriſtus autem, omnium horum inſtitutorum fuit ſupremus Legislator; & omnia ea, quæ ab ipſo ſancita, atque præſcripta ſunt, fuerunt ab Apoſtolis promulgata.

Traditio alia continet ea, quæ ſunt à Chriſto ſtabilita, alia quæ ſunt ab Apoſtolis inſtituta.

Traditiones neceſſariò obſeruandæ, quæ ſint.

55 Traditiones ſecundi generis, cùm contineant Ritus purè Apoſtolicos, atque Eccleſiaſticos; ab hominibus, licet Spiritu Sancto ſuggerente, non tamen immediatè reuelante, inſtitutos; diſpenſabiles quidem ſunt; quia, pro loco, & tempore, ſecundùm quòd eorum obſeruantia iudicabatur proficua, fuerunt inſtituti; qui titus, adhùc à Fidelibus inuiolabilitèr tandiù ſunt obſeruandi, quouſque per Apoſtolos, eorumque ſucceſſores, non contigerit reuocari; habent enim ex lege neceſſitatem. Vndè, Nazianzenus Orat. 17. ad Ciues Nazianzenos, docet; quòd, eſto Ritus iſti, eorumque Traditio ſit Apoſtolica, Eccleſiaſtica, & ab hominibus; tamen, quia Spiritu Sancto ſuggerente, nobis mandatum fuit, vt *Sublimioribus Poteſtatibus pareamus, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*, ideò eorum obſeruatio neceſſaria eſt. Eo vel maximè, quia hæ Traditiones, vt dictũ eſt, fuerunt Chriſto Domino, & Spiritu Sancto ſuggerente, inſtitutæ.

56 Probatur 5. Rationibus. Et quidem primò, Ab Adam (vt dictum eſt in 1. prob. initio) vſquè ad Moyſen, fuit Eccleſia Dei, & colebatur Deus Fide, Spe, & Charitate, & externis Signis, & Ritibus, ſola Traditione; Geneſ. enim cap. 18. nulla fit mentio doctrinæ Scriptæ, ſed tantùm Traditæ; vndè Deus dixit: *Scio quòd Abraham præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ, poſt ſe, vt cuſtodiant vias Domini.* Ergò tùnc, ſola Traditionum auctoritate, conſiſtebat vera Eccleſia Dei.

Antequam Vetus Teſtamentũ eſſet ſcriptum, Fides, ſola Traditione conſeruata.

57 Sic de Nouo teſtamento dicendum: Quandoquidem, compertum eſt, nouum Teſtamẽtum, multo poſt oretenus traditum, & prædicatum Euangelium, fuiſſe conſcriptũ; & tamen, tàm Sacramenta à Chriſto inſtituta, quàm Cæremoniæ, illo eodem tempore erant in vſu; & dog-

Digitized by Google

mata Ecclesiastica prædicabantur, quæ credere tenebantur omnes, qui Christiano digni censebantur vocabulo. Tùnc sic: Vel tùnc illud solum Verbum non Scriptum, seù Traditum, sufficiens erat ad proponendum Fidelibus infallibiliter Mysteria Fidei, vel non. Si primum; ergò cùm idem prorsus Verbum nùnc, & Apostolorum tempore prædicetur, eamdē infallibilē obtinet auctoritatem, eiq; debet dari in Ecclesia locus, ex quo etiam lites Fidei finiantur. Si secundum; igitur, Ecclesia primitiua sub Apostolorum oculis, imò & sub visibili Christi Domini directione, fuit sine Fide; eò quòd illud Verbū Traditum, non erat sufficiens ad proponendum infallibiliter infallibilia, & certissima Mysteria Fidei, adeoq; non fuit vera Ecclesia, quod Aduersarij negant.

Antequam scriberetur Euangelium, Fides Christi infallibilem veritatē continebat.

58 Prætercà, à Protestantibus peto: an ab Euangelistis aliquid sit de Christo prætermissum? Si negant, apertè à Ioanne reprehenduntur cap. 21. *Sunt, & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror Mundum capere posse eos qui scribendi sunt, Libros.* Si cōcedunt; fateri nobiscum coguntur, pleraq; viua voce, non Scripto ab *Apostolis* tradita fuisse, ad Fidem pertinentia, quæ & ipsi Apostoli à Christo oretenus, & viua voce acceperunt; quæuè de Christi gestis non scripserunt Apostoli, & Euangelistæ; sed sola *Traditione Apostolica* ad nos vsque deuenerunt.

59 Rursus, manifestum est, Christum *Dominum*, nunquam scripto mandasse quod dixerat; sed omnia ad Fidem pertinentia, oretenus *Apostolis* explicasse, vt testatur Chrysostomus homil. 1. in Matth. *Siquidem* (ait) *nec Apostolis scriptum aliquod tradidit Christus.* Et D. Thomas 3. p. q. 42. art. 4. de Christo, dicit: *Nulli libri ab eo scripti habentur in Canone Scripturæ.* Ergò omnia ad Fidem pertinentia, fuerunt viua voce à Christo *Domino* Traditā.

Explicatio Mysteriorū à Christo oretenus facta, qui nihil scripsit.

60 *Tandem,* (& est 2. Ratio) Protestantes ad vnum omnes, recipiunt Quatuor *Euangelia* Marci, Mattei, Lucæ, & Ioannis; & reijciunt Euangelia Philippi, Bartholomæi &c. *Tùnc sic:* Vel habent hoc ex Scriptura, vel non. Si primum: ostendant. Si secundum, recurrendum est ad Augustini dictum, quòd scilicèt sint ex Traditione, & per successionem doctrinæ habitæ ex successione Romanorum Pontificum, & Ecclesiæ in qua, & in quo Sacrum Fidei Depositum conseruatur. Hæc ratio, est ipsissima doctrina Protestantium. Couellus in Defens. Hookeri lib. 5. art. 5. pag. 31. ait *Auctoritas Ecclesiæ Dei facit, vt Marci Euangelium recipiamus, qui non fuit Apostolus, & Thomæ Euangelium respuamus, qui tamen Apostolus fuit: vt Lucæ Euangelium retineamus, qui Christum non vidit, & Euangelium Nicodemi, licèt is Christum viderit, reijciamus.* Hæc ille in rem nostram.

Quòd hæc Euāgelia sint Matthei, Marci, & ex sola Traditione habemus.

61 Vlteriùs, si quis negaret Protestantibus, Libros ab eis prolatos non esse Lutheri, vel Caluini; quid essent facturi? Certè, qui contrà rem tanta connexionis, & successionis seriè confirmatam obloqueretur, vt fatuus esset ridendus. *Ità* (& sunt verba Augustini lib. 3. cont. Faustum cap. 2.) *certum est Manichæum, & Manichæos* Lutherum, & Lutheranos, Caluinum, & Caluinianos *esse ridendos, vel dolendos, qui tàm fundatæ auctoritati à temporibus Apostolorū, vsq; ad hæc tempora certis successionibus custoditæ, audeant tale aliquid dicere.*

62 Huius rationis robore adacti Protestantes, vel inuiti nobiscum sentiunt, signantèr Vuhitakerus cont. Stapleton. pag. 298., dùm ait: *Non nego Traditionem Ecclesiasticam esse argumentum quo argui, & conuinci possit, qui Libri Canonici sunt, qui Canonici non sunt.* Idem fatetur ibid. pag. 300.

Digitized by Google

300. Sed & antè, Kemnitius in exem. Concil. Trid. sess. 4. fol. 306., sic scripserat; *Traditiones, (quæ nobis in manus dantur Scripturæ) reuerenter suscipimus*. Et Brentius apud Lyndanum in Panoplia lib. 1. cap. 4. ait: *Hanc Traditionem Scripturarum esse certam, firmam, & indubitatam, necessariam, omnibus modis amplectendam.* Hoc ipsum fatentur alij in sequenti Tract. producendi. His itaque ità ex tota Antiquitate stabilitis, ac rationum pondere firmatis.

Traditiones tandem recipiunt Aduersarij & quas?

63 Probatur tandem 6. ex specialibus Principijs, & testimonijs Protestantium. Primò, si solummodò Verbo Scripto, Traditione explosa, daretur in Ecclesia locus, vt prætendunt Protestantes cum suis Ducibus Luthero, & Caluino; quomodò ipsi probabunt ex scripturis, hos duos, diuinitùs esse vocatos, vel ad *puram doctrinam primò prædicandam*, vt de se ait Lutherus epist. ad Argentinenses anno 1527. vel vt *Christi Regnum, euersa Antichristi Regno, rursum erigeretur, & stabiliretur*, vt de se iactat Caluinus lib. 4. Inst. cap. 11. §. 5.? Proferant Protestantes, vbi hoc Scriptum sit. Dicant, vbi monemur, nouissimis temporibus venturos hos duos nouos Prophetas, Apostolos, vel Euangelistas, qui Ecclesiam collapsam restituant? Qui dirutam reedificabunt? Qui iugulatam ad vitam reuocabunt? Si solis Scripturis datur in Ecclesia locus, vt prætendunt; non nè Scripturæ ipsis aduersantur; & in nouissimis temporibus, non Prophetas, non Apostolos, sed Seductores, & Apostatas venturos clamant? Matt. cap. 24. nu. 4. *Videte nè quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo dicentes; ego sum Christus, & multos seducent.* Et, ibid. ver. 24.: *Tùnc si vobis dixerint, Ecce hic est Christus*, apud Lutheranos, *aut illic* apud Caluinistas *nolite credere: Surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetæ*; & c. 1. Tim. 4. *In nouissimis temporibus discedent quidam à Fide* (audite Protestantes) *attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum*: hic est Lutherus, Zuinglius, & alij.

Ex Principijs suis illaqueantur Aduersarij, primò.

64 At videnda est epistola D. Pauli, quæ est 2. ad Timot. cap. 3. vbi reperies Lutheranos, & Caluinistas nouemdecim coloribus graphicè delineatos; quos etiam ijsdem ipsissimis coloribus depingit, & ipse Caluinus, qui loquendo de suis lib. 2. Inst. cap. 3. § 3. ait: *Te nè eorum numero eximas, quorum pedes ad sanguinem effundendum veloces, manus rapinis, & homicidijs fœdatæ, guttura sepulchris patentibus similia, lingua fraudulenta, venenata labia, Opera inutilia, iniqua: putrida, lethalia: quorum animus sine Deo, quorum intima prauitates, quorum oculi ad insidias, animi ad insultandum elati, omnes denique partes ad infinita flagitia concinnatæ?* Igitur, ex Scriptura, & Caluino in his vltimis temporibus, iam venerunt non Christi Apostoli, sed Apostatæ, *qui discesserunt à Fide*, vt ex Apostolo dictum est. Vbi hic Ecclesiæ reformatio? Vbi collapsa erectio? Demus tamen hoc esse prædictum; ex qua Scriptura nobis constabit, hunc Reformatorem, potiùs esse Lutherum, quàm Caluinum? Cur potiùs Caluinum, quàm Zuinglium? Igitur Lutherani, & Caluinistæ, cùm sine Scriptura Doctorem suum admittunt; suum Assertum de solâ Scriptura admittenda explosa Traditione, manifestissimè euertunt, & destruunt.

Qui hoc tẽpore venerunt, non sunt Apostoli, sed Apostatæ ex Caluino.

65 Secundò, Caluinistę (quibus nulla salus) constantissimè credunt, se esse Prædestinatos, & sunt de æterna beatitudine, ac Cœlorũ Regno adeò securi, vt Caluinus lib. 4. Inst. cap. 17. §. 2. dicat, *Vita æterna nostra est, nec Regnũ Cœlorũ potest nobis magis excidere, quàm ipsi Christo.* Pulchrè quidẽ, & venustè, hominũ dementatissime. At vbi hoc scriptũ est?

Euincimus 2. ex doctrina Aduersariorũ Traditionum necessitatem.

Digitized by Google

Vsquam enim in Scripturis reperitur, vel Lutherum, vel Caluinum esse Prædestinatos. Rursus, vbi in Scripturis reperitur specialis applicatio meritorum Christi, quam iactant tenebriones isti? Sed neque in Scripturis applicationem hanc ipsi quærunt, sed in spiritus testificatione, vt asserit idem Caluinus lib. 3. Instit. cap. 2. §. 39. Vel ergò desinant de sua Prædestinatione gloriari; vel admittant nobiscum aliqua esse firmissimè credenda, quæ non sunt in Sacra Scriptura, sed dumtaxat oretenus, ac viua voce tradita.

§. idem probamus ex Aduersariorum Principijs.

66 Tertiò, Caluinistæ epistolam Iacobi Apostoli dicunt esse Dei Spiritu Scriptam, nec esse supposititi am: Lutherani ex aduerso clamant, eam eandem esse stramineã, ac Apostolico Spiritu indignã. Nec Caluinistæ, nec Lutherani habẽt Scripturæ locũ, qui expressè, vel illam canonizet, vel stramineã dicat. Vel ergò Luthere, & Caluine ambo extrà Chorũ canicis, vel vos metipsos redarguite dicendo nobiscum, aliquid de Fide esse firmissimè credendum, quod non reperitur in Scripturis expressum.

Confirmatur idem.

67 Rursus, idem incommodum incurrunt Aduersarij, cùm de Scripturis, earumque interpetratione agitur: Neque enim ipsi Scripturis, per Scripturas fidem, vel auctoritatem conciliant, & explicant; sed per arcanum Spiritus testimonium, vt operosè asseuerat Caluinus lib. 1. Inst. cap. 7. §. 4. *Sicuti Deus (ait) solus de se idoneus est testis in suo sermone; ità etiam non antè Fidem reperiet sermo in hominum cordibus, quàm interiore Spiritus testimonio obsignetur. Idem ergò Spiritus qui per os Prophetarum loquutus est, in corda nostra penetret necesse est, vt persuadeat fideliter protuliſſe, quod diuinitùs erat mandatum.* Malè ergò D. Augustinus cont. epist. Fundament. cap. 4. dixisset, *Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas*: Sed dicere debuit, Euangelio non crederem, nisi arcanum spiritus testimonium mihi intus persuaderet. Hic autem Spiritus, Caluinistis persuasit, Iacobi Epistolam esse Sacrosanctum Dei Verbũ, Luthero esse stramineam. Certè Protestantes spiritu vertiginis ducimini, Sacra Traditione reiecta.

68 Deindè, tùm Lutherani, tùm Caluinistæ recipiunt, vel omnes, vel ad minus aliquos Verbi Dei Scripti codices; At, eos quos recipiunt, nõ aliundè quàm ex Traditione constat esse Diuinos. Igitur, multa ad Fidem pertinentia, imò pro Fide necessarijssima, nullibi tamen Scripta, ex sola Traditionem habemus. Minorem propositionem apertis vulnis excipiunt Protestantes; Lutherus lib. cont. Anabaptistas, fatetur, se *multa bona à Papatu susceptisse, nempè Sacram Scripturam &c.* Kemnitius, & Brentius locis sup. adductis idem fatentur; Caluinus lib. 1. Inst. cap. 7. §. 9. edisserens, quis nos certos reddet hos, vel illos esse Libros à Moyse, vel Prophetis Spiritu Dei scriptos; ad Traditionem confugit, dicendo: *Verùm, vt de omnibus simul loquar, certò certiùs est, ipsorum scripta non aliter peruenisse ad posteros, quàm de manu in manum Tradita, qui partim loquentes audierunt, partim recenti memoria discebant ab auditoribus fuisse ità loquutus.*

69 Quartò; dùm Caluinistæ disputãt cum Anabaptistis qui negant infantes baptizandos. Vnus scripturæ locus est, qui hoc conuincit, iuxtà communem Patrum expositionem, & leges interpretum Ioan. 4. ver. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* At Caluinus negat, hunc locum aliquid ponderis habere contrà Anabaptistas, eumque suo glossemate peruertit. Nihil ergò illi præsidij restat, præter nudum typum Circumcisionis, in quo

Digitized by Google

quo explicando, multum insudat lib.4.Inst.cap.16.§.3.& sequent. sed in vanum laborat. Nam disparitatē inter Baptismum, & Circumcisionē assignabunt *Anabaptistæ*; signanter; quia in Circumcisione nulla Concio requirebatur: vt patet Exodi 4.v. 25. At in Baptismo Concionem requirit Caluinus lib.4. Inst. cap.14.§.4. sine qua Sacramētum non fit, vt vult ipsemet Caluinus lib.4. Instit. cap. 18. §.20. Infantes autem Concionem intelligere non possunt.

Caluinus concionem exigit in paruulorum baptismo.

70 Si cùm ijsdem agendum esset de *Anabaptismo*. Quo loco Scripturæ, prohibitum est, ne Baptismus repetatur? Nullibi, sed ex sola traditione vt ait D. Augustinus lib.2.cōt. Donat. cap. 7; & 1. cont. Cresconiū Gramm.cap. 33. Præterea, Baptismum in casu necessitatis dari posse à Laico, & vt etiam Lutherus fatetur tom. 4. in Genes. fol. 244. Mulierem in casu necessitatis baptizare posse, vbi scriptū est? *Ex* sola .n. Traditione habetur. *Baptismus paruulorum, (vt nuper diximus)* ex *Traditione* probatur, quam *Traditionem* Lutherus suscipit epist. de *Anabaptismo* tom.2. Germ. fol. 292. ad duos parrochos, vbi Anabaptistis ita respondet; *Fatemur nos id nulla scriptura probari posse, quæ clarè, & manifestè dicat, debetis pueros baptizare, quia ipsi credunt. Si quis nos vrgeat ad demonstrandam huiusmodi literam, huic nos tamquam victori cedamus oportet. Nūquam enim scriptum inuenimus. Boni autem, & ratione præditi Christiani, nihil tale à nobis exigunt. Faciunt id contentiosi tantùm, & præfracti homines, vt esse prudentes videantur.* Vides en Lector, quomodo Lutherus suis se manibus iugulet, Traditum Verbum suscipiens, Traditionisque auctoritate se contra Anabaptistas præmuniens? Verùm, cum tritico lolia miscuit; dum, in pueris actualem fidem requisiuit in baptismo, non minus ac Caluinus Concionem, quod falsum ineptumque pronunciamus. Ergo multa dogmata ad fidem pertinentia, quæ quidem scripta non sunt, Protestantes recipiunt.

Lutherus in paruulis, fidem actualem comminiscitur, dū baptizātur.

71 Quintò, Caluinus in Baptismo non curat an baptizandus mergatur, an dumtaxat tingatur vel aspergatur: An vna vel trina mersio exigatur: An sint adhibendæ quædā cæremoniæ, nec ne? Vnde lib.4.Instit.cap.15.§.19. ait: *Cæterùm mergatùrne totus qui tingitur, idque ter an semel an infusa tantùm aqua aspergatur, minimè refert: sed id pro regionum diuersitate Ecclesijs liberum esse debet. Quanquam, & ipsum Baptizandi verbum mergere significat, & mergendi ritum veteri Ecclesiæ obseruatum fuisse constat.* Hinc Ministri Caluiniani, & Lutherani, paruulos non mergunt. Caluin. lib. 4. Inst. cap. 19. §. 5. illudit Catholicis, & ait: *pulchrè omnia & venustè. Sed vbi Dei verbum?* Benè Caluine; at vbi Dei verbū? Vbi hoc scriptum est? Oportet ergo, & Traditiones necessariò admittere.

72 Idem Archisynagogus Genuensis in libello de formula Sacramentorum, quinq; in Baptismo cæremonias præscribit, vt refert Bellarm. lib. 1. de Baptismo cap. 24; Et rursus, idem Caluinus lib. 4. Instit. cap. 15. §. 19; alias cæremonias assignat, his verbis; *Quanto satius erat omissis theatricis pompis, quæ simplicium oculos perstringunt, & mentes hebetant, quoties baptizandus aliquis esset, in cœtum fidelium ipsum repræsentari, & tota Ecclesia, velut teste, spectante, & orante super eum, Deo offerri: recitari fidei confessionem, qua sit instruendus Catechumenus: enarrari quæ in baptismo habentur promissiones: Catechumenum baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: remitti demùm cum precibus, & gratiarum actione.* Bellissimè Caluine. At quo Dei verbo scripto hæc facis? Conuinceris ergo dicere, præter scripturam dandū esse, etiā

Caluinus quinq; cæremonias exigit in baptismo.

Ver-

Digitized by Google

Verbo non scripto in Ecclesia locũ, cõtra id quod in mendacio dixeras.

73 Sextò, Brentius, & alij volunt aquam esse in Calice vino admiscẽdam; Lutherani ad appellationem Sanctissimi Nominis Iesu caput detegunt, & reuerenter inclinant; se & pueros suos signo crucis muniunt; & Lutherus lib. de Baptismo, Signum Sanctæ Crucis, quod fieri solet in Catechismo, approbat. Vuittembergenses in Ordinat. suæ Ecclesiæ, in Baptismi ritibus abrenunciationem potius seruandam censent, quàm exorcizationem. Vnde Lutherani, hos ritus cont. Anabaptistas defendentes, necessitate adiguntur ad astruendas Sacras Traditiones, cùm omnia recensita, nullibi in Verbo Scripto reperiantur. Iniquo ergo iure, alias Traditiones reijciunt, cùm eadem de vtriusque sit ratio.

74 Septimò, Lutherus, & Caluinus, duo tantùm Sacramenta recipiunt, Baptismum scilicet, & Cœnã; Lutherus in Assert. con. Art. Louanienses addit Pœnitentiam; Caluinus in Antitodo Concil. Pœnitentiã excludit, & apponit Ordinationem. Melanchon in loc. comm. editionis anni 1536, omnia alia recipit præter Sacramentum extremæ vnctionis, & confirmationis. Postellus Protestans omnia suscipit, Matrimonio dempto. Conuentus Lypsiẽsis habitus anno 1548. omnia septem Ecclesiæ Catholicæ Sacramenta suscepit; indeque conquestus est Illyricus, quòd, *Lypsiæ septem Sacramenta Papistica restituantur.* At Protestantes eruditi ostendite, vbi scriptũ sit Sacramenta esse duo? Vbi esse tria, vel quatuor, vel quinque? Rursus, ne nomen quidem Sacramenti, vt Protestantes volunt, habetur in Scripturis, & tamen Lutherus lib. cont. Carolostadium oppugnantem librum de Imaginibus, & Sacramẽtis, ad Traditionem recursum habuit & dixit. *Imo verò placet ista vox, nec enim Deus in Sacris literis, vsquam prohibuit ne huiusmodi voce vteremur.* Ergo multa ad fidem pertinentia, quæ quidem scripta non sunt, ex mera, & sola Traditione Caluinistæ, & Lutherani suscipiunt. Quare non omnia?

75 Octauò tandem Symbolum Apostolorum, tum Lutherani, tum Caluinistæ recipiunt; ac perpetuam Virginitatẽ Beatissimæ Deiparæ Domine nostrę contra Heluidianos defendunt; quę tamen, non sunt in Scriptura, sed solum modo ex Traditione contra negantes euincuntur, ergo idem quod prius. Lutherus, & Caluinus, perpetuam B. Mariæ Virginis Virginitatẽ defendunt.

76 Atque hęc sunt, quę in hac causa, ex specialibus principijs, Protestantium, contra Protestantes obiecimus.

77 Remanet, vt ex Aduersariorũ Confessionibus, ac testimonijs, euincamus, Verbum Dei oretenus Traditum, inconcussam, ac infallibilem habere auctoritatem in rebus fidei. locũdũ planè spectaculũ est, hostes fidei suo se gladio cõfodiẽtes inspicere, & vt ait Hieronym. *Goliæ superbissimũ caput, proprio mucrone truncare* Epist. 84.

78 Agmen ducit Lutherus, qui in libello cont. Anabaptistas Germanicè scripto, pro Sacris Traditionibus, illud protulit; *Mos ex Apostolorũ Traditione semper obseruatus docet, paruulos esse baptizandos, etiamsi nulla Scriptura id esse faciendum præcipiat.* Et infra; *Vos Anabaptistæ Verbum Dei testimonium requiritis, quo vobis paruulos esse baptizandos probem. Vos potius, vos ipsi inquam afferte scripturã quę paruulos non esse baptizandos docet* Quod argumentum, à Tertulliano est mutuatus: qui, vt supra in 4 prob. vidimus ex lib. eiusdem de Corona Militis contra Gentiles dicentes, *Vbi scriptum est ne coronemur?* Respondit; *Vbi scriptum est vt coronemur?*

79 Idem Lutherus lib. cont. Cœlestes Prophetas, iterum pro Sacris Traditionibus loquens, ait; *An non mi-*

Digitized by Google

mihi liceret Dominum meum Christum nomine aliquo appellare, quod non extaret in Sacris literis. Quid quod si vocarem corona cordis mei, cordis mei iubilum &c. Vbi nam verò huiusmodi nomina in Sacris literis reperiuntur? Item quòd si de Baptismo ac Cœna Domini sermonem deberemus instituere, quomodo ageremus? Nullum in Sacris literis nomen est, quod vnum omnia Sacramenta, & signa complectatur. Hic nobis tacendum esset, aut non iocosè loquendum, alioquin hi Prophetæ pro Apostatis nos reputarent. Item, plures sunt Articuli fidei, multæ Partes doctrinæ Christianæ, multa Capita in Bibliis, quid ageremus? Huiusmodi nomina, Articuli, Partes, Capita non habentur in Bibliis. Hic non amplius nobis liceret loqui de Articulis Fidei, de Partibus doctrinæ, de Capitibus Bibliæ: Imò quid agerent ipsi Cœlestes Prophetæ? Profectò, ipsi nominatim capitula ex Bibliis adducerent: Nonne tales sunt Christi occisores, vel proprio iudicio, quòd diuinis rebus nomina imponunt, quæ nusquam in Sacris Bibliorum scriptis extant.

80 Matthias Flaccus Illyricus, loquẽdo de Nominibus Essentiæ, Substantiæ, aut Hypostasis Diuinæ, quæ haud reperiuntur in Scripturis, sed ex sola Traditione habentur; in Præfatione suarum Demonstrationum, ait: *Nisi Ecclesia Dei, tunc istis adeò claris, expressis, aptis ac pertinentibus verbis Essentiæ Substantiæ, aut Hypostasis, & Cõsubstantialitatis in declaranda Filij Dei Diuinitate vsi fuissent, easque de Deo, Diuino Logo, aut Verbo constantissimè asseruissent, nunquam profectò satis explicatum fuisset, quidnã. esset, aut non esset illud Mysticum Verbum.* Necessariæ ergo sunt Traditiones ad explicanda supersubstantialia Mysteria fidei, eaque contra erũpentes hæreses defendenda.

81 Nec grauatè Ioannes Brentius, acerrimus Traditionum hostis, ipsas Sacras Traditiones suscipit; nã in Prolegomenis cap. de Traditionibus, ait; *Negari non debet nec potest, quin tam Christus multa dixerit, & fecerit, quàm Apostoli multa tradiderint, & instituerint, quæ non sunt ab ipsis literis comprehensa.*

82 His subscribit Martinus Kẽnitius qui in Exam. Concil. Trid. sess. 4. cùm agit de 7. gener. Traditionũ, inquit; *Apostolos igitur quosdam ritus ordinasse, & tradidisse Ecclesijs, ex scriptis ipsorum certò constat; & verisimile est quosdam alios externos, qui in Scriptura annotati non sunt, ab Apostolis traditos esse.*

83 Luthero, & Lutheranis manus prebet Caluinus, qui contra Arianos nouos, & alios Hæreticos qui Trinitatis, Personæ, & Consubstantialitatis seu Homousion nomina fastidiunt vel repudiant, disputãs; grauitèr in eos insurgit lib. 1. Instit. cap. 13. §. 2. dicendo: *Cæterum, quia vocem Personæ odiosè exagitant nonnulli quasi humanitus inuentum, qua aquitate id faciant prius videndum.* Et postea: *Ergo si fidem obtinet Apostoli testimonium, sequitur tres in Deo esse Hypostases. Idem cum expresserint latini Personæ voce, nimij fastidij atque etiam pernicaciæ est de re clara rixari.* Et ibidem §. 3. *Si verbum exoticum appellant, quod totidem syllabis compositum in Scriptura ostendi non possit, iniquam sanè legem nobis imponunt, qua damnatur omnis interpretatio, quæ Scripturæ contextu non consarcinatur.* Et infra; *Sed quid vetat quominus quæ captui nostro perplexa in Scripturis, impeditaque sunt, ea verbis planioribus explicemus, quæ tamen religiosè, & fideliter ipsius Scripturæ veritati seruiant, & parcè modestèque, nec tamen citra occasionem vsurpentur: cuius rei non desunt, satis multa exempla. Quid autem vbi Ecclesiam summa necessitate vrgeri ad vsurpandas Trinitatis, & Personarum voces, comprobatum fuerit, si quis verborum nouitates tum reprehendat, nonne meritò iudicetur lucem veritatis indignè ferre, vt qui tãtùm hoc reprehẽdat, veritatem planam, ac lucidam reddi?*

Per-

84 Pergit Caluinus in eodem lib. & cap.§.4. & contrà *Arium*, his verbis inuehitur: *Quò flexibilem hominis (Arij) vafritiem è latebris extraherent Veteres, vltrà progressi sunt, Christum pronunciantes Aeternum Patris Filium, Patrique consubstantialem. Hic efferbuit impietas, dùm nomen Homousion pessimè odisse, & execrari Ariani cæperunt.* Ex ore tuo ijsdem tuis verbis, te iudicio Caluine; Cur vocem Transubstantiationis tu, & tui, *vt exoticam exsibilatis? An quià totidem syllabis in Scriptura non reperitur? Iniquam certè legem nobis imponis*, & veritatis lucem indignè ferre conuinceris, qui à verbis ab Ecclesia necessariò vsurpatis, argumentum contrà Ecclesiam ducis tuo lib.4.Inst.cap.17.§.14. & 19.

85 Deindè veritatis pondere pressus idem Caluinus, lib. cont. Pyghium de libero *Arbitrio*, manifestiùs se explicat, & (contrà id quod dixerat) tribuit Sacræ Traditioni in Ecclesia locum, dummodò constet, quòd hæc, vel illa sit Traditio Apostolica; & sic statum quæstionis immutat, dùm inibi ait: *Non difficulter inter me, & Pyghium in hac de Traditionibus contentione conuenire posset, si modò Ecclesiæ Traditionem ex certo, & perpetuo Sanctorum Orthodoxorum consensu demonstraret: deindè, si ijs simplicitèr, & candidè vteretur ad veram, & germanam Ecclesiæ doctrinam comprobandam, non ad pingendas horum temporum impias doctrinas abuteretur: Nùnc si ex priuato paucorum sensu, communem Ecclesiæ consensum facere velit Pyghius eumq; ex Apostolorum Traditione natum esse asserat, non recipiam.* Verùm Caluine, Pyghius, & alij Catholici Doctores, ex communi omnium Patrum, ac Doctorum consensu, Sacras Traditiones recipiunt.

86 Iterùm, idem Pseudopatriarcha Geneuanus, in rem nostram, pro Sacris Traditionibus Apologiam construit, dùm in comment. epist. 1.Corinth.11.ver.2. inquit; *Nos quidem non negamus, quin aliquæ fuerint Traditiones Apostolorum nō Scriptæ, quæ pertinerent ad ordinem, vel politiam.* Et iterùm ibidem ver. 32. *Nemini (ait) mirum videri debet, Pauli pugnam cum bestijs à Luca prætermissam; quandoquidem, in Actis Apostolicis non legimus commemorata, quæ Paulus de se ipso scribit 2.Corinthiorum 11. ver. 24. vbi se ait à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepisse; seque præterea narrat, naufragium ter fecisse, & latronum pericula, multaq: id genus alia refert, quæ in Luca non legimus.*

87 Has verò Traditiones nedùm ad externā Ecclesiæ politiam, sed ad quædam fidei, ac Religionis dogmata pertinere, idem ipse Caluinus confitetur in 2.ad Thessal.2.ver.15. his verbis: *Sunt qui hæc, Tenete Traditiones quas didicistis &c. ad præcepta externa politiæ restringunt, quod mihi non placet: modum enim standi indicat: atqui, ad inflexibile robur instrui, res longè altior est externa disciplina. Quarè totam doctrinam meo iudicio hoc nomine complectitur; ac si diceret, habere eos in quo firmi consistant, sicut erant ab eo instituti, pergant in sana doctrina.* Et post pauca: *Paulus capite proximo, Traditionem ponit pro regula à se tradita, & ipsa Verbi significatio generalis est. Contextus autem, vt dixi, postulat, vt hic sumatur de tota doctrina in qua instituti fuerunt.*

88 Hanc eamdem doctrinam ex Caluino in 2.Tessal.2. ibidem transcripsit Marloratus, dùm apud Feu ardentium in Theomachia Tom.2. fol.74.col.1.post init. ait: *Vocat ergò Traditiones Paulus quicquid se docente & tradente didicerant Tessalonicenses, hoc est, Euangelij doctrinam de vera pœnitentia erga Deum, veraque Fide in Dominum Iesum.*

89 Theodorus *Beza* Geneuanæ Synagogæ *Archiministe*r, in epist.

81.,

Digitized by Google

81.; contrà Nearianos Sacras Traditiones contemnentes,& obijcientes, vocem Consubstantialitatis Filij *Dei*, haud in scripturis reperiri, istis verbis inuehitur: *Ista putrida obiectio, voces illas in Scripturis non reperiri, quoties obiecta, audita, repulsa, damnata est omnium bonorum, & Doctorum iudicio?*

90 Postremò, Marcus Antonius de Dominis Archiapostata Spalatensis, Sacrum *Dei* Verbum Traditum, tamquam firmissimum argumentum ad dogmata Fidei stabilienda amplectitur; Vndè, lib. 2. de Republica Christiana cap. 3. vi veritatis pressus, ait: *Antiquos Patres nostros, vt veritatem Christianæ doctrinæ quam prædicabant, ab hæreticorum, & impugnatorum cauillis vindicarent, nullum certiùs, nullum solidiùs, nullum euidentiùs* opponere solitos argumentum, nisi *doctrinam suam esse doctrinam ab Apostolis traditam, & explicatam, illam eamdem quam à Christo à Patre habitam suis tradiderunt Apostoli &c.*

91 Igitur humanissimi Protestantes, Catholicorũ causa perorata est, cũ vestri Duces, vt hactenus demonstrauimus, Sacras Traditiones recipiant; maximè eas, quas perpetuus Sanctorum Orthodoxorum consensus docet; non autem, quas priuatus quorumdam paucorum spiritus approbat. *At* Traditiones vniuersæ à Romanocatholicis acceptatæ, ac in aciem adductæ, ex continuo vsu, ac successiua, omnium sæculorum à Christo, Patrum contestatione sunt roborata. Sequitur ergò, ea omnia quæ, à primis Catholicæ Religionis Ducibus, nobis tradita sunt, quæque per manus ad manus ad nos vsque hactenus fidelitèr deuenerunt, esse verum Dei Vetbum, adeoq; inconcussam habere auctoritatem ad Catholicæ Fidei veritatem ostendendam, ac roborandam: Ac proindè falsũ esse quod dixerat Lutherus *omni alio verbo, præter Scripturis mandato, dicendum esse Anathema: Ac* falsissimum esse illud Caluini Axioma, *non aliud habendum esse Dei Verbum, cui detur in Ecclesia locus, quàm quod in Scripturis continetur.*

92 A quibus autem Romanocatholici, & à quibus Protestantes traditam doctrinam hauserint; iam ad oculũ in Faciæ Ecclesiæ, huius 2. Par. Initio, Lect. 1. & 2. demonstrauimus.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

93 ARguit 1. Antonius Sadael Caluinista apud Lensæum de Traditionibus. Doctrina Verbi ad salutem necessaria in veteri Testamento per Prophetas, & in Nouo per Christum, & Apostolos tradita est: Hebræ. 1. *Multifariam, multisq: modis olim Deus loquutus est Patribus in Prophetis, nouissimè autem diebus istis loquutus est nobis in filio.* Sed tota Doctrina Verbi Prephetis Tradita, est scripta in Libris Prophetalibus, & Historialibus veteris Testamenti. Ergò, tota doctrina Verbi à Christo, & *Apostolis* nobis tradita, est scripta in Libris Noui testamenti.

94 Respondetur conc. ma., & nego minorem, scilicet, quod tota doctrina Verbi Prophetis tradita, sit scripta; Deus enim Esdræ 4. Moysi præcepit, *Hæc in palam facies verba*, ideſt, in Scripturis, quæ omnium manibus teruntur; *& hæc abscondes*, ideſt, oretenus Sapientibus trades. Hoc autem roboratur ex eò, quòd cùm Circumcisio fuerit à Deo instituta, in remedium peccati Originalis; nè Deus diceretur personarum acceptor; & nè fœminæ essent extrà statum salutis in veteri lege, adhùc pro fœminis *Deum* remedium adinueniſſe, certum est: & tamen, vt ait *D. Augustinus* lib. 5. cont. Iulianum cap. 9., hoc remedium

dium ad salutem necessarium in Scripturis non extat. Rursus in Nouo testamento, vt ait Erasmus epist: ad Fratres inferioris Germaniæ, Ioannes Baptista, Discipulis suis preces quasdam, ac quædam ieiunia præscripsit, quæ non leguntur in Scripturis. Ergò multa, etiam ad salutē necessaria, nō sunt in Scripturis.

95 Arguunt 2. & dicunt, omne Verbū Dei in sola Scriptura contineri; idque probant ex illo Actor. 17. vbi Berecenses, Pauli prædicantis verba, ad Scripturæ trutinam examinabant. *Erant scrutantes Scripturas, si hæc se haberent*; nimirum, quæ à Paulo, & Silâ asserebantur; quod nō fecissent vtique, nisi omne Dei Verbum contineretur in Scripturis.

96 Respondetur: Berecenses vtique scrutasse Scripturas post prædicationem Pauli, nō quidèm quasi de veritate dubij: sed de vitandis nouis, ac Maioribus suis inauditis doctrinis, soliciti. Cùm enim isti, non dùm Christo nomen dedissent, debebant Pauli prædicationi non leuitèr assentiri; sed quatenùs, vel Miraculis, vel scripturalibus argumentis esset comprobata; *qui* enim *cito credit, leuis est corde*; adeòq; non erant reprehensione digni, cùm ad ea argumentorum præsidia cōfugerunt, quibus euidentèr credibilis appareret Pauli prædicatio, inter quæ argumenta, potiora erant Prophetarum oracula; quibus etiam possent Apostolicam Pauli doctrinam, ab Aduersariorū insultibus defendere.

97 Arguunt 3. & obijciunt illud Apostoli *Actor. 26. Vsque in hodiernum diem sto, testificans minori, atque maiori, nihil extra dicens, quam ea, quæ Propheta loquuti sunt futura esse, & Moyses*. Ergò solæ Scripturæ sunt admittendæ ex D. Paulo.

98 Respondetur. Quod ibi Paulus disputabat cum Rege infideli, solas Scripturas admittente, scilicet cum *Agrippa* Ritu, & Legibus Iudæorum imbuto, cui dixit: *Credis Rex Agrippa Prophetis? Scio quia credis*: & ità, solis Scripturis in illa concertatione vtebatur, vt posset ad hominem, & ex concessis, *Aduersarium* conuincere de doctrina duorum præcipuorum articulorum Fidei, scilicet, de *Passione*, & *Resurrectione Domini Nostri* Iesu Christi, de quibus tùm erat contentio, ostendendo concordiam suæ doctrinæ cum *Prophetis*, & Moyse. Vndè, **Tertullianus** lib. de Resurrect. Carnis cap. 39. hunc locum expendens, post multa, ait: *Itaque, talem prædicabat*, (Paulus) *qualem Pharisæi susceperant, & Dominus ipse defenderat*. Perperam ergò conantur Protestantes, ex hoc loco deducere, Paulum, Sacras Traditiones, pluries ab ipso commendatas, reiecisse.

99 Arguunt 4. ex illo 1. *Timoth.* 3. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, arguendum &c., vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*. Ergò sola Scriptura sufficit, nec aliud verbum Traditum est recipiendum.

100 Respondetur; malè *Aduersarium* ex vtilitate, inferre sufficientiam. Nàm, vt suprà vidimus ex doctrina Protestantium, multa sunt fide credenda, quæ non sunt in Scripturis. Vtilis quippè est Scriptura: sed quòd hæc sit Scriptura, & Verbum Dei Scriptum, vndè habetur? *Dicite* amicabilitèr eruditi Protestantes: vndè? Sed iam dixistis hic in penultima, & vltima Probatione. Igitur prius est asserenda Sacræ Traditionis necessitas, indè Scripturæ vtilitas. Et quod hæc sit mens Apostoli, non leuitèr indè colligitur, quòd postquam D. Paulus in loco citato, vtilitatem Scripturæ commendauerat, nè videretur ipsum dogmata in solis Scripturis locasse, continuo capite sequenti Sacrarum

crarum Traditionem auctoritatem inculcat, dicendo: *Prædica verbum*, non quidem dumtaxàt *scriptum*, sed Verbum in ampla significatione, siue tam Scriptum, quàm Traditum, eò vel maximè cùm 2. Timoth. 2. ea iubet prędicari, *Quæ* ait *audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere*; vtique prædicando ea, quæ oretenus Tradidi, & tu à me, & ipsi à tè acceperunt.

110 Arguunt 5. & obijciunt multa Sacræ Scripturæ loca, quibus intendunt euincere, non esse aliud Verbum Traditum, ipsi Scripturæ addendum. Primò, Deuteronom. 12. *Non addetis ad Verbum, quod ego præcipio vobis, nec auferetis ex eo.* 2. Prouerb. 3. *Ne addas verbis eius, ne te redarguat, & cõfũdaris. 3. ex.* 1. Corinth. 4. *Vt discatis supra id, quod scriptum est non sapere.* 4. ex illo Apocalyp. vltimo: *Si quis apposuerit adhæc, apponet Deus super illum plagas Scriptas in libro isto.* 5. *ad Galat.* 1. *Sed licet nos, aut Angelus de Cælo Euangelizet vobis, præterquam Euangelizauimus vobis, Anathema sit.* Ergo, Verbo Dei Scripto, non sunt addendæ Traditiones.

101 Resp. ad 1. loc. Primò, inibi vtrumque verbum comprehendi, Scriptum, scilicet, & Traditum; idquæ ex Verbis eiusdem loci euidentèr eruitur, nam ibi non dicitur, *Nõ addetis ad Verbũ quod scripsi, sed quod ego præcipio.* At verò, præceptum, potest fieri Verbo, tum Scripto, tum Oretenus prolato seu Tradito.

102 His, Protestantes opponũt illud Iosue cap. 1. *Non recedet volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo.* Igitur nomine præcepti, venit tantùm Verbum Scriptum.

103 Resp. quòd neque in hoc loco reperitur particula taxatiua; non enim dicit ibi, non recedet tantùm *volumen istud &c.* neque *meditaberis* tantùm *in eo*; & ita, vtique dicimus, debere nos Sacras Scripturas, cum prædicamus, habere in ore, & hoc præceptum fuisse Iosue: tamen ipsemet Deus præcipit nobis psal. *Interroga Patres tuos, & dicent tibi. &c.* Ac sic, ad Traditiones remittit. Et hoc est quod nos dicimus; vtrumq; scilicet, Verbum requiri. Igitur, cum Deus remittit Iosue ad volumen scriptum, non per hoc tollit, quod pro rebus fidei, Sacra Traditio non possit adiri: Deuteronom. enim cap. 17. præcipitur vt adeantur Sacerdotes, ex quorum labijs, seu verbis ore Traditis, & non scriptis, debet expectari sententia, & determinatio Cõtrouersiarum fidei.

104 Resp. 2. ad loc. principale: Et dicimus, Ibi tãtũ præcipi, nihil addendũ repugnans, aut alienum ab ijs quæ præcepta sunt in Scriptura, vt colligitur ex his quæ dicuntur ibi cap. 12.

105 Ad 2. loc. dicimus, ibi Prohiberi ne fiat additio Sacræ Scripturæ, recipiendo in Sacro Librorum Canone aliquam Scripturam, quæ non est Canonica, neque ab Ecclesia vt talis declarata, quod etiam; & ipsi Protestantes non inuiti fatentur, vt dicemus in sequẽti Tractatu de Libris Canonicis. Et sicut Pentatheuco additi sunt Prophetæ, & Veteri Testamento, Nouũ; nec hi libri sunt additio, sed integratio priorum; ita, Sacrum Verbum Traditum est integratio Regulæ fidei, constituens regulam adequatam eiusdem, dicente Apostolo Tessal. 4. *Orantes, vt videamus, faciem vestram, & compleamus ea, quæ desunt fidei vestræ* ideſt, ait S. Thomas ibi, *quædam fidei secreta, quæ necdum Apostolus eis prædicauit in sua nouitate*, scilicet initio conuersionis 1. Corinth. 3. *non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* Idque, verba adducta in argumento, non obscurè significant, dum ibi in plurali dicitur, *Verbis eius*, non in singulari, *Verbo eius*; ad denotandũ vtrumque Ver-

bum tum Scriptum, tum Traditum; quibus qui addit, vel spurias Scripturas, vel commentitias Traditiones ab Ecclesia non examinatas, & approbatas suscipiendo, dignus est qui redarguatur, & confundatur.

106 Ad 3. loc. Respondet Theophilat. ibid. ea ab *Apostolo* fuisse prolata, ad deprimendam quorumdam superbiã, *Superbiam (ait) interdicit. Qui maior est fiat sicut minor. &c.* Nam, alibi *D.* Paulus præcipit, *tenete Traditiones quas didicistis, &c.*

107 *Ad* 4. loc. dicim' ea esse dicta cõtra Hæreticos, qui adiectione, trũcatione, & transmutatione Scripturas deprauant, vt facit Caluinus; qui, vt commentum suum de fide Iustificante ex Scriptura stabiliret, ad ly *fides iustificat*, addidit ex suo cerebro, ly *sola*: Et Marcion, ex eadem Scriptura quædam corrosit, vnde à Tertulliano lib. de Carne Christi cap. 7. vocatur, *Mus Ponticus*. Vel dicimus, Ioannem ibi tantùm velle ne corrumpatur liber ille *Apocalypsis*, non verò nè scribantur alij libri, vel alia fidei mysteria tradantur; aliàs, se ipsũ redargueret, qui, vt ait kemnitius in exam. Concil. pag. 202., post *Apocalypsim*, Euangelij librum edidit,

108 *Ad* 5. loc. ex Epist. ad Galat. 1. dicimus; quòd lij *Præter*, idem valet ac *contra*; ex D. Augustin. lib. 17. cont. Faust. cap. 3. alioqui, D. Paulus secum pugnasset, ac sibi ipsi, (qui multa postea scripsit, & docuit) ac *D.* Ioanni *Apostolo*, qui post illam Epistolam ad Galatas, suum Euangelium, & Apocalypsim edidit, *Anathema* diceret; quod quidem absurdum est, vt obseruat Lindanus ex *D.* Augustino tract. 98. in Ioann. vbi dicit: *Non ait (Paulus) plusquam accepistis, sed præterquam, nam si illud diceret, sibi præiudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, vt suppleret quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minùs erat, non quod inerat tollit. Qui autem prætergreditur regulam Fidei, non accedit in via, sed recedit de via.*

109 Vel dicendum, Paulum non loqui de ijs quæ scripserat, sed de his quæ sine scripto tradiderat; & præter hæc, vetat aliquid Euangelizare.

110 Vel, si loquatur de ijs quæ scripserat, cùm ibi scriptum videbat Traditiones debere teneri, & recipi, 2. Thessal. 2. *Tenete Traditiones* &c. alibi; consequenter, rectè colligitur; quòd si Angelus de Cœlo dicat, *Traditiones* esse reijciendas, nõ propterea sunt reijciendæ; sed reijcienti, *Anathema* dicit Apostolus.

111 Arguunt 6. ex alijs Scripturæ testimonijs, quibus *Traditiones* damnari existimant Protestantes. Isaiæ 29. *Inuanum colunt me docentes mandata, & doctrinas hominum*; iuxta Christi explicationem Matth. 15. vbi etiam dicitur: *Irritum feciſtis mãdatum Dei propter Traditiones vestras.* Ex illo ad Coloss. 2. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanẽ fallaciam, secundùm Traditionem hominum.*

112 Resp. ad 1. loc. ibi, non damnari Traditiones veteres per manus acceptas, nam vt ex Protestantium doctrina vidimus supra, præsertim ex Lãberto Danço, *vera pietas* ac *Religio ab Adamo posteris per manus tradita fuit:* sed damnat *Traditiones* quorumdam Rabinorum, vanas quidèm, nouas, falsas, & commentitias, de quibus Rabinis D. Cyrillus lib. 3. in Esaiam, ait: *Traditiones quasdam vanas, de nouo sibi met fabricantes, pios se putabant, & bonos.* Atq; hi, in pœnam execrandi facinoris, fuerunt à vera Scripturarum intelligentia excluſi eodem Cyrillo teste. Adhuc enim ex Protestantium doctrina manifestum est, clauem interpretationis, ac intelligẽtiæ Scripturarum, ex Traditione Ecclesiæ haberi; vnde, Caluinus lib. 4. Instit. cap. 1.

Digitized by Google

cap. 1. §. 5. ait: *Sicut olim* Deus *non contentus fuit sola Lege, sed Sacerdotes addidit interpretes, ex quorum labijs populus inquireret verũ illius sensum; ita hodie &c.* Qui autem hac Traditione carent, hac intelligentia sunt priuati.

113 Ad 2. loc. dicimus, ex Hieronymo in cap. 3. epist. ad Timoth. & in cap. 8. Esaiæ, quòd ibi Christus non damnat Traditiones Iudaicas antiquas à maioribus acceptas, inter quas, vna erat illa de libris Canonicis, qui scilicet erãt Diuini, qui nõ: sed quasdam traditiones nouas, & commentitias, nuper excogitatas à quodam Sammai, & Hillel, & quidem vanas, prophanas, contra Scripturas, & præcepta legis; qui Rabini ante aduentum Christi eas, quas diximus, vanas, & commentitias Traditiones, in Deuterosin inseruerunt, ibique multa fabulosa, & cõtra Scripturam coaceruarunt ex D. August. lib. cont. Aduersarios Legis, & Prophetarum cap. 4. vt est illud fabulosum, scilicet, quòd Deus, Adamo, duas creauit mulieres, & similia. Hęc autem Deuterosis à Iustiniano Cæsare in Constitut. 146. Nouell. prohibita est, quippe quæ figmentis Talmudicis, viam strauit. *Quæ Deuterosis, (*ait Iustinianus*) quasi secundaria Traditio ab ipsis dicitur, in vniuersum interdicimus, vt quæ Sacris Literis comprehensa non sit, neque desuper Tradita per Prophetas, sed excerpta quædam virorum contineat, qui terrena dumtaxat loquuntur, nec quidquam in se diuini habeat numinis.* Has ergo fabulosas Traditiones dãnauit Christus.

114 Ad 3. loc. dicimus; Apostolum, ibi tantùm damnare Hæreticorum fallacias, quibus inter differendum vtuntur, quibusque (vt ait Gregorius Nanzianzenus Orat. 33. *velut aranearum telis* fideles *infirmiores illaqueant*; Vndè, idem Nazianz. ibid. Aeunomium, simili inani Philosophia Catholicos decipientiam, sic alloquitur: *Cur Dialecticorum agmen nobis extempore producis, non aliter, ac fabulæ olim gigantes?* Quare Tertullianus de Præscriptionibus cap. 7., ad hunc Pauli locum vertens oculos, eum sic legit: *Apostolus subdit: Videte nè quis vos circumueniat per Philosophiam, & inanam seductionem, secundùm traditionem hominum, præter prouidentiam Spiritus Sancti.* Traditiones autem à nobis assertæ, non sunt sicut fallax illa Philosophia hæreticorum, & maximè Gnosticorum, quibus cum Apostolis bellum indixerat; *Vel præter prouidentiam Spiritus Sancti*; quin potius à Spiritus Sancti prouidentia prodierunt, vt ipsi met Protestantes fatentur. Præcipuè, doctus ille Protestans Sarauia in Tract. de diuersis Ministrorum gradibus, &c. loquens de Scripturæ interpetratione, quàm ex traditione habemus, ait: *Spiritus Sanctus qui Ecclesijs præsidet, verus est Scripturarum interpres: ab eo igitur est petenda vera interpretatio: & cùm is sibi non possit esse contrarius, qui primitiæ Ecclesiæ præsidet, per Episcopos eam gubernauit, ipsos nunc abijcere, consentaneum veritati non est.* Et Bundius Protestans in tract. Pacific. pag. 84. de Ecclesia Romana, & Traditionibus, ait: *Ecclesia Romana in professione veræ Fidei permansit, ex quo ab Apostolis Fidem Traditam accepit, quod sanè est opus Spiritus Sancti.*

115 Arguunt 7. Caluinus lib. 4. Instit. cap. 8. §. 16., Kemnitius Vuhitakerus, & alij. Ex Theodoreto lib. 1. cap. 7. Constantinus Imperator in Concilio Nicæno, sic Patribus ait: *Habetis Spiritus Sancti doctrinam præscriptam: Euangelici enim libri, nec non antiquorum Prophetarum oracula, plenè instruunt nos sensum numinis.* Non ergò pro dogmatibus finiendis, debemus ad Traditionem recurrere &c.

116 Respon. 1. admittendo, quod ad solas Scripturas confugiendum dixe-

dixerit Constantinus; illud tamen, dicimus, ideo esse factum; quia, cùm Ariani in illa concertatione de Filij Dei Consubstantialitate, fuerint protestati, se, nihil nisi Scripturas recipere velle; vt res, Christiana Charitate, & sine litigio terminaretur; Constantinus, ad solas Scripturas prouocauit, ad euitandũ iurgia.

117 Respondetur 2. concedendo gratis, Constantinum Imperatorem Laicum, ijs verbis, Patres fuisse alloquutum; quid indè? Numquid dogmatum decisio, ex Laicali Magistratu est expectanda? Absit. Hoc in illo Sacro Patrum consessu fuit declaratum; dùm, non ex Scripturis vt volebat Constantinus, sed ex sola Traditione peracta res est, solaque Traditione Ariani damnati sunt, vt non grauatè confitentur Protestantes in vltima Probatione adducti, signanter Caluinus lib. 1. Inst. cap. 13. §. 4. vbi hanc rem versans, inquit: *Qua flexibilem hominis (Arij) vafritiem è latebris extraherent Veteres*, in Conc. Nicæno, *vltrà progressi sunt, Christum pronunciantes Patri consubstantialem. Hic efferbuit impietas, dùm nomen Homousion pessimè odisse, & execrari Ariani cæperunt.* Sed & antea, in eodem cap., §. 3. contrà eos inuectus est, qui ea nomina ex Scriptura exigebant, eamque ibi, *iniquam legem*, appellat. Videndus est etiam Illyricus hic, in vltima probat. citatus.

118 Imò, ex eodem Theodoreto ibid. cap. 8. apertissimè constat, Patres in illo Concilio, non vt prætendebat Cõstantinus (si hæc erat Constantini mens) ex Scripturis, sed ex Sacris Patrum Traditionibus Arium damnasse; ipse .n. Theodoretus ibi, refert hæc Athanasij verba, in eodẽ Concilio Nicæno contrà Arium prolata: *Quod obrepunt, has voces in Scripturis non reperiri, frustra sanè, & te merè obrepunt. Nàm illi ipsi ex vocibus non scriptis in impietatem delapsi, voces quoque non scriptas, nimirum, (Filium ex nihilo creatum, & tempus fuisse quando non erat) ad suum errorem confirmandum afferunt, Quapropter, ex non scriptis vocibus, pie tamen excogitatis, damnati sunt. Ipsi enim, voces sui erroris ex stercore eruentes, vti verè terrenos decebat, loquuti sunt. Episcopi verò non suopte ingenio verba excogitantes, sed à Patribus petentes testimonia, sic scripserunt.*

119 Cæterum, ex Gregorio Presbytero Cappadociæ epist. ad Theoph. compertum est, Constantinum, ad Traditionem prouocasse, dùm ibi Imperatorem Patres Concilij fuisse alloquutum his verbis, refert, *Agedum Patres omni studio, & diligentia efficiamus, vt per Propheticas prædictiones, & Apostolicas Traditiones sit exequutio, & comprehensio veritatis, extra turpe, & indecorum fratrum odium, & inanem doctrinam.*

120 Arguunt 8. cõmunitèr Protestantes, obijciendo, & cõsarcinando innumera fermè Patrum testimonia, quibus conantur Sacras Traditiones reijcere, ac damnare; nè autem sim longus mihi, & importunus tibi Lector eruditæ, ea missa facio, cùm sint à Controuertistis abbundantèr adducta. Eos ad eas.

121 Responsiones pro omnibus locis sunt assignãdæ. Vt ergò semel ab his tricis expediamur, vnaque fidelia parietem dealbemus, sequentia sunt operosè notanda.

122 Primò, Patres multotiès vehementèr Scriptum Dei Verbum commendare, ac Illustrissimis Præclarissimisque Encomijs celebrare, non quòd Sacras Traditiones infirment, vel reijciant; sed, vt homines, Sacrarum Scripturarum lectione illecti, animum à fabulosis lecturis auocent. Hic finis, hic scopus Patrum est, scilicet, Origenis in psalm. 17., Clementis Alexandr. 1. Stromatum, Basilij epist. ad Theologos, Chry-

Regulæ generales, pro solutione multorum argumentorum ex Patribus, cõtra Traditiones.

Digitized by Google

Chrysostomi homil. 35. in Genesim, Augustini lib. 2. de Doctr. Christiana cap. 9., & aliorum, qui validè Scripturas commendant; eò vel maximè, quia, in Scriptura Sacra mediatè, & implicitè omnia Fidei dogmata continentur, vt ait, D. Augustinus. Rem hanc egregiè expendit Theodoretus, qui exponens locum 2. Timoth. 3. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, arguendum &c.* ait, Apostolum his verbis, Scripturæ inculcasse vtilitatem, vt animos hominum legentium fabulosa, *quæ delectationem habent, non vtilitatem*, à fabularum lectura ablactaret: & vt ait Chrysostomus in hunc locum, *Si ad earum studium dilectum discipulum, (Thimotheum) & Spiritu Sancto plenum adhortatur, quanto magis alios?*

123 Secundò, si quandoque vel ab Apostolo, vel à Patribus Scriptura Sacra vocatur *Regula Fidei*; tùnc intellige, quòd vtique sit *Regula*, sed *inadequata*. Adequata autem Fidei Regula, est Verbum Dei, siuè reuelatio Dei Ecclesiæ facta, quæ Scriptura, & Traditione completur. Ideoque harum neutra, omnia Fidei Mysteria mensurat, cum aliquid sit Fide credendum quod est Scriptum, aliquid quod non est scriptum.

124 Tertiò, communitèr Patres docent, quòd quando aliquid asserit humana præsumptio, sinè testimonio Antiquitatis, ac Traditionis; tùnc, recurrendum est ad Scripturas.

125 Quartò, quando Scripturæ loca manifesta sunt, & ex ipsis clarè possunt res controuersæ, siuè ad dogmata, siuè ad mores spectantia, definiri; tùnc, solæ Scripturæ debent vrgeri.

126 Quintò, Quando disputatur cum aliquo hæretico solas Scripturas admittente; tùnc Scripturis admissis, ex Scriptura probatur Traditio; tùm quia Scripturæ non nisi per Traditionem habentur; tùm etiam, quia Scripturæ clamant, Traditiones esse admittendas.

127 Sextò, tùnc solum ad Scripturam confugiendum est, quando *Aduersarius* producit loca Scripturæ mutilata, & falsata, quæ ex alijs eiusdem Scripturæ locis debent demonstrari esse falsata; auctoritatem, contrà auctoritatem falsò adductã, vrgendo.

128 Septimò; Quando *Aduersarius* ab humana ratione, vel ab humana auctoritate petit argumentas; tùnc, Scripturæ sunt præferendę, & in aciem adducendæ, ex quibus infallibilia sumuntur testimonia. Hæc sentiunt, hæc docent Patres, quando solas Scripturas commendant.

129 Octauò, Præcipuus, & proprius Scripturæ finis, non est vt sit Regula Fidei, sed vt esset Commonitorium vtile, ad conseruandum doctrinam oretenus à Christo, & *Apostolis* Traditam per prædicationem. Nàm, regula Fidei debet continere ea, quæ *ex se* ad fidem pertinent, vt patet in Symbolo *Apostolorum*, quod breuis quædam Fidei regula est; in Scripturis autem non omnia, *ex se* ad Fidem pertinent, ideſt, aliquæ in Scriptura sunt, quæ non ideo scripta sunt, quia erant necessariò credenda, sed ideo sunt necessariò credenda, quia scripta sunt. Qui nam sit finis Scripturæ.

130 *Atque* per hactenus dicta, ab omnibus Scripturarum, & Patrum testimonijs, quæ fortè contrà nos Aduersarij vrgent, erimus breuitèr expediti.

131 Ad extremum, si omninò Protestantes obstinatè velint, aliquos Patres particulam taxatiuam apponere, dicendo, *salis* Scripturis esse inhærendum: meminerint eruditi, particulam taxatiuam, non excludere à concomitantibus, & eiusdem naturæ; sed ab extraneis, & diuersæ naturæ: cùm enim, tùm Scriptum, tùm Traditum, vterque

sit

Digitized by Google

sit Verbum Dei, ac veluti eiusdem Patris Filij, & vnum ex alio probetur, adhùc apposita illa particula taxatiua, *sola Scriptura*, &c. non per hoc excluditur Traditio; eò vel maximè, quia in Scriptura est expressa Sacra ipsa Traditio; & vicissim, Scriptura, sola Traditione probatur quòd Sacra Scrip. sit, vt pluries ex Aduersariorum doctrina demõstrauimus.

132 Arguunt 9. præcipuè Brentius apud Soto in defens. Cathol. fol. 181. ex Rationibus. Omnis falsa Religio suas habet traditiones, propter quòd reprehensibilis est; Hinc D. Paulus Galat. 2. se ipsum reprehendit, eò quòd *Aemulator extiterit Paternarum Traditionum*. Ezech. 20. dicitur: *In præceptis Patrum vestrorum nolite incedere*. Et 1. Petr. 2. *Redempti estis de vana cõuersatione paterna vestra Traditionis*. Ergò reijciendę.

133 Respondetur, concedo totum de vanis, idolatricis, & fabulosis traditionibus, de quibus loca adducta loquuntur; hæc enim vtique sunt reijciendæ, non item Traditiones ab Apostolis, & Apostolicis viris acceptę, & vsq; ad nos fideliter, per manus successorũ eorumdẽ, deriuatæ. Vndè in simili S. Pater Augustinus epist. 49. dixit. *Qui Christianas literas vtriusq; testamenti sciunt, nõ hoc culpat in sacrilegis Ritibus Paganorum, quòd cõstruant tẽpla, & instituant Sacerdotia, & faciant sacrificia, sed quòd hæc Idolis, & Dæmonibus exhibeãt.* Et mox rationem adijcit. *Cùm hæc exhibentur Deo secundùm eius inspirationẽ atq; doctrinam, vera Religio est: Cùm autẽ Dæmonibus secũdùm eorum impiam superbiã, noxia superstitio est.* Ità pariformiter in casu nostro: cũ Traditio vana est, & superstitiosa, Diabolica est; cùm verò Apostolica, Sancta est, ac Diuina, & Religiosa.

Vana nõ vera Traditio damnãtur in Scriptura.

134 Arguunt 10. Multa potuerunt ex humana negligentia, & obliuione excidere, quæ tamen ad Traditionem pertinent: & videtur impossibile, huiusmodi non scriptum, sed dumtaxat Traditum Verbum, hactenus conseruari, ergò &c.

135 Respondetur, quod potiùs est impossibile oppositum: nàm, non ab hominibus, sed à Deo est, vt in Ecclesia sit Sacrum Depositum Verbi Traditi, ipse enim suam Ecclesiam regit: qui, sicut vsque ad præsens eam conseruauit, & ab insidijs, & oppositionibus potentiæ huius sæculi, Imperatorum scilicet Schismaticorum, Hæreticorumq; defendit; & sicut Traditiones ab Origine Mundi vsq; ad Moysen, & Scripturas à Moyse vsq; ad hanc diem conseruauit: Ita, potuit & Sacras Traditiones, à Christo, vsque ad præsens illibatas custodire. Et iterùm, sicut ex continuo vsu lingnæ Italæ, lingua Itala, vel alia, semper conseruatur; ita, quis prohibet, quin, ex continuo vsu Traditionum à Christo vsque ad nos, Traditiones non conseruentur? Præterea, Deus sua prouidentia, facit ex veneno pharmacum, idest, vtitur hæresi ob Traditiones conseruandas; nàm. secula tim insurrexerunt hæreses, & vicissim seculatim surrexerunt viri pietate, & doctrina insignes, qui hæreses profligarunt, ac quamdiligentissimè Ecclesiæ doctrinam, Traditionesque Patrum Antiquorum operosè inuestigarunt, ac fideliter posteris commendarunt. Indè factum est, vt ex cõtinuo litigio cum hæreticis, Traditiones custodirentur semper intactæ; etenim, experientia compertum est, quòd qui per longum tempus, sinè vlla prorsus contradictione, vlloque litigio aliqua bona pacificè possidet; facilè authenticas Scripturas, ac instrumenta, quibus legitima, seù iuridica bonorum possessio continetur, amittit; Qui autem continuò litigat, summam semper diligentiam adhibet, nè Scripturas, quibus ius suum continetur, amittat.

Traditiones nunquam interituras, aptissimo exemplo demonstratur.

136 Ar-

Digitized by Google

136 Arguunt 10. ex incomodis. Semel admissa Traditione, datur occasio, vt multa falsa, & commentitia in Ecclesia proponantur sub nomine Traditionis; & sic, humana garrulitas triumphabit. Quòd confirmatur ex eò, quia Irenæus lib 2. cap. 39. ex traditione docet, quòd Ætas Christi erat quinquaginta annorum, quando passus est. Præterea, Sepultura Adæ in Caluario, esto à plerisque Patribus asseratur; à multis tamen, vt commentitia, communitèr exploditur. Rursus, Regnum Christi hic in terris futurum mille annorum post communem Resurrectionem, ex *Traditione Apostolica* asseritur à Papia apud Eusebium; quòd commentitium est. Tandem, Mors Zachariæ occisi inter Templum, & Altare, à nonnullis asserta, tamquam non authentica reijcitur à Hieronymo in cap. 27. Matthæi. Ergo nè his tricis implicemur, debemus Traditiones reijcere.

137 Antequam Respondeamus ad argumentum, *A*duertendum est contra Kemnitium, quòd tantùm ea *T*radita, firma fide credenda dicimus; quæ non quidèm ab vno vel altero Patre, vel ab imperita Plebe vt diuina asseruntur; sed quæ, oretenus a Christo, per Apostolorum manus vniuersalis Ecclesia, familiari Traditione suscepit; & susceptas, suscipiendas esse à fidelibus, eadem Ecclesia tacita, vel expressa definitione sanciuit. His positis.

138 Resp. 1. quòd nulla ex Traditionibus adductis in argumento, est ab Ecclesia vniuersali, & à Patribus, vt Diuina, & *A*postolica suscepta, & declarata: Et quidèm, *T*raditio Irenæi de Christi ætate, ad incertas, & parum solidas traditiones reuocat Ecclesia; eamque, teste Cano, hausit à Papia; qui vt ait Eusebius lib. 4 histor. cap. 39. *fuit exigui sensus, vir, & minus capacis*, vt ex his quæ scripsit euincitur. Cæterum, Baronius putat, hanc fuisse impostu-

Falsa sententia de ætate Christi quãdo mortuus est, reijcitur, & vera confirmatur.

ram Irenęo affixam; quod fundamento non caret,; quandoquidem idem ipse Irenęus ex Euangelio colligit, Christum, anno ętatis suę trigesimo baptizatum fuisse, & tria enumerat Pachata, quorum tertio Christum fuisse Crucifixum affirmat; & in fine eiusdem cap. 39. dicit, quòd Christus *Passus est adhuc iuuenis existens, qui nedum prouectiorem habebat ætatem.* Si ergo iuuenis, quomodo quinquaginta annorum?

139 Secundo, Traditio de Sepultura Adæ in Caluario, ad Adiaphora spectat; nec est solidę veritatis, sed potius, vt ait. D. *T*homas 3. p. q. 46. art. 10. aures populi mulcet.

Adæ Sepultura in Caluario, non est solidæ veritatis.

140 Tertiò, *T*raditio de Regno Christi mille annorum post communem resurrectionem, anile deliramentum est, à Papia ortum, qui, vt ait Eusebius vbi supra, *corporalitèr, & literalitèr mystica intellexit.*

Regnum Christi mille annorum post Iudicium, est fabulosum.

141 Quartò, Historia de Patre Sancti Ioannis Baptistæ Zacchariæ inter templum, & altare occiso, *A*pochrypha est, quã, sicut & id generis alias, siue peregrinas, siue minus sanas, cùm nec ab vniuersali Ecclesia, nec à Patrum choro suscipiantur; nec volumus, nec asseueramus, sed inter *A*pochryphas reijcimus.

Zachariæ occisio Apochrypa.

142 Respondetur 2. ad *A*rgum. principale; quòd dum multum probat, nihil probat. Si enim benè probaret, quòd semel admissa *T*raditione, sterneretur via, vt quisque posset traditiones commentitias in Ecclesiam inuehere; probaret etiam ex hoc capite, Scripturam esse reijciendam; quia, multi libri pernicioſi, & suppositij, fuerunt speciosо Librorum Canonicorum purpurisso in Ecclesiam inuecti, vt patet de Euangelio Thomæ *A*postoli, Bartholomæi Apostoli, & de Epistolis quæ, falsò sub nomine D. Pauli, à Pseudoapostolis scribebantur ad

Sicut Traditum, sic & Scriptũ Dei Verbum potest adulterari.

Digitized by Google

fideles: vnde factum fuit, vt *D.* Paulus 2. *Tessal.* 2. scriberet: *Ne terreamini, neque per sermonem, neque per Epistolam, tamquam per nos missam*; nam, tunc Pseudoapostoli, sub nomine D. Pauli, & ore tradebant, & scriptis promulgabant multa falsa, *tamquàm per Epistolam à D. Paulo missam*. Sicut ergo, ex illo capite, non licet Scripturam reijcere; ita ex eodem capite nefas est Sac. Traditiones non acceptare. Et sicut, ne erremus, eũ Scriptum Verbũ recipimus, quòd est ab Ecclesia approbatum; ita, vt dictum est, ne fallamur, eum *V*erbum *T*raditum retinemus, quod à Christo, & ab *A*postolis Ecclesia familiari traditione suscepit, ac *D*ei Verbum esse declarauit.

LECTIO III.

De æquali auctoritate vtriusque Verbi Scripti, scilicet, & Traditi.

1 FIrmitèr, Catholicèque sustinemus quòd, quocumque modo veniat ad nos, sono vel scripto, idem est Verbum Dei semper. Mutat habitum, non naturam; & vt flumen in cursu ripam, non vndam; & vt epistola per viam cursorem, non veritatem. Vt ergo Filiæ Regis, & si mutet habitum, non negatur obsequium, dum officium constat; ita voci Dei, par honor vbique deferendus, quia par vbique debetur, cùm sit Diuinę mentis idẽ vtrobique partus, corde Christi cõceptus, ore editus, gremio fidei enutritus. Et vt multa paùcis absoluam, vtrumque Verbum Scriptum dico, & Traditum, eodem quidem fonte promanat, sed diuersum per canalem; vtrumque tandem Dei. Circa quod, videte.

Mendacium Protestantium.

2 BRentius in Prologom. cap. de Tradit. apertè fatetur nullum Verbum Traditum, esse Sacris Scripturis æquandum, his verbis: *Non contenti* (Pontificij) *Scriptura diuinitus commendata, & confirmata: iactant, Apostolos multa tradidisse posteris sermone, quæ non minorem habent auctoritatem, quàm quæ Scripto mandata sunt.* Et apud Hosium lib. 4. idem *B*rentius ibidem, ridet Sanctum Patrem Basilium, Sacrum Dei Verbum Traditum commendantem lib. 1. Stromat. cap. 10., *V*niuersalis (ait Brentius) *Basilij hyperbolæ de Traditionibus non scriptis, quòd eamdem vim habent ad pietatem, sicut & illa, quæ in Scriptura instituta, & mandata sunt, nullo modo potest consistere.*

3 Accinit Kemnitius in exam. Concil. Trid. fol. 478. sess. 4., vbi de Catholicis, ait: *Insignis audacia est, Maiestati, & auctoritati Scripturæ Catholicæ aliquid æquare.*

VERITAS CATHOLICA

Par, vtrique Verbo inhæst auctoritas.

4 PRobatur, generalibus Principijs Protestantium inhærendo, ex Sacra Scriptura, ac totius Antiquitatis consensu. Primò ex Scriptura; nàm, in promptu est Doctoris Gentium irrefragabile testimonium: 1. Timoth. 3. ait: *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti*; vbi nomine *Formæ* intelligit exemplarem, seù Regulam: & rursus, 2. Corinth. 10. vniuersam doctrinam quam tùm voce, tùm Scripto tradiderat, fidei regulam vocat: *Spem habentes* (ait) *crescente Fide vestra, secundùm Regulam nostram in vobis abundantèr magnificare.* Neque enim aliqua doctrina quæ *D*ei non sit, ad Fidei formam, & Regulam reuocari potest.

4 Præ-

Digitized by Google

Æqualis vtriusq; Verbi auctoritas commendatur à D. Paulo.

5 Præterea, idem Apostolus 2. ad Thessal. 2. indiscriminatim hortatur eos, vt seruent ea, quæ ab ipso, siuè scripto, siuè voce tenus acceperãt, his verbis: *Itaque fratres, state, & tenete Traditiones quas didicistis, siuè per sermonem, siuè per epistolam nostram*: ex quibus verbis, hanc consequentiam infert Chrysostomus homil. 4. *Hinc patet, quod non omnia per epistolam Apostoli tradiderunt, sed multa etiam sine literis, eadem verò fide digna sunt tam ista, quàm illa. Itaque Traditionem Ecclesiæ, fide dignam putamus. Traditio est, nihil quæras amplius. Ostendit hic multos à Traditionibus fuisse dimotos.* Ergò certum est, Verbum Dei Traditum parem habere cum Scripto auctoritatem.

Si non extarent Sacræ Scripturæ, sola Traditio sufficeret.

6 Probatur 2. Auctoritate Veterum, idipsum autumantium. D. Irenæus lib. 4. cap. 4. de hoc argumento, ait: *Si neque Apostoli quidèm Scripturas nobis reliquissent, non nè oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant Ecclesias?* Igitur, si Fides, si Religio, si Ecclesia vera, & integra vigeret sola Traditione contenta, in casu quo Apostoli nihil omninò scripsissent; certò certiùs est, vtrumque Dei Verbum, Traditum scilicet, & Scriptum, æqualem habere auctoritatem in rebus Religionis, & Fidei.

7 D. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. inquit: *Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripto prodita; quædam rursus ex Apostolorum Traditione in Mysterio, ideſt, in occulto tradita recepimus: quorum vtraque parem vim habent ad pietatem.* Idem repetit lib. 1. Stromat. cap. 10. quem locum, cùm Brentius non valeat infirmare, Basilij hyperbolem per audaciam appellat.

8 Tertullianus, post recitatas multas huiusmodi Traditiones nullibi scriptas in lib. de Præscript. inquit: *His exemplis renunciatum erit, posse non scriptam Traditionem in obseruatione defendi.*

8 S. Maximus Martyr in Commentario S. Dionysij de Diuin. nominibus cap. 1. de pari vtriusq; Verbi auctoritate, sic loquitur: *In eodem ordine constituendæ sunt Sacræ Scripturæ, & Episcoporum Traditiones.* Si ergò in eodem ordine, etiam in eadem dignitate, & auctoritate.

9 S. Cyrillus Alexandr. lib. 4. Dialogorum disputans cum Hermia, ait: *Non debere curare aliorum procacitatem, qui probatam mentem nobis auferunt, sed magis Fidei Canonem rectum, & non peruersum, hoc est sermones ab Apostolis factos, nec alijs, quàm ipsis applaudere oportet, & dicere. Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et rursus apertiùs homil. 8. & 30. in rem nostram, inquit: *Commentitias fabulas defugiens: Fidem autem habens, quæ in simplicibus rationibus posita sit, ac Traditionem Ecclesiæ tanquam Thesaurum quendam in penetrali cordis recondens, amplectere occupationes Deo gratas, vt non solum fide splendeas, sed officij pietate luceas.*

10 S. Hieronymus aduersus Luciferianos cap. 4. de Sacris Traditionibus, earumq; infallibili auctoritate, illud protulit: *Et si Scripturæ auctoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret; nam, & multa alia, quæ per Traditionem in Ecclesijs obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt.*

11 S. Augustinus epist. 86., quæ est ad Casulanum, huic veritati testimonium perhibet, his verbis: *In his rebus in quibus nihil certò statuit Scriptura, mos populi Dei, vel instituta Maiorum pro lege tenenda sunt.* Ergò ex Veterum Patrum doctrina, habemus quod intendimus.

12 Probatur 3. Ratione. Omne, & solum Dei Verbum quoquo modo illud habetur, siuè Scriptura con-

consignatum, siuè voce Traditum, veræ Fidei Regula est; Nec enim aliqua doctrina, quæ Dei non sit, ad Fidei regulam reuocari potest; cũ illa doctrina hominũ Regula sit, quæ suaptè natura est infallibilis, ac Deũ habet auctorem; sed vt vidimus initio primæ probationis ex Apostolo, & iterùm patet ex Tertulliano de Præscript. cap. 87. Traditio est Regula, dixit enim, *In ea regula incedunt quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit.* Igitur, dicendum, vtrumq; Verbum Dei, siuè Traditum, siuè Scriptum sit, æquè pro Fidei Regula haberi, parique auctoritate potiri.

13 Probatur 4. specialibus Principijs, & testimonijs Protestantium inhærendo. Rident more stultorum Hæretici, quæ à Romanocatholicis, robustissimis firmamentis stabilita, in disputationum aciem proferuntur; ea verò, quæ eorum quisque pro sui cerebri libito (quod quidem in omnibus spiritum vertiginis patitur) fabricant, tamquam certum fidei dogma proponunt. Brentius S. Basilium ridet, in pœnam Sardonici risus, suis se manibus iugulat, dùm se ipsum corrigit in Prologom. cap. de Tradit.: ibi enim asserit, *Christum multa dixisse, fecisse, instituisse, ac Apostolis tradidisse, quæ tamen scripta non sunt.* Et rursus, apud Lyndanum lib. 1. Panopliæ cap. 3. & 4., tractans de Traditione Scripturarum, quæ ad nos per Maiorum manus continuata successione fidelitèr deuenerunt, ait: *Hanc Traditionem affirmamus esse certam, firmam, & indubitatam, imò necessariam, ac omnibus modis amplectendam.* Si ergò Traditio hæc, est indubitata, necessaria, certa, & modis omnibus amplectenda, æqualem cum Verbo scripto habet auctoritatem, contrà id quod antè dixerat, ac Catholicis improperauerat.

14 Martinus Kemnitius in exam. Concil. Trid. sess. 4. pro Sacrarum Traditionum auctoritate, falsus est *Apostolos multos Ritus tradidisse, & ordinasse Ecclesijs, qui in Scriptura annotati non sunt, sed tantùm ab Apostolis Traditi.* Rursus, idem Kemnitius apud Lyndanum lib. 1. Stroma t cap. 13. pro nobis, inquit: *Valeat id quod Paulus ait: Tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam:* & postea subdit: *Hic verò in controuersia adhùc positum est; An vera sint Apostolicæ Traditiones, quæ à Pontificijs iactantur. Quando hoc probauerint, postmodum de illo Dicto Pauli disputent.* Ergò cùm ex illo D. Pauli loco euincatur vtriusq; Verbi æqualis auctoritas, iam erit expedita causa nostra; & dumtaxat nos inter & Protestantes lis erit, An hęc vel illa sit vera Traditio Apostolica, quòd, si semel constat veram esse Traditionem: hanc, non inuiti recipiunt tamquam æqualis auctoritatis cum Verbo Scripto. Cæterum, nos, Protestantes Charissimi, eodem medio quo probamus, Sacrã Scripturam per manus Maiorum ad nos deuenisse; probamus etiam, cæteras Traditiones, quæ in Ecclesia Romanocatholica obseruantur, ex animo in animum ad nos permeasse, ac ptocessisse.

15 Tandem exemplo rem capiant Aduersarij. Regis mandatum, eiusdẽ prorsus auctoritatis est apud subditos, siuè scriptum sit, siuè viua voce prolatum: & Verbum Dei similitèr, siuè Scriptum, siuè viua voce Traditum, eiusdem est auctoritatis. Rursus; Protestantes, Apostolorum doctrinam, quæ est scriptis cõsignata, ex eo vocãt Verbũ Dei, quia à Deo est inspirata: Pariformitèr, eadẽ doctrina, quæ tantùm voce est nobis ab Apostolis tradita, quam ipsi à Christo, & Christus à Deo accepit, Verbũ Dei est, ac æqualis auctoritatis cum Verbo Scripto; nam, sicut est Verbum Dei Doctrina Marci, Matthæi,

Lucæ,

Digitized by Google

Lucæ, Ioannis, & aliorum Apostolorum, quæ scripta est, quia Deus illam inspirauit; Ita, doctrina *Andreæ*, Philippi, *Bartholomæi*, Barnabæ &c., quam viua voce prædicarunt, Verbum Dei est; quia, sicut illis, ità & istis eam *Deus* inspirauit, *non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*: Nec minor Fides Apostolis qui non scripserunt, quam illis qui doctrinam fidei scripturis mandarunt, est adhibenda.

16 Arguunt 1. Tàm Hæretici, quàm Catholici, recipiunt Scripturas: *Traditiones* verò, soli Catholici: ergò maioris auctoritatis est Scriptura, Traditione.

17 Respondetur, negando suppositum: & quidèm, quis vnquam somniauit, hæreticorum testimoniũ additum testimonio Catholicorum, Catholicorũ testimonio nudè sumpto aliquid præponderare? Equidem, cùm Hæretici sint falsi, & illegitimi testes in causa Fidei, eorum testificatio, nullam adijcit fidei firmitatem; Quin, adiuncta testificationi Catholicorum, hanc potiùs imperficit, vel in suspicionẽ reuocat. Et quamuis hæretici putent, Scripturis firmiùs se credere, quia in hoc, cum Catholicis conueniunt; decipiuntur tamen, totoq; cœlo aberrant: quia, *Augustino* teste, per Catholicos, Scripturis est credendum: & sicut Catholicis (à quibus, vt ait Lutherus, Scripturas accipiunt hæretici) credendum est dicentibus, Scripturis credite; iisdem credendum erit, cum prædicant, *Traditiones* recipite. Et sicut Hæreticis non credimus Scripturas proferentibus; ita, nec eis credemus, Traditiones respuentibus.

18 Arguunt 2. Si Verbum *Traditum* haberet æqualem auctoritatem cum *Scripto*, æquale peccatum esset vtriusque transgressio: hoc est falsum; ergo &c. Prob. minor; Nullus dixit, æqualitèr peccare illum, qui præsctiptam formam Baptismi omitteret, ac qui exorcismis, paruulos uon insufflaret.

19 Respondetur, quòd sicut aliud credimus, quia est scriptum: vt quòd Canis *Tobiæ* ad huius præsentiam caudam moueret, quòd Zaccheus erat statura pusillus; & aliud est Scriptum, quia secundùm se est credendum, vt quòd Christus resurrexit à Mortuis: Ita, aliud creditur, quia traditum est; aliud traditum est, vt credatur. Et, sicut non æqualitèr peccamus transgrediendo ea, quæ scripta sunt; ita, neque æqualitèr peccamus, omittendo ea quæ tradita sunt: Multa enim ex vtroque Verbo habita, pertinent ad rerum substantias; multa, ad Cæremonias, vt est in casu argumenti; maximè, quando non omnia ex eadem *Traditione* Diuina promanant, sed vel ab Apostolica, vel ab Ecclesiastica, qua diuersi *Ritus* secundùm diuersas temporum exigentias sunt instituti.

Aliquid creditur quia est scriptum, aliquid est scriptum quia ex se est credendum.

20 Sed, vt video, Argumentum facit transitum ab *Auctoritate* Verbi Traditi, ad Omissionem rei traditæ. Nos dicimus, vtrumque Verbum æquali auctoritate pollere, quia vtrumque eiusdem *Dei* reuelantis: adeoque esse æqualis auctoritatis, sicut sunt ab eodem *Auctore Deo*: & ita, ea quæ sunt per vtrumq; Verbum reuelata, sunt æquali Fide credenda; quæ, qui non crederet, pari infidelitatis peccato peccaret, ratione æqualis, imò eiusdem rationis formalis, quę est Auctoritas *Diuina*, cui non crederet. Cùm autem loquitur argumentum de Omissione, scilicet, non esse æquale Peccatum omittere formam *Baptismi*, ac omittere exorcismum; hoc vtique verum est, quia Omissio respicit rem præceptam omissam, res autem omissę non sunt æquales, sed quędam tamen ex illèr sunt constitutę, vt pertinea

ad

ad Subſtantiam, quędam ad Cęremonias: abſque primis, (vt eſt in Baptiſmo forma eius) res infecta omninò eſt, nulloq; modo Baptiſmus aquæ conſiſtit; abſque ſecundis, habetur quidèm Baptiſmus, eiuſque ſubſtantia, adhùc in ſententia Lutheri, & Caluini in caſu neceſſitatis: tamen ſine ſòlemnitate.

21 *Arguunt 3.* Sæpè à Patribus Scripturæ, Traditionibus præponuntur, maximè ab Auguſtino, qui, Scripturas omnibus alijs documẽtis præfert, & in sũma auctoritatis arce locat. Inſuper Theologi, inter Theologicos locos, primũ Scripturæ tanquàm digniori tribuunt, Traditioni verò ſecundum. Ergò &c.

22 Reſpondetur diſt. antecedens quo ad primam partem, Scripturæ præponuntur omnibus documentis humanis, concedo ànt.; Diuinis, neg. antec. *At* Traditiones ſunt documenta diuina. Præterea; Theologi, inter locos Theologicos, primum Scripturæ tribuunt; non quia Scriptura maioris eſt auctoritatis Traditione: ſed quia Scripturæ Vniuerſaliores ſunt, & communiores; quippè quæ, tùm publicè, tùm priuatè leguntur; Non ſic autem Traditiones (quæ, vt ex D. Baſilio dictũ eſt) *Myſterium habent in occulto.*

23 Vel dicendum, quod Theologi ex eò videntur primum locum Scripturis aſſignare, non quia digniores ſint Verbo Dei Tradito, ſed quia Sacra Scriptura generatim ſumpta, pauciores habuit oppugnatores, & hoſtes, quàm Traditio; Quarè, doctrina fidei, & dogmata, potiùs impugnata ſunt Traditione ſuſcepta, quàm Scriptura negata: Imò, in impugnatione dogmatum, nulla ferè fuit hæreſis, quę Scripturas non allegauit; Et, nec Diabolus ipſe ſine Scriptura pugnauit, allegando, *Scriptum eſt, Angelis ſuis mandauit de te &c.* Ex quo factum eſt, vt Scripturis, primus daretur locus ad ſtabilienda dogmata impugnata; etenim, in hoc Principio Scripturæ, conuenimus cum Aduerſarijs. Mens autem Auguſtini, & aliorũ Patrum, de æquali vtriuſq; Verbi auctoritate, ſatis ſuperq; hic in 2. prob. eſt manifeſtata.

LECTIO IIII.

De Sacrarum Traditionum Vſu, quo Eccleſiaſtici Ritus, Mores, Fideique myſteria ſunt conſtabilita; & repugnantes Hæreſes profligatæ.

1 HActenus Sacram Traditionem Fidei regulam oſtendimus; *An* eiuſdem ſubſidijs egeamus, ad fidem Orthodoxam muniendam, Rituum ac Morum diſciplinam conſtabiliendam, Hæreticam perfidiam retundendam, ac profligandam, in præſentiarum inquirimus. *In* qua re. *Audite.*

Mendacium Proteſtantium.

2 NEceſſitatem vſus Sacrarum Traditionum in Dei Eccleſia, pro Fidei ſtabilimento, Diuini cultus promotione, Morumque compoſitione, negãt mordicùs Proteſtantes; qui, hoc totum per ſolum Verbum Dei Scriptum præſtari poſſe, autumant: hinc Caluinus in *Acta* cap. 24. huic Orthodoxum Praxi illudit, dicendo: *Ridiculi, qui Pauli ſuffragio quamlibet vetuſtatem probari fingant. Nos, inquiunt, Patrium Deum cum Paulo colimus, vt nobis conſuetudo eſt per manus Tradita. Quaſi verò vel ipſis (Papiſtis) iudicibus, eumdem clypeum Turcis, & Iudæis contra fidem Chriſti apponere. ſufficiat.* Et idẽ ibid. in cap. 16. dixerat: *Præiudicio nituntur, ne cauſa veniat in diſputationem, qualiter, & Papiſtæ hodie nobiſcum agunt. Hoc in generali Concilio decre-*

decretum est. Magis recepta est opinio quàm vt fas sit dubitare. Hoc, diutinus vsus approbauit. Hoc plusquam mille sæculorum consensu sancitum est. Sed quorsum hæc omnia, nisi vt verbo Dei nihil auctoritatis relinquant?

3 Brentius, apud Lindanum lib. 5. Panopliæ, sic garrit: *Quid miserius, quid ærumnosius esset Ecclesia filij Dei, si fundamentum fidei penderet ab Asoticis traditionibus?*

4 Et Cõfessio Vuittemberg. cap. de Scriptura, ait: *Omnia quæ ad salutem necessaria sunt, in Scriptis Propheticis, & Apostolicis continentur.* Hoc idem plerique Lutherani, & Caluinistæ conclamant.

VERITAS ORTHODOXA.

Sacrarum Traditionum Vsus, valet ad Fidem stabiliendam: mores componendos, Cultum promouendum, & Hæreses profligandas.

5 PRobatur, Generalibus Principijs Protestantium, inhærendo ex *Antiqua Praxi* Ecclesiæ, ac totius Vetustatis vnanimi consensu. Primò, ex Praxi antiqua, & vniuersali. Nam huiusmodi Traditionis vsus, est necessarius adhoc, vt hanc, & non aliam, tam nos quam Sectarij, Scripturam habeamus, atque sequamur; ex Traditione nanq; habemus, hanc Scripturam veram esse, cùm hoc haud possit ex ipsa Scriptura probari; sic enim, idem, per idem probaremus; Ex illa enim constat hanc, & non aliam Scripturam, nobis à Maioribus fuisse transmissam; vel si hoc negant Protestantes, ostendant nobis, vbi gentium extet, hanc veram esse Scripturam, vt addiscamus.

6 Secundò, Vsus eiusdẽ, est necessarius ad hoc, vt sciamus nõnulla ad fidem pertinentia; & præcipuè, Symbolum fidei, verè esse retinendum vt Canonicum, & Apostolicum, quòd quidem non ex Scriptura, sed ex Traditione habemus, vt ait D. Basilius libro de Spiritu Sancto cap. 10. *Omitto* (inquit) *cætera; ipsam fidei professionem, qua credimus in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, è quibus Scripturis habemus?* Symbolum Apostolorũ, Baptismus infãtium, & Baptismi vnitas, ex sola Traditione habentur.

7 Rursus idem vsus necessarius est ad hoc, vt sciamus, infantes esse baptizandos: vt. n. ait Origenes in cap. 6. epist. ad Roman. *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis baptismum dare.* Idem fatetur Augustin. lib. 10. de Genes. ad literam, cap. 23. vbi inquit: *Consuetudo Matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis, nequaquam spernenda est, neque vllo modo superflua reputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Et si hoc habent ex Scriptura Protestantes, ostendant. Præterea, Vsus iste necessarius est, vt sciamus, ab Hæreticis baptizatos, non esse rebaptizandos, vt ait Idem D. Augustinus lib. 2. de Baptismo cont. Donatist. cap. 7. *Quam consuetudinem* (de non rebaptizando) *credo ex Apostolica traditione prouenientem.* Et si hoc Aduersarij habent ex Scripturis, ostendant.

8 Item earundem Traditionum Vsus, necessarius est, pro legitima Scripturarum interpretatione, veroque earumdem sensu eruendo, vt ait Clemens lib. 1. Stromatum, *sic enim mystica* (ait) *mysticè traduntur, vt sit etiam in ore loquentis, id quod loquitur, potiùs autem non in voce, sed in intelligentia.* Etenim, cùm Scripturæ nihil respondere possunt interroganti, nisi ea, quæ scripta sunt, *necessariò* (sequitur Clemens,) *sẽper auxilio egent, aut eius qui scripsit, aut alterius qui eisdem instituit vestigijs.* Necessitas Traditionis iterum ostẽditur.

9 Denique, (vt multa omittam) illarum Vsus necessarius est, vt nobis constet, hanc esse formam Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris &c;* quæ si non pronuncientur,

tur, Baptiſmus eſt inualidus; hoc etiam Proteſtãtes admittunt, quod non, niſi ex *Traditione*, & per tot ſæcula perpetuata Eccleſiæ praxi, probari poteſt.

Sacramentorũ numerus ex Traditione habetur.

10 *Tandem*, Traditionum vſum neceſſarium eſſe in Eccleſia Chriſti, ex eo conuincitur, quòd nullibi in nouo Teſtamento Sacramentorum numerus determinatus inuenitur expreſſus, & in hoc tàm nos, quàm Proteſtantes cogimur conuenire, cùm hoc tamen diſcrimine, quod Romanocatholici credunt, numerum illum eſſe ſeptenarium, Lutherani plerique ternarium; Caluiniſtæ binarium; ſed quiſquis tandem ſit numerus hic, in Scriptura non eſt expreſſus. Catholici ex *Eccleſiæ* Traditione ſuum ſeptenarium numerum ſuſceperunt. Aduerſarij quærant, ſi fortè inueniant, à quo binarium, vel ternarium numerum acceperint. Hoc vnum ſcio, quòd in Scriptura, eorum numerus non eſt expreſſus.

11 Contrà hoc Vuhitakerus ac multi Proteſtantes inſurgunt, dicentes: Multa ex his quæ hactenus dicta ſunt; Scripturarum teſtimonio probari poſſe; nam, Baptiſmus infantium, ritè his Scripturæ verbis probatur, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto s non poteſt introire in Regnum Dei*: Ioann. 3. & : *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, Matth. 28.

12 At, nos vtique diceremus, aliqua ex his, poſſe ex Scriptura probari, quando de verò Scripturæ ſenſu conſtaret, Quis nam iſte verus, & legitimus Scripturæ ſenſus ſit, hoc opus, hic labor: ex Sacris Traditionibus, Eccleſiæque praxi illum venantur Catholici; quærant aduerſarij, vbi eis idem conſtet, & renuncient nobis, vt addiſcamus. Nollem tamen, eos ex proprio cerebro falſum Scripturæ ſenſum Phantaſticari; cùm (vt ex eorum doctrina videbimus infra) non liceat, priuato Spiritu, & maximè ſi ſit vertiginis, peregrinas Scripiurarum interpretationes comminiſci. Sit ergo exemplum. Si pro comperto haberetur, verba illa, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua* &c; non alium habere ſenſum, niſi hunc; *Niſi quis baptizatus fuerit baptiſmo aquæ*; benè inferretur, adhuc infantes eſſe baptizandos, atque indigere baptiſmo. Verùm ſenſus iſte, non habetur niſi ex *Traditione*. Vndè Caluinus qui aſſerit, infantes filios fidelium, non indigere baptiſmo, & negat, hunc eſſe illorum Verborum ſenſum; nec à Catholicis, nec à Lutheranis poteſt argui ex nuda Scriptura. Quid igitur faciendum? Victor erit Caluinus? Neutiquam: ſed ex eo confutabitur, quòd ſenſus ille, à maioribus ad poſteros, continuata *Traditione* ad nos vſquè peruenit. Similitèr, ſi pro certo haberemus, Chriſtum ijs Verbis, *baptizantes eos in nomine Patris* &c; mandaſſe Apoſtolis, vt hæc Verba proferrent, *ego te baptizo* &c; iam in tuto eſſet negotium: ſed hoc ex nuda Scriptura non conſtat. Etenim, ſicut hic, dixit Chriſtus, *baptizantes eos in nomine Patris &c*; ſic, & alibi dixit, *ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*; Et tamen non oportet, vt dum quis aliquid in nomine Chriſti petit à Patre, ea verba pronunciet, *ego in nomine Chriſti hoc peto à Patre*; ſed ſufficit, interna cogitatione id petere. Vnde hoc? Non equidèm aliundè, niſi quia ex Eccleſiæ praxi, & per *Traditionem Apoſtolorum*, ad nos vſquè peruenit, quòd neceſſaria ſit in baptiſmo Verborum prolatio, non autem in petitione à Patre in nomine Chriſti.

Scripturæ ſenſus ex Traditione conſtat.

13 Prob. 2. auctoritate Summorum Pontificum Romanorum, qui, (vt ex litteris Decretalibus conſtat) ſemper ex eadem regula, Hæreticos confu-

confutarunt, atq; damnarunt: controuersias finierunt, & Formulas Fidei ediderunt. Quarè S. Fabianus Papa epist. 1. sic ait: *Cauete ab omnibus qui alteram fidem & doctrinam tenent, quam Apostoli, & successores eorum tenuerunt, & docuerunt.*

14 Liberius Papa contra Arianos apud *Athasium* ad Solit. vit. agē tes, dicebat: *Non ita se habere Ecclesiasticum Canonem: nec vnquam accepimus talem à Patribus Traditionem. Sufficit Apostolorum institutio.*

15 S. Damasus epist. 2. Decret. damnans Apollinaristas, ait: *Ita enim semel formulam edidimus, vt qui se Christianum profitetur illud teneat, quod ab Apostolis traditum est.*

16 Sixtus 3. Sic Nestorianos præcludebat apud Lyrinensem cap. 43. *Nihil vltra liceat nouitati, quia nihil addi conuenit vetustati.*

17 S. Hormisda Papa epist. ad Episc. Epiri, ait: *Amplectimini gratiam Traditionis antiquæ, & illius inconuulsi fundamenti stabilitate persistite, non cum temporibus corda mutantes.*

18 S. Agapetus Pont. Romanus, inquit: *Si quis Catholicæ nostræ Fidei contraire tentauerit, quam pro submouenda hæreticorum suspicione paternis regulis consentaneam præsenti definitione firmamus, sanctæ communionis efficiatur extraneus.* Ita & alij tùm sex primorum, tùm posteriorum sæculorum Pontifices.

19 Probatur 3. Nam, Cōcilia, quæ ad profligandas hæretieorum blasphemias hactenus congregata fuerunt, hoc præcipuè argumento, hac regula definiendorum, vsa sunt; nec alio pharmaco citiùs pestem extinxerunt hæreticam, quàm inuiolata Patrum traditione. Hoc pugione Synodus Romana sub Fabiano, vel Cornelio, Nouati hæresim iugulauit; Synodus Antiochena Paulum Samosatenum, Nicæna Arrium; Grangrensis Eustachium; Constantinopolitana 1. Macedonium; Aquileiensis Palladium, & Secundianum, Telensis Iouinianum: Mileuitana, Pelagiū, Ephesina Nestorium; Chalcedonensis Euthychetem; Braccarensis Priscillianistas.

Concilia ex Traditione definierunt res fidei, & hæreticos damnarunt.

20 Quarè de Concilio Nicæno 1. dixit *Athanasius* epist. 2. ad Afros: *Episcopi non has voces excogitarunt, sed eas in Patribus contestatas acceperunt, & Scriptis suis inseruerunt.*

21 Lyrinensis lib. cont. Prophan. voc. nouit cap. 32. inquit: *Ecclesia omni industria hoc votum studet, vt vetera fideliter, sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus infirmata, & inchoata accurret, & poliat, si qua expressa iam, & enucleata, consolidet, firmet: si qua iam confirmata, & definita custodiat.* Hinc addiscat Brentius cùm suis, non delirare, ac Sacris Traditionibus non illudere: sed prò comperto habere, ac manibus tangere, nec miserum, nec ærumdosum esse, sed perutile, imò & necessarium Sacris Traditionibus vti, sicut omni tempore in Praxim redegit Ecclesia ad fidem stabiliendam, & ad hæreticam perfidiam debellandam.

22 Probatur 3. Auctoritate Veterum Patrum, qui vniuersas ferè hæreses hac regula, scilicet, Traditione iugularunt, de qua ait Tertullian. lib. de Præscrip., *Hec regula nullas apud nos quæstiones habet, quas nisi hæretici inferunt.*

23 Non enim Origenes Celsum Hæreticum alio ense confodit, quàm Sacra Traditione, is tract. 20. in Matth.; inquit: *Nos illis credere non debemus, nec exire à prima, & Ecclesiastica Traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodùm per successionem, Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis.*

24 Hoc etiam gladio Epiphanius *Arianos* inuadit hæresi 69. vbi sic eos alloquitur: *Respondete nobis Arij discipuli, Ingenitum dicimus simul omnes Patrem, & increatum, & ad-*

Digitized by Google

mirabilis est dictio; vbi ergò est dictio hæc scripta? Ostendite. Non enim lex dicit, neque Propheta, neque Apostoli: si itaque piè dicimus dictionem non scriptam, estque recepta, dùm pro gloria Dei dicitur; quis nos reprehenderit, etiam si non esset vox Coessentialis scripta?

25 Eodem argumento Athanasius Arrianos confutat in Synodi Nicænæ decretis contrà Eusebium, Sacra scilicet, ac illibata Patrum Traditione: Ecce (ait) *nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstrauimus: vos autem ò noui Iudæi* (audite Protestantes) *& Caifæ filij, quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores?*

26 Hoc idem missile telum S. Gregorius Nanzianzenus orat. 2. de Theologia contrà Hæreticos intorquet, dicendo: *Vt alia præsidia omittamus; nobis sufficere debet, quod abhorret hinc Ecclesia nostra doctrina.*

27 D. Basilius Eunomium, sola Traditione prosternit lib. 1. contra Eunomium: *Quid tu narras?* (ait) *non dabimus plus Antiquitati, non reuerebimur Christianorum multitudinẽ: tam eorum qui sunt, quàm eorum qui fuerunt, ex quo Euangelium prædicatum est? Nullam rationem dignitatis eorum faciemus, qui omni spirituali gratia claruerunt?* Et homil. 28. aduersus Sabellium, Arrium, & Anomeos, eadem ratione, eosdem exsufflat.

28 Hac eadem armatura D. Hieronym. Luciferianos aggreditur c. 4. *Etiam si* (ait) *Scriptura auctoritas non subesset totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.*

29 Tandem (vt alios missos faciam) D. Augustin. nihil frequentiùs, quàm Sacras Traditiones Hæreticis obiectat, cont. Donatist. lib. 7. cap. 53. cont. Faustum Maniche. lib. 11. cap. 2. cont. Iulianum Pelagianum lib. 2. cap. 1. contra Cresconium Grammat. cap. 33. vbi de Baptismo Hæreticorum, ita loquitur *Quamuis huius rei certum de Scripturis Canonicis non proferatur exemplũ, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod vniuersa iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas.* Et lib. de Hæresibus, postquam omnes hæreses enumerauit; hoc solo gladio eas pessumdari docet: dum ait: *Quod contra ista sentia Catholica Ecclesiæ, superfluè quæritur, cùm propter hoc scire sufficiat, eam contra ista sentire, nec aliquid horum quemquam in fide recipere.* Hæc, primorum sæculorum Patres (quos Protestantes exigunt) de Sacrarum Traditionum vsu, ad fidem firmandam, & hæreses debellandas.

30 Probatur 4. ostendendo ad oculum quòd Lutherani, & Caluinistæ, Apostolicarum, & Ecclesiasticorum Traditionum vsum, & necessitatem denegantes, & ad nudum Verbum Scriptum prouocantes, veri sint Hæreticorum Antiquorũ traduces. Nam, Maximus Arianorum Episcopus, in concertatione cùm Augustino (eodem prorsùs cantu ac Lutherani, & Caluinistæ cùm Orthodoxis) sic furens dicebat: *Si quid de Diuinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est, vt audiamus. Hæ verò voces, quæ contra Scripturam, sunt nullo casu à nobis suscipiuntur.* Ex Augustino lib. primo cont. Maximum in princip. Non nè hæc est eadem Lutheri vox, contra Echium indisp. Lipsica, & Caluini lib. 4. institut. cap. 8. §. 8.?

Dum Protestãtes Traditiones negant, cũ Antiqui hæreticis conspirant.

31 Canunt etiam hi, cùm Macedonianis, & Nouatianis in eodem Choro; nam, isti nolebant admittere, hæc Verba: *Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto*, eò quòd non haberentur in Scripturis; de quibus D. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 25. ait: *An non desinunt isti sursùm deorsùm iactare, Dei cum Sancto Spiritu*

Macedoniani refutabant dicere, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Digitized by Google

ritu glorificationem carere testimonio, carere Scriptura. Et cap. 29. in initio prosequitur: *Sanè contrà id, quod dicunt, præpositionẽ,* CVM *carere testimonio, nec in scripturis extare, ad illud dicimus. Si nihil aliud est receptum absq; Scriptura, nec hoc quidèm recipiatur: sin plurima arcana citrà scripturam recepta sunt nobis, cùm alijs plurimis, & hoc recipiamus. Arbitror autem, Apostolicum esse, etiam non scriptis Traditionibus adhærere.*

32 Præterea, ex stirpe Eutychetis se probant Protestantes, vsum, & necessitatem Traditionum reijciendo; nã, ille negans in Christo duas naturas, (sicut dicunt Lutherus, & Caluinus) dicebat: *Ego à Sanctis Scripturis non didici de duabus naturis.* Cùi respondit Mamas Presbyter: *Neque de Homousion à Sanctis Scripturis sumus edocti.* Et hoc recitatur in Synodo Chalcedonẽsi *Actio.* prima.

33 Tandem, vt vulterioris colloquij velas complicem, cum Pelagianis conueniunt, qui, Traditiones sibi experientes infensas, dicebant: *Credamus igitur quod legimus; & quod non legimus, nefas credamus astruere:* vt narrat Augustin. lib. de nat. & grat. cap. 39. Sic passim de alijs dicere possem, & omitto.

34 Probatur 5. ratione. Ecclesiæ Præsides, & Pontifices in definiendis Fidei Controuersijs, non habent nouas, & immediatas reuelationes: ergò in his decidendis, illa regula vti debent, de qua lib. de Præscrip. cap. 87. dicebat Tertullian. *Illis veritatem adiudica., quicumque in ea regula incedunt, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit.*

35 Probatur postremò, ex specialibus Principijs, & Confessionibus Protestantium. Lutherani, & præcipuè Kemnitius in Exam. Cõcil. sess. 4. fatetur, Lutheranos reuerenter accipere traditionẽ illam, qua nobis in manib° datur Sac. Script: vndè ait: *Hanc traditionem, qua nobis in manum dantur Sacræ Scripturæ libri, reuerenter accepimus.* Sed, in Lutheranorum sententia, Scriptura Sacra est necessaria ad salutem; (omnia enim, vt dicunt ipsi, ad salutem necessaria, in sola Scriptura continentur). Ergo datur àliqua Traditio, de re, ad salutem necessaria. Ergo mentiuntur ex ptopria Confessione Lutherani omnes, & præcipuè Confessio Vuittemberg. vt vidimus in Mendacio, dum dicunt, *omnia ad salutem necessaria contineri in Scriptura.*

36 Præterea Lutherus, & sui congerrones fatentur, Exorcismum in Baptismo haberi ex Traditione; & tamen ipse met asserit; *Infantes non iustificari per Baptismum, sed per actualem fidem ab Exorcismo veluti progenitam, & vi exorcismi infantibus infusam, sine qua fide, eos, non posse saluari* affirmat; igitur, in sententia Lutheri, admittenda est Traditio de re ad salutem necessaria, scilicet, de *Exorcismo*, vi cuius, infantibus *infunditur fides ad salutem necessaria.* Ergo Traditionum vsus, est necessarius in Ecclesia Dei, ad fidei Mysteria constabilienda, & hæreses profligandas; imò necessarijssimus, & in rebus ad salutem necessarijs. Quid dicitis Protestãtes? Stulti aliquando sapite.

37 Caluinus lib. 4. instit. cap. 8. §. (ni fallor) 8. vel 15. Fidei controuersias, non nisi Ecclesiæ Traditione, vel consensu, esse finiendas, ampliſſimis verbis docet: *Primæ Corinthiorum* 14. *hanc* (ait) *rationem præscribit Paulus, nam cùm singulis Ecclesij attribuat dijudicationem, ostendit, quis in grauioribus causis sit ordo: nempe, vt Ecclesiæ vniuersæ communem cognitionem suscipiant.* Et rursus *Equidèm non inficior, qua sumus ignorantia circumsepti, quin plura nobis implicita nunc sint.* Et iterum. *in quibus nihil magis expediat, quàm iudicium suspendere, animum autem obfir-*

Digitized by Google

mare ad tenendam Ecclesiæ vnitatem. Et ibid. §. 15. de Catholicis, qui Traditionum vsum, & consensum Ecclesiæ, ad Firmanda dogmata fidei, suscipiunt, ait; *Quid tandem obtinebunt, nisi non spernendum Ecclesiæ consensum, quæ nunquam nisi in veritate Verbi Dei consentit.* Hoc est quòd exigimus Caluine; quod si concedis, perorata est causa hæc de necessitate vsus Traditionum, pro stabiliendis rebus Fidei.

Traditionũ vsũ necessarium agnoscũt Protestãtes, pro stabilienda disciplina morum, & cultus.

38 Quòd verò Traditionum vsus sit necessarius ad mores componendos, & Cultum promouendum, ex ore eorundem Protestantium confirmamus: etenim, idem Caluinus lib. 4. institut. cap. 10. §. 27. ait: *Cùm in hominum moribus tanta insit diuersitas, tanta in animis varietas, tanta in iudicijs ingenijsque pugna: neque Politia vlla satis firma est, nisi certis legibus constituta: nec sine stata quadam forma, seruare Ritus quispiam potest. Hæc ergo, quæ conducunt leges, tantum abest, vt damnemus, (* damnasti, clara sunt Verba tua in libris tuis, negare non potes.*) vt his ablatis dissolui suis neruis Ecclesias, totasque deformari, ac dissipari contemnamus.* Et ibid. cap. 12. §. 14. disciplinæ morum potestatem, dicit, locatam esse, in eò, *vt pro temporum necessitate plebem exhortentur Pastores, vel ad leiunia, vel ad solemnes supplicationes, (* quas alio negasti. ò Proteum?*) vel ad talia humilitatis, pœnitentiæ, ac fidei exercitia, quorum nec tempus, nec modus, nec forma præscribitur Verbo Dei, (* deprehensus ergo es Caluina. At assuetis non fit passio*) sed Ecclesiæ iudicio relinquitur. Huius quoque partis obseruatio, sicut est vtilis, ita veteri Ecclesiæ ab Apostolis semper fuit vsitata.* Duo contra Caluinum, ex Caluino euincimus: primùm, quòd ex antiqua Traditione, & vsu, Cultus ab ipso recensiti, necessariò sint suscipiendi. Secundùm, quòd Ecclesia habet potestatem determinandi, & præcipiendi, hos Cultus, & Ritus ne dum quò ad substantiam, sed etiam circa tempus, & modum. Præterea kemnitius sess. 4. loc. cit. sup. ait: *Affirmant Origenes, & Augustin. baptismum parulorum, esse Traditionem Apostolorum: Hoc recipimus.* Et in 7. genere Traditionum ibidem ait: *Apostolos igitur ritus quosdam ordinasse, & tradidisse Ecclesijs ex scriptis eorum certò constat. Et verisimile est, quosdam etiam alios externos ritus, qui in Scriptura annotati non sunt, ab Apostolis Traditos esse.* Et infra: *tales ritus meritò amamus, & retinemus, quales sunt confessio fidei, abrenunciatio Satanæ, & alij ritus in actione baptismi.*

39 Item Philippus Melancthon in Epitome Aristotel. Ethyc. hæc sibi & suis aduersantia, dicit: *Non possunt institui homines quidam ad timorem Dei, vbi Pædagogia, ordo, disciplina, & Catechismus non est.* Et ibidem idẽ, *Denique vt ordo, & harmonia publicorum rituum conciliat, & sociat homines; ita confusio ordinis, & discrepantia rituum distrahit animos, & parit ingentes tumultus, & æterna bella.* Et ibid. iterum dicit: *Euangelium non vult aboleri disciplinam, & Pædagogiã. Et licentia, seu præuaricatio, officit: primùm: quia homines Prophanos, facit prophaniores: vulgus enim natura, odit legum vincula, & libentèr imitatur huiusmodi exempla licentiæ. Quod parum esset, nisi consequentèr degeneraret ex horum contemptu, ad contemptum religionis, & hierarchiæ Ecclesiasticæ vt factum vidimus.* Hæc ille contra se, & suos, pro nobis.

40 Et idẽ in cap. 14. ad Roman. ait: *Non probo petulantiam illorum, qui sine probabili causa, vbique violant (* ritus, & Traditiones*) seu studio nouitatis, seu quadam contumacia. In his enim non solùm pietas, sed etiam humanitas iure desiderari potest. Quid enim est inhumanius, quàm aspernari publicos mores, præsertim si videantur disciplinæ causa institui?* Et rursus ibid. *Sæpè*

iam

Digitized by Google

*iam videmus eos, qui cum veteribus ritibus belligerantur, (*tu de illis es*) tamen natura vinci, vt aut veteres mores restituant, aut nouas ordinationes faciant, quarum nonnullæ sic satis agrestes, ac barbaricę sunt.* Igitur ad morum, & cultus disciplinam constabiliendam, oportet veteres Ritus (per Traditionem vtique acceptos) recipere, non verò reijcere, vt faciunt Protestantes, qui antiquos Ritus Catholicorum exsufflarunt, ac agrestes, & barbaros obtruderunt.

41 Claudamus cum manifestissimo Caluini loco, Hanc Lectionem. Is enim loquens de genuflexione, quam Sacris faciunt Romano Catholici, sic libro 4. institut. capit. 10. § 30. ait: *Quæritur sit ne humana Traditio quam repudiare, vel negligere cuiuis liceat. Dico, sic esse humanam, vt simul Diuina; Dei est, quatenus est pars decoris illius, cuius cura, & obseruatio nobis per Apostolum commendatur: hominum autem, quatenus specialiter designat, quòd in genere fuerat indicatũ, magis quàm expositum, ab hoc vno exẽplo estimare liceat, quid de toto hoc genere sit sentiendum.* Igitur, ex Traditione, ritum genuflexionis habemus. Et id quidem ab Apostolo Traditum tamquam Diuinum, vt pars Diuini cultus; & ab homine, scilicet, à Summis Pontificibus, & Ecclesia expositum, & designatum. Bene Bene est Caluinæ. Non ampliùs potestatem denegabis Ecclesiæ, in designandis libris Canonicis, instituendis cæremonijs, in præscribendis Ieiunijs, & his similibus, cũ id, ex eo, qd in genere fuerat indicatum, illa designet.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

42 ARguunt primo Protestãtes. Et si initio illibatæ, & puræ Traditiones de suo fonte manarint; progressu tẽporis, vt rerũ fert cõditio, turbari, corrumpi, fœdari potuerunt, per admixtionẽ multorũ abusuum, & vulgarium errorum; & pro puris venditari: irrationabiliter ergo in decidendis rebus fidei, quis vteretur regula, tot periculis exposita.

43 Respondet Tertullian. lib. cont. Marcion. cap. 21. *Quod si post Apostolorum tempora adulterium veritas passa est circa Dei regulam, ergo iam Apostolica Traditio nihil passa est, in tempore suo circa Dei regulam, & nõ alia erit cognoscenda Traditio Apostolorum, quam quæ hodie apud ipsorum Ecclesias editur. Nulla autem Apostolici census Ecclesiam inuenies, quæ non in Creatore Christianizet, Septem Sacramenta prædicet, sacrificium offerat, aut si hæ erunt à primordio corruptæ, quæ erunt integræ, nisi aduersariæ Creatoris? Exhibe ergo aliquam ex tuis Apostolici census, & obduxeris quod est euiceris.* Impostura ergo est à Protestantibus excogitata, superstitiosos Cultus, tractu temporis, fuisse in Ecclesiam inductos: ac Papisticam Religionem fuisse fœdatam.

43 Arguunt 2. Iudæorum est', & Turcarum etiam ad traditiones Patrum suorum recurrere, vt similitèr hæretici faciunt. Indecens ergo Catholicis est vti hac regula.

44 Respondetur; horũ Traditiones, vel à Diabolo, vel ab alio superstitioso, tamquam ex fonte, manasse; Iudæis enim dictum est, *Vos ex Patre Diabolo estis*, quod etiam hæreticis quadrat; ideoque, illę sunt reijciendæ: Catholicorum verò, vel Deum, vel Apostolos Apostolorũq; successores, agnoscunt auctores; ex quibus, tamquam ex fonte riuus Traditionis profluuit. Respiciẽdum est, vt Cyprianus monet, ad canalem vndè Traditio dimanat, & ad testes, per quos ad Posteros transmeauit, quèm cùm nos dirigamus ad Apostolos, (vt euicimus), perperam Caluinus nobis insultat, indecens esse hac vti Regula, nàm vt ait Augustinus lib. de vera Religione cap. 5. *Nos verò neque in confusione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in cæcitate Iudæorum religionem*

Digitized by Google

gionem quærimus sed apud eos solos qui Christiani Catholici vel Orthodoxi vocantur; His censum deferunt Romano Catolici, & ad Apostolorum tẽpora, canalem suorum dogmatum dirigunt. Quòd cùm præstare non possint hæretici, meritò eorum falsæ traditiones proscribuntur, & exploduntur.

45 *Arguit* 3. Sadael apud Lenseum lib. 2. cap. 2. Si præter Scripturam necessaria esset *Traditio* ad congoscendum omnia ea, quarum fides, & cognitio est ad salutem necessaria; Sequeretur, Spiritum *Dei*, cùm Scripturam proposuit, finem suum non fuisse assequutum: consequens est falsum, & blasphemum, ergo, & antecedens. Rursus, sequeretur superfluè Spiritum Sanctum de Scripturis, Ecclesiæ prouidisse; cùm ad supradicta assequenda, Traditio sola sufficiat.

46 *Respondetur*, quòd finis Spiritus Sancti in editione Sacræ Scripturæ fuit, vt Verbum Dei Scriptum omnibus legendum proponeretur; & quædam, omnibus scitu necessaria, panderentur. Verumtamen, Scripturæ intelligentiam, & multa alia mysteria, noluit omnibus patefacere; quia, vt ait Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 10. *Dogmata siquidem silentur, Edicta verò publicantur*. Et Spiritus Sanctus, iam hunc finem est assequutus. Nec propterea sequitur, Spiritũ Sanctũ suũ finem non fuisse assequutum, quia præter Scripturã vlterius requiritur eiusdem intelligentia, & traditio; nam malè inferretur, naturam suo fine fuisse frustatam prouidendo homini de cibo, quia ad illum concoquendum, & traijciendum etiã requiritur potus: suum finem est assequuta, prouidẽdo de cibo, & suum finem est assequuta, prouidendo de potu; quæ simul vnita, hominum sub tentationi deseruiunt, singula singulis munia tribuendo. Sic in casu argumenti.

47 Ad illud quod additur in Argumento de superfluitate Scripturę, dicimus; Traditioni, accessisse Scripturam, vt inter cætera Spiritus Sãcti dona, nec litterarum etiam monumenta deessent, & multiplicitèr Ecclesia ad pietatem informaretur.

48 Contra hoc, insurgit *Aduersarius*. Quia, vt dicit Philosophus 3. Ethic. quando per plura aliquod fieri potest, cõsilio inquiritur per quod facillimè fiat. Facilius autem, & melius prædictos fines assequimur Scriptura, quàm Traditione, quæ enim non scripta sunt *excidunt*, ait Clemẽs *Alex* quin quòd corruptioni, & adulterationi subiecta sunt. Frustra ergo ad supradictos fines assequẽdos ad traditionum subsidia recurritur.

49 *Respondetur*, negando assumptum, non enim melius, & facilius dogmatum cognitionẽ assequimur Scriptura, quàm Traditione; imò excluſa Traditione (per quam habemus Scripturarum intelligentiam) *Grãde periculum est*, inquit Hieron. in cap. primum ad Galatas, *in Ecclesia loqui, ne fortè interpretatione peruersa, de Euangelio Christi, hominum fiat Euangelium*. Nèc timendum est de obliteratione, Falsatione, vel obliuione Traditionum; *Si* enim bis mille ante Christũ annis, potuit sola Traditione seruari Fides, (nullum enim tunc extabat Scriptum *Dei* Verbum) cur post Christum, timendum est? Si autem facilitatèm obijciat *Aduersarius*; dicimus quod lõgè facilius est, literam, è Scriptura excidere; punctum, è litera; quàm vniuersorum memoriam, multò minùs vniuersorum fidem, interire. Si rerum euenta retexant, patet, patuisse semper errori literam, imò, & corruptioni, nec literam restitui nisi per Traditionem, & memoriam, & fidem, primùm ab Esdra, ante cuius tempora, vixerat vllus Scripturarũ vsus; tum à Ptolomeo per septuaginta, postremò à Hieronymo per Hebræos:

Digitized by Google

bræos. Hinc puncta Massorotarum; Hinc Origenis illa famosa tetrapla. Hinc Theodotionis, Aquilæ cæterorumque tot, & tantæ versiones. Si in verbo scripto non hærent Protestantes, cur in Tradito? De litera Scripturæ; deque punctis eiusdem, quæ possunt facillimè obliterari certi sunt; cur non de Fide Traditionis, quæ ex vniuersorum memoria excidere nequit? Audiant Ambrosium serm. 57. de Traditione loquentem: *Hæc enim (ait) fidelis est virtutum memoria, quæ intra se continens Christum, lædi eum hæreticorum corruptione non patitur*. Non enim humana prouidentia, vel prudentia, Fidei dogmata conseruantur, sed Dei; qui sicut sine corruptelis potest Scripturas cõseruare, sic & nõ scriptum suum verbũ.

50 Arguunt 4. Dominus voluit Euangelium in omnium notitiam deuenire: vndè, & suis discipulis dixit, *Quæ in aure auditis prædicate super tecta*. Et iterùm. *Nihil occultum quod reueletur*. Ad plenitudinem autem cognitionis Euangelicæ, melius per Scripturam, quæ omnibus exponitur; quàm per traditionem, quæ est in Mysterio abscondita, peruenimus. Non ergò Traditionum adminiculis ad hunc finem indigemus.

51 Respondetur 1. negando, Scripturam esse omnibus oppositam, vt Aduersarij dicunt; non enim illa patet, nisi litteras callentibus, nõ item rusticis, sutoribus, lanionibus, & id genus alijs litteras nescientibus. Imò, neque omnibus litteras scientibus, sed ijs tantùm, quibus ius interpretandi conuenit, vt Tract. sequenti euincemus.

52 Respondetur 2. ex Clemente Alexandr. lib. 1. Stromatum, quòd Christus *non reuelauit multis, ea quæ non erant multorum, sed paucis, quibus sciebat conuenire, qui & ea possent accipere, & ex eis informari. Arcana autẽ, sicut Deus, verbo creduntur, non scripto*. sed quæ erant multorum omnibus manifestare voluit, quod indicat prædicatio super tecta: *Nihil occultum quod non reueletur*, ex eod. Clement., dicit *ei, qui occultè audit, occultum manifestatum iri, & ei qui secretè ea, quæ traduntur potest seruare, apertum iri, quod opertum est, vt veritas, & id quod multis est occultum fiat paucis manifestum*.

53 Alia essent argumenta hic apponenda, quæ quia eadem sunt, ac illa, quæ contrà infallibilem Traditionum auctoritatem suprà apposuimus: iure, ab illis abstinemus, nè actum agamus; & eadem inutilitèr repetamus.

LECTIO V.

De Auctoritate Ecclesiasticarum Traditionum.

1 TAndem à Diuinis, Apostolicisq; Traditionibus felici homine expediti, pro Ecclesiasticis pugnaturi, aduersus filios perditionis, in arenam descendimus: eas iure, vel iniuria respuunt Nouatores, tanquam Pontificum, & Pastorum inuenta, ac prondè hominum instituta, non Dei. Verùmtamen meminerint hostes, eius qui dixerat, *Ego dixi Dij estis*. Et iterùm. *Deus stetit in Synagoga Deorum*. Nàm & si Sanctissimi Præsules cùm soli sunt nihil habeant amplius quàm limitatam quandam auctoritatem, suæ Diœcesis finibus clausam, nihilominùs *innixi Petræ Iudices eorum*, & ipsi Petra sunt, quià Petro dictum est. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat Fides tua, super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. Et in huius Petræ soliditate fundati, firmissimũ robur habeant ea: quæ ad nos, ex Ecclesiastica Traditione, peruenium. Sed Audite.

Quid sibi velit verba Psalmi *iuncti Petræ*.

Men-

Digitized by Google

Mendacium Proteſtantium.

2 LVtherus, quicquid eſt bonorum in terris, & in Cœlo, virulentus illuſor, lib. 2. cont. Zuuinglium, & Oecolampad. Traditiones Eccleſiaſticas, quæ diſciplinam, & mores cõcernunt reijcit, & damnat; quare, Pronunciauit, Papatum eſſe regimen Antichriſti, ac Sanctiſſimas eius Leges, diſciplinam, & mores concernentes, nedùm diſcerpſit, verùm & Romanorum Pontificum decreta, impiè ſuperbèque ignibus tradidit. Sequuntur eum ſui, præcipuè Annas Burgenſis in artic. ſuæ confeſſionis, vbi ſic ait: *Omnes Papæ Romani, Conſtitutiones repudio, atque abiudico, quippè qui, vel ſuperior Chriſto, eiuſq; Apoſtolis videri vult, vel certe aduerſari, nam Exodi 20. ſic Deus iubet ſex dies operabimini, 7. quieſcetis. At Papa &c. certis diebus arbitrio ſuo, vetat opus facere.*

3 Accinit Caluinus in Harmon. in cap. 23. Matth. dicendo: *Papiſtis ſatis eſt titulo prædicas eſſe, locum occupare, qui leges imponunt, hùc enim torquent verba Chriſti, quaſi neceſsè ſit obedienter recipere quicquid mandant Ordinarij Eccleſiæ Præſides.*

4 Præterea, quicquid circà cultum, morumq; diſciplinam à Patribus, & ab Eccleſia præſcriptum eſt, repudiant. Quarè huiuſmodi Traditiones, vocant, Cultus inutiles, & contrà Euangelium, ſic Confeſſio Auguſtana art. 15., vbi dicitur: *De talibus* Ritibus Eccleſiaſticis *monentur homines, nè conſcientiæ onerentur &c.* & ſubiungit infrà *Admonentur etiam, quòd Traditiones humanæ inſtitutæ, ad placandum Deum, ad promerendum gratiam, & ſatisfaciendum pro peccatis, aduerſentur Euangelio, & doctrinæ Fidei quarè vota, & Traditiones inſtitutæ ad promerendam gratiam, & ſatisfaciendum pro peccatis inutiles ſunt, & contrà Euangelium.* Et in Apolog. eiuſdem Cõfeſſion. ibidem hæc habentur: *Non habent Epiſcopi poteſtatem inſtituendi cultus &c.*

5 Confeſſio Vuittemberg. cap. de Cæremonijs Eccleſiaſticis, ait: *Non licet inſtituere Cæremonias, & Sacra, quorum meritis expientur peccata.* Et de his dicit, *eſſe impia, & contumelioſa in mortem, & reſurrectionem Chriſti.* Huiuſmodi Traditiones negant etiã Lutherus, Melancthon, & Caluinus apud Stapleton. in Prompt. Cathol. fer. 4. hebdom. 3. Quadrag. cum aliis

VERITAS CATHOLICA

Eccleſiaſticæ Traditiones, inconcuſſam habent auctoritatem ad Fidem, morum diſciplinam, & Cæremonias retinendas.

6 ANtequam probetur hæc Veritas, notandum eſt, quod. Nomine Eccleſiaſticæ Traditionis, veniunt omnia ea, quæ viri Apoſtolici, Apoſtolorum ſucceſſores in Sacris Concilijs, vel Papa extrà Concilium decernendo ſanxerunt; vel veniunt omnia quæ ijſdem tacentibus, permittentibus, & approbantibus, in deuotionem conſuetudinis eſt receptum. Quæ omnia, Apoſtolici viri, Spiritu Sancto dirigente, & Sanctiſſimi Apoſtoli, eodem Spiritu inſpirante ſanxerunt. His breuitèr notatis.

7 Probatur 1. Veritas generalibus Principijs Proteſtantium inhærendo ex Sacr. Scriptura, ac totius Antiquitatis conſenſu 1. ex Sacra Scriptura; Prouerbiorum 6. dicitur: *Conſerua fili mi præcepta patris tui, & nè dimittas præcepta matris tuæ*, & mox, *vt cuſtodiant te à muliere mala.* Nomine malæ mulieris, ſeù adulteræ, hæreſim intelligit ibid. Hieronymus; quare, adhùc ſecũdùm Rabinorum expoſitionem, Locus iſte hunc ſenſum reddit, quòd ad præſeruandum animam ab hæreſi, debemus intrà maternæ, ſcù Eccleſiaſtice

sticæ legis fines, nos continere. Hoc eodem sensu Epiphanius, Ecclesiasticas Traditiones commendas, adducit testimonium præsens cont. Aetiũ *Quis enim* (ait) *statutum matris queat dissoluere, aut legem Patris? Vt apud Salomonem est, audi fili mi verba Patris tui, ostendens per hoc quod & in Scriptis, & sine Scripto docuit Pater, hoc est Deus Vnigenitus, & Spiritus Sanctus, mater autem nostra Ecclesia leges, Ritusque Sacros habet Traditos indissolubiles.* Iniquo ergò iure Smidellinus, hanc Salomonis allegoryam, obducto supercilio, reijcit, in Hysperaspiste Prologom. Brentij.

8 Probatur 2. auctor. Veterum Patrum. S. Hieronym. epist. 28. ad Lucinium inquit: *Traditiones Ecclesiasticæ, quæ Fidei non officiunt ità seruandæ, vt à Maioribus traditæ sunt. Vnaquæque Prouincia abundat in sensu suo, & præcepta Maiorum, leges Apostolicas arbitratur.* Et aduers. Luciferian. cap. 4. dicit: *Etiam si Scripturæ auctoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret, Nam & multa alia quæ per Traditionem in Ecclesijs obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt.*

9 D. Ambrosius amplissimis verbis, idem confirmat epist. 83. *Non mediocrem* (ait) *esse sapientiæ, diem celebritatis definire Paschalis, & Scriptura Diuina nos instruit, & traditio maiorum, qui conuenientes ad Synodum Nicænam superna celebritate memorata, &c. colligere rationem.*

10 His subscribit D. Augustin. epist. 86. ad Casulanum, vbi inquit: *In his rebus de quibus nihil certi statuit Diuina Scriptura, mos populi Dei, vel instituta Maiorum pro lege tenenda sunt.* Et epist. 118. cap. 1. ait: *Illa quæ non sunt Scripta, sed Tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel à plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri.* Alios Patres breuitatis causa mitto. Habemus ergò ex his, Ecclesiasticas Traditiones, firmissimam habere auctoritatem, & pro lege tenendas esse.

11 Probatur 3. ratione. Maioris, vel saltem non minoris conditionis sunt Pastores, Pontifices, ac Præsides nouæ legis, & Ecclesiæ Christi, antiquis Patribus legis naturæ, & Sinagogæ Iudæorum; sed isti tàm circà disciplinam morum, quàm cultus, sine verbo Dei expresso, multa custodiri mandarunt, quæ in auctoritatem sunt recepta, ergò pari ratione illi, scilicet, Præsides Ecclesiæ Christi, idem præstare potuerunt. Ma. patet, & conceditur ab Aduersarijs; nam, nobilior est lex gratiæ, & Ecclesia Christi; quã Lex vetus, ac Iudæorum Sinagoga: igitur, & Præsides illius nobiliores sunt. Minor probatur, nam lib. 3. Regum, filij Israel, absque speciali mandato Dei, hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa; Rursus, Nazarei, Rechabitæ, Elias, Eliseus, nullo diuino mandato, aut speciali lege, ad exactissimam suorum institutorum obseruantiam, suos obligabant. Præterea, Scenophegiæ festum, ad quod & Christus descendit, absque speciali iussione celebratum est. Sicut Esther cap. 9., nouum festum indictum est, Mardocheo auctore. Ergò Præsides Sinagogæ, multa sine Verbo Dei expressò custodiri mandarunt, tàm ad cultum, quàm ad disciplinam morum pertinentia.

12 Probatur 4. specialibus Principijs, & Confessionibus Protestantium inhærendo. Lutherus lib. de Pijs Cæremonijs, & formula Missæ, & Kemnitius 2. p. examin. fol. 171. vna cum Caluino lib. 4. institut. cap. 10. §. 14. tribuunt potestatem Ecclesiæ, instituendi Cæremonias; &

Digitized by Google

postea, restrinxerunt illam ad eas tantùm, quę habentur in Scripturis. Tunc sic: concedere auctoritatem Ecclesię condendi Cęremonias, est tribuere illi auctoritatem condendi ea, quę antequam conderentur, non extabant: ergò si Protestantes tribuunt hanc potestatem Ecclesię; stultè restringunt illam ad eas tantum Cęremonias, quę habentur in Scripturis, cùm hę fuerint antiquitùs institutę.

13 Pręterea, Confess. Vuittemberg. Lutherana concedit Ecclesię Potestatem, vt Episcopi possint dierum festorum solemnitates instituere; ergò Annas Burgensis Lutheranus absque causa, imò, & iniquè calumniatus est Romanum Pontificem, quòd dies festiuos instituat, vt vidimus in Mendacio. Rursus, si, vt asserit Confess. hęc Vuittemberg. ex doctrina Lutheri, Ecclesię Prędidentes, possunt dies festiuos instituere, & ordinationes ad Ecclesię decorem facere; ergò poterunt etiam & Ieiunia prescribere, aliaq; statuta condere, cùm sit vtrobique par ratio. Quo ergò iure Protestātes à nostris Pastoribus, & Prędidentibus auctoritatem Cæremoniarum instituendarum auferunt, vel restrigunt, & suis congerronibus, ac ministerculis, imò & suis Principibus, & Magistratibus Laicis tantùm, tribuunt facultatem, vt de disciplina, & Cultu statuant, atque decernant? Et si in suis Cœnis, ipsis licitum est cantillare, ac inauditos Ritus confingere, cùr Romanocatholicorum Prędulum auctoritatem, in pijs Cæremonijs instituendis, exturbant? O iniquitatem!

14 Vlteriùs, Confessio Augustana sibi inconstans, vel certè parum cohęrens, cap. de potest. eccles. sic habet: *Porrò secundùm Euangelium, seù vt loquuntur, de iure Diuino, nulla iurisdictio competit Episcopis,* (impium decretum) *hoc est his quibus est commissum ministeriū Verbi, & Sacramentorum nisi remittere peccata, item agnoscere doctrinam,* (benè quidèm) *& doctrinam ab Euangelio dissidentem reijcere, & impios, quorum etiam nota sit impietas, excludere à communione Ecclesiæ sine vi humana, sed Verbo.* Et mox concludit. *Hic necessariò, & iure Diuino debet eis Ecclesia præstare obedientiam, iuxtà illud. Qui vos audit me audit &c.* Benè est Protestantes. Ergò si Episcopis deberur obedientia in recognitione doctrinę, in ejiciendis excommunicatis, in reiectione doctrinę ab Euangelio dissidentis; etiam ipsis obedire cogimur, cùm alia statuunt, & præcipiunt.

15 Caluinus in locum illum Actor. cap. 3. *Petrus, & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*: ait: Quod *statas horas veteris populi Deus esse voluit.* Et subiungit. *Hinc colligimus non posse carere Ecclesiam certa disciplina, ac hodie nisi obstaret nimius torpor* (à lauto prandio, & potenti vino prouenies) *vtile esset quotidiè habere tales conuentus.* Et lib.4. instit. cap. 3. nu. 16. causæ nostræ Patrocinium suscipit, dùm ait: *Licet nullum extet præceptum de manuum impositione, quia tamen fuisse in perpetuo vsu Apostolis videmus, illa tàm accurata obseruatio, præcepti vice nobis esse debet.* Et ibidem cap.10. §. 3. geniculationem approbat, & inquit: *Hoc modo dico, sic esse Cæremoniam humanam, vt sit etiam Diuina: quatenùs verò pars est decoris illius cuius cura, & obseruatio nobis per Apostolum commendatur.* Ergo dum vnam, & aliam Cæremoniam Caluinus approbat, iniquo iure alias improbat.

16 Arguit 1. Caluinus lib.4. inst. cap. 10. nu. 15., Quia propter huiusmodi Cæremoniarum institutionē, grauior fit status legis gratiæ, lege antiqua. Vndè, non est sub Papatu minorum vmbrarū densitas, quam olim sub lege fuerit. Antecedens

pro-

Digitized by Google

probatur ex deploratione D. Augustini epist. 119. cap. 19. Multa hodie obseruantur, quæ quamuis contra fidem non sint, ipsam tamen religionem, quam pauciſſimis, & manifeſtiſſimis Sacramentis, Dei Misericordia liberam esse voluit, seruilibus oneribus præmunt, vt tolerabilior sit ludęorum conditio, qui & si tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen sarcinis non humanis præsumptionibus subijciuntur.

17 Respondetur, negando antecedens, ad probationẽ dicimus quòd si Caluinus attentè, vt par est, & non functoriè legisset; vidisset vtique Augustinum de particularibus, non de vniuersalibus Traditionibus, ad vniuersalem Ecclesiam spectantibus, fuisse loquutum. Tria Traditionum genera ibi Augustinus enumerat. Aliud à Christo Domino: aliud ab Apostolis, vel plenarijs Concilijs deriuatum: Tertium, quod per loca, & particulares regiones seruatur. Loquẽs enim de ijs quæ à Christo, Apostolis, & Plenarijs Concilijs manarunt, ait, *firmiſſimam, & inconcuſſam habere auctoritatem*. Et postea de tertio genere, subdit: *Tertium genus eorum est, quæ per loca regionesque variantur, & quod quidem liberas habet obseruationes.* Deinde concludit. *Omnia itaque talia, quæ neque Sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta reperiuntur, nec consuetudine (nota) vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur, itaut vix, aut omninò nunquam inueniri possint causæ, quas in eis instituendis homines sequuti sunt, vbi facultas tribuitur, sine vlla dubitatione resecanda existimo, quamuis enim neque hoc inueniri possit, quomodo* &c. Nihil ergo proficit Caluinus cõtra Nos, qui, de solis Vniuersalis Ecclesiæ Traditionibus, loquimur.

18 Arguit 2. Caluinus ibid. Præscripsit Deus quomodo à nobis coli velit, & perfectã sanctitatem, lege sua complexus est. Qui autem auctoritate pollent, commenta sua obtrudere non debent, quasi aliquid habeant perfectius, Verbo Domini. *V*nde Esaiæ primo de illo vario cæremoniarum cultu dicitur, *quis requisiuit hæc de manibus vestris?* & Numeror. cap. 15. prius dictum est. *Nec sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes, sed magis memores Præceptorum Dei, faciant ea, sintque Sancti Deo suo.* Superfluæ ergo sunt traditiones circa cultũ, tantum abest vt sint necessariæ, & alicuius auctoritatis.

19 Respondetur negando assumptum. Non enim totam diuini cultus rationem in particulari, & integram Ecclesiæ disciplinam, lege sua complexus est Christus, vel præscripsit; neque fideles suos ad antiquam Pædagogiã voluit reuocare, sed illud Præsulibus Ecclesię est commissum, qui non obtrudunt commenta sua, nec aliquod perfectius verbo Dei, sed quod Verbo Dei conuenit, & post illud, authoritatem sibi vendicat. Nec, vt ait Hieronym. ad loc. adductum Esaiæ, alios ibi propheta reprehendit, quàm eos, qui cùm Dei præcepta non seruant, muneribus varijs, atque donis, sibi, se Deum redimere posse persuadent.

20 Vel dicimus, in hoc loco Esaiæ, non damnari antiquos ritus, sed quòd post Christi Passionem, & Synagogæ sepulturam, eosdem ritus Iudæi obseruarent, vndè D. Hieronym. secundùm hanc intelligentiam, Hebionitas præcluſit ibid. dicendo: *Audiant Hebionæi, qui post passionem Christi, abolitam legem, putant esse seruandam* &c. Ad testimonium Numeror. dicimus; quòd ibi præcipitur, vt sint memores mãdatorum Dei, ne superstitiones, & cæremonias alienigenarũ, & gentiũ, in Hæbreã Synagogam inueherent, cùm Deus, mandaret, tantùm seruari ea, quæ per Moysen, seruanda mandauit.

21 Vniuersaliter autem ad hæc,

& id generis loca, quibus cæremoniæ, & similia videntur damnari; dicimus, quòd eatenus damnantur, quatenus contra æquitatem, in illis solis, tertius nostræ spei anchora collòcatur; nec ad id, quod cæremoniæ illæ respiciunt, scilicet Dei cultũ &c. oculi fidelium dirigũtur.

22 *Arguit* 3. idem Calu. ex *Augustino* de Consensu Euangelist. lib. primo cap. 18. laudante dictum Socratis, dicentis, sic *Deum* coli oportere, quomodo seipsum colendum esse præcepit.

23 Respondetur, vtique, ad superstitiones euitãdas, *Deum* eo modo esse colendum, quo ipse se colendum esse præscripsit, vt loc. cit. *Augustin.* inquit; Qui verò alio modo *Deum* colit, nõ Deum, sed sua somnia, ac vanas adiuentiones colit, vt idem *Augustinus* fatetur. Verùm, per hoc, non excluditur publica Ecclesiæ auctoritas, quæ quando, quomodo, quibusq; Ritibus colendus sit, ex eiusdem Dei Optimi Maximi auctoritate, & commissione præscribit.

24 Arguunt 4. Protestantes. Etiã si talem potestatem habèrent Ecclesiæ Præsides circa disciplinam, & Ritus; non oporteret suscipere, quæcumque de suo comminiscuntur. Christus enim, eatenus Populos hortatur, vt Scribis pareant, quantisper in pura, & simplici legis interpretatione manent.

25 Respondetur, nõ esse de errore timendum, cùm Præsides, & Præsules Ecclesiæ aliquid de fide pronunciant, vel leges condunt, vel cæremonias statuunt. Quare, simplicitèr, & non sub conditione, si bona vel vera decernant, obtemperandũ est. Hoc totum ex D. Patre Augustino desumpsimus, qui epist. 166. sic ait: *Cælestis Magister de malis Præpositis Plebem securam fecit, ne propter illos, doctrinæ salutaris Cathedra desereretur, in qua cognuntur etiam mali bona dicere. Neque enim sua sunt, quæ dicũt, Sed Dei, qui in Cathedra vnitatis doctrinam posuit veritatis.* Et S. Iræneus lib. 3. cap. 40. *Vbi enim Ecclesia, ibi, & Spiritus Dei; & vbi Spiritus Dei, illic Ecclesia, & omnis gratia, Spiritus autem veritas* &c. Frustra ergo Protestantes trepidauerunt timore, vbi non erat timor.

26 *Arguit* 5. Confess. Vuittembergensis. Non licet veteris legis ritus instaurare. *Thus* autem, luminaria, vestes *Sacræ*; *Rursus*, manuum impositio, *Ieiunium* decimi mensis, & huiusmodi à veteri lege desumptę sunt ab Ecclesiæ Præsulibus. Maior manifesta ex Apostolo ad Galat. 5. dicente: *Testificor autem omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ*, & iterũ. *Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Minor manifesta, vt pat. ex Exod. 30. Zach. 8. Leuit. 3: & 4.

27 Respondetur, quòd multa ab aduersario recensita in argumento, haud sunt veteris legis Ritus, cùm non ex præcepto legis sint instituta, sed ex mero antiquorũ Patriarcharum libito; non ergo cæremonię legales dici debẽt, quia non ex legis pręscripto sunt institutæ. Neque in consecratione ministrorum templi, Impositio manuũ legitur instituta, sed dumxtaxat Iosue capit. vltimo memoratur, vbi Iosue repletus est *Spiritu Sancto*, quia Moyses imposuit manus super eum; Vnde, hæc non est cęremonia veteris legis, scripto mandata. Hanc, sicut, & alias multas cęremonias, in suũ vsũ traxerunt *Apostoli*, non quidèm vt haberentur nunc tanquam legales obseruantię; sed vt Ecclesię statuta, retinerentur; non quidèm, vt Christum venturum significarent; sed, vt eum iam venisse, & mundo patefactum fuisse Euangelium, nouo instituentium fine, & intentione, designàrent. Sic Cerei accensi, manifestatam Euangelij lucem, & thurificatio, odorem gratiæ à Christo manantem, significant. Ieiunium decimi

mi mensis, non est reijciendum, inquit Sanctissimus Leo Papa, serm. 4. de hoc ieiunio; *Quia de obseruantia veteris legis assumptum est, tanquam hoc de illis sit, quæ inter discretiones ciborum, inter baptismatum differentias, & auium, pecudumque hostias esse desiterunt; illa enim quæ rerum futurarum figuras gerebant, impletis quæ significauere, finita sunt, sed* (vt ait idem serm. 10) *peractis figuris, quas abstulit ipsa præsentia veritatis, eaque vel ad regulas morum, vel ad simplicem Dei cultum ratio pietatis instituit, in eadem apud nos forma, in qua sunt condita perseuerant: & quæ vtrique testamento erant congrua, nulla sunt commutatione variata. Ex his autem est etiam decimi mensis solemne ieiunium, quod à nobis est nunc annua consuetudine celebrandum; quia plenum est iustitiæ, atque pietatis, gratias agere diuinæ largitati pro fructibus, quos in vsus hominũ secundùm summæ prouidentiæ temperamentum terra produxit.* Et per hęc, aduersario factum satis puto.

28 Arguit eadem Confessio Vuittemberg. 6. Quia has Cæremonias, etiam Gentiles in suis Sacrificijs adhibebant; vndè & meritò Ezech. 20. scribitur. *In præceptis Patrum vestrorum nolite incedere, neque iudicia eorum custodiatis, nec in Idolis eorum polluamini.*

29 Respondetur. Quòd multa à Deo, vel ex Dei mandato, vel instinctu sunt instituta, quæ postea Satan corrupit, ea ad superstitiosos Cultus transferendo; *nec ego nequam sum, quia oculus tuus nequam est*; quòd si Gentiles, quæ sanctè instituta sunt, non sanctè tractarunt; hoc, eorum impietati est ascribendum. *A*gnouit hoc, & ipse Ecclesiæ hostis Caluinus, dùm lib. 4. instit. cap. 14. §. 19. vi veritatis tortus, dixit: *Certa pietatis exercitia instituit* (Deus) *initio seruis suis, quæ postea Satan ad impios, & superstitiosos Cultus transferendo, multis modis depranat, atque corrumpit. Hinc illæ Gentium imitationes in sua Sacra, & cæteri degeneres Ritus, qui tamen, & si erroris erant, & superstitionis pleni, indicio tamen ipsi quoque simul erant, non posse in professione Religionis homines externis huiusmodi signis carere.* Et sic dicimus; quòd, loco adducto, reprehenduntur Hæbræi, eò quia, hos gentilitios Ritus, qui erant illis prohibiti, vt patet ex contextu Ezech. loc. cit., gentilitiè sequerentur. Huic Responsioni, & Tertullianus adstipulatur, qui in *A*pologetico cap 47. ait: *Omnia aduersus veritatem, ipsa veritate constructa sunt, operantibus æmulationem spiritibus erroris, ab ijs adulteria huiusmodi salutaris disciplinæ* (Christianæ) *extorta, ab ijs etiam quædam fabulæ immissæ, quæ &c.* Loquitur de Gentilibus, qui Christianos Ritus æmulantes, eos ad superstitiosos Cultus, impiè transtulerunt.

30 Arguit 7. Confessio *A*ugustana Articulo de discret. ciborum. Traditiones attulerunt magna pericula conscientijs, quia impossibile erat omnes Traditiones seruare, & tamen homines arbitrantur, has obseruationes esse necessarios Cultus.

31 Respondetur. Quod his Lenocinijs, plebeculas decipiunt Protestantes; non enim huiusmdi obseruantijs, conscientiæ illaqueantur, sed potiùs spirituali lætitia saginantur. Etenim, qui libentèr pro huiusmodi obseruantijs *E*cclesiæ parent; ijs, mandata *E*cclesiæ, grauia nòn sunt, cùm obseruatio non sit impossibilis, vt Aduersarij mentiendo fatentur, sed quæ *multum lucrum reportant*, vt ait D. *D*amasus epist. ad Aurelium Carthaginensem. Ità autẽ præcepta ista sunt cõstituta, vt si aliquod aliquãdo supra vires apparet, ad illud nõ tenentur; fideles sed pro circumstantia loci, tẽporis, & personæ temperatur, vt patet de Ieiunio, & alijs, quæ non obligant nisi eos, qui possunt, & valent; non item debiles, infirmos &c.; *A*t, hæ sunt malorum litigantium excusationes.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS V.

De Supremo Scholæ Veritatis Orthodoxæ Magistro Deo, qui loquutus est per Prophetas, & in Filio suo.

IDEST

DE VERBO DEI SCRIPTO NOVI, ET VETERIS Testamenti.

PRAEFATIO.

FA est (quis ignorat) Hæretici Orbis meta, Sacram Christi Religionem vbique cęlesti splendore rutilantem, pertinacitèr sine pausa, per diuersa abdita Mendaciorum cunicula multiplicitèr oppugnare. At Romanocatholica Fides, quæ Verbo Dei nititur, Mendacium nescit; nequè calumnia vinci potest, Columna Veritatis, quæ esti oculis suis non videt quod credit, videt tamen alienis, scilicet, Ecclesiæ, eius Mysteria infallibilitèr proponentis, & quàm certissimè interpretantis; sic cœca est, & oculata, sic, & intellectus in obsequium Fidei liber est, & captiuus; sine scientia, non tamen sine lege aut ratione; humilis, quia subiectus; pacificus, quia concors; constans, quia Deo morem gerens.

Captiuant intellectum in obsequium Veritatis, in hoc Opere propugnatæ, Romano Catholici. Res mira! Captiuitas ipsa libertas est; quia nemo suus est: Itaque contrarijs agimur fatis. Apud nos nemo sibi credit sed Deo loquenti, quia nemo suus est: Apud Protestantes nemo non sibi credit, quia nemo non sibi Deus est: Patres in tantum audiunt, in quantum fauent, Concilia in quantùm iuuant, Ecclesiam nullo modo, Scripturam prauò modo, Deum suo modo. Iam integros Verbi Dei Scripti codices è Sacro Librorum Canone obliterant vt placet; Scripturæ sensum, aut formant, aut peruersè deformant vt libet; literam verò, aut præscribunt, aut proscribunt, vt licet. Inde legi, legem imponunt, Verbòque Dei se ipsos præponunt, omnia demum errori suo iure ac iniuria componunt; & quoniam sua sibi quisque lex est, & Canon, hinc *scinditur studia in contraria vulgus* hinc inexhausta diuortia Sectarum apud eos, totq; in Fide vię, quot in æde vitæ. Et sicut quisque suo comedit more, bibitque suo, sic in hæresi quisque suo credit more, colitque suo. Fit eis Verbum Scriptum vermis, vt manna corruptum. E Sacro Canone detruncant, Affirmant, Negant, Explicant, addunt, adimunt mutantque, vt furor est, vt in hac concertatione videbimus.

IN-

Digitized by Google

INSTRVCTIO I.

De Supremo Catholicæ Veritatis Magistro Deo, qui loquutus est per Prophetas.

IDEST

DE VERBO DEI SCRIPTO VETERIS TESTAMENTI.

HÆresis, quæ desolationem domibus, ruinam Vrbibus, Prouincijs cladem, Regnis denique ipsis in quibus semel hospitio recepta est, vastitatem attulit; hæreticos homines, omnium turpissimarum voluptatum cœno adeo fœdauit, vt ipsi, eos Sacræ Scripturæ libros in quibus multa de Ieiunio, de Cœlibatu, de Castitate, ac alijs Christianis virtutibus preclarè commendantur, quique eorum ebrietates, impudicitias, obscenas carnis voluptates reprehendunt, ac reliquis suis erroribus infensos offendunt, sub dubiæ veritatis prætextu, è Sacro Librorum Canone detruncant, & obliterant. Sicque, qui confertissimis vndique cuneis Sacram Scripturam adequatam Orthodoxæ Fidei Regulam vsque ad rauim pronunciarunt, Scripturę non credunt, nisi inquantum ipsis placet, vel Ministris; quod non est Verbo Dei credere, sed hominibus, cùm vltimò, non moueantur ad credendum, nisi impulsu Ministri, vel suo. Indeque fit, vt Scripturam non nisi planè dilaceratam, ac in frusta concisam retineant, imperitęque plebi propinent. Quòd an verum sit, sequentium Lectionum annexus ostendit.

LECTIO I.

De Sacrorum Librorum Canone, seù Catalogo, ac de Apochriphorum numero.

1 DIuinorum Librorum numerum, seù Catalogum, iam olim tot Patrum, ac Conciliorum auctoritate definitum accepimus. Et planè mirum est, quanta cum petulantia Hæretici, nullo innixi fundamento, illum suis mendacijs oppugnare non desinant. Vt autem in hac famosa, & omnium Principe de Verbo Dei Scripto Tractatione, vt par est, dilucidè procedamus, nomina illa Canon, & Canonicum, pro totius Concertationis exactiori intelligentia, sunt explicanda. Pro quo.

2 Sciendum, quòd nomen Canon, potest sumi bifariè; Primò, pro vt idem est, ac Regula; Quarè Leges, quæ sunt Regulę moralium actuum; & Normæ dirigentes actiones, vt artificiata rectè fiant, Canones appellantur; Iuxtà hanc Ethymologiam, Ecclesiasticæ leges, Canones vocantur. Hinc, & Sacræ Scripturæ Libri, *Canonici* dicti sunt, quia Normam continent, seù Regulam, quam in Fide, Moribusq; sequi debemus. Secundò Canon accipitur pro determinato aliquo numero rerum, vt habetur in C. tit. 23. de Canone Largitionario titulorum, & secundùm hanc acceptionem, translatum est hoc nomen, Canon, ad significandum *Album*, seù Catalogum in quo aliqui annumerantur, alijs explosis tamquam ad illum numerum non pertinentibus, & in hoc sensu, in Concilio Laodiceno cap. 24. Canon Clericorum, dicitur Catalogus Clericorum; Indèque, Viros perfectos,

Canon bifariè sumitur.

Albo

Digitized by Google

Albo Sanctorum adscriptos, à Canone, Canonizatos appellat Ecclesia. Et hoc modo Libri Sacri diuinitus inspirati, scilicet Sacræ Scripturæ, Canonici Libri nuncupantur, eò quòd alijs reiectis, in Diuinorum Librorum Catalogum sunt relati.

3 Iam verò, non, desunt Protestantes, qui, estò primam Canonis acceptionem, Libris Sacræ Scripturæ conuenire dicant, (cùm illi, Norma sint, ac Regula credendorum) negant tamen secundam; sic Kemnitius in examine Concil. Trident. sess. 4. & alij.

4 Nos autem, cum Athanasio in sua Synopsi, dicimus, quòd vtroq; sensu, Sacræ Scripturæ Libri Canonici appellantur, *Quatuor* (ait) *Euangeliorum Libros, Sacri Sanctæ Ecclesiæ Canones nobis sanxerunt, præter ista non est vllum aliud.* Accinit Augustinus lib. 1. cont. Cresconium Grammaticum cap. 32. dùm inquit: *Non sine causa tàm saluber vigilantiæ Canon constitutus est, ad quem certi Prophetarum, & Apostolorũ libri pertinent.*

5 Et quidèm id, tùm ratio ipsa suadet, quia si Canon tantùm pro Norma, & Regula, & non pro Sacrorum Librorum Catalogo acciperetur; possent Fidei perduelles, & impostores, Sacros Libros ad libitũ fingere, eosq; pro Regula Fidei venditare, plebeculasq; decipere, dicendo, eos esse à Spiritu Sancto dictatos, quod maximum esset absurdum: Tùm & ipsi Doctores Protestantes non inuiti fatentur, inter quos Beza, (quem refert, & sequitur Henricus Stephanus in suo Thesauro Græco) nobiscum ait: *Canon accipitur pro Sacrorum Librorum Catalogo, quorum inuiolabilis est auctoritas.* Igitur Libri Sacræ Scripturæ non solùm dicuntur Canonici, quia sunt Regula credendorum; sed etiam quia, alijs reiectis, illi in diuinorum Librorum Catalogo sunt relati.

6 Neque valet si opponat Rullus Protestans, disp. 3. de Sac. Script. thesi 192. locum D. Pauli ad Philip. 3. *In eadẽ permaneamus Regula.* Nam, nos vtique fatemur, Sacram Scripturam, & Regulam, & Normam esse credendorum, vt diximus, non tamen adequatam; & ideò dùm ait Apostolus *In eadem permaneamus Regula*, vniuersam, & adequatam Fidei Regulam intelligit. Attamen, integra Fidei Regula, non est tantùm Verbum Dei Scriptum, sed etiam Verbum Traditum, vt Tract. antecedenti dictum est. Adhùc verò admisso, quòd Scriptura sit Regula, seù Canon in prima acceptione, nũquã tamen dici potest Canonica, nisi per Ecclesiæ annumerationem in Catalogo Librorum Sacrorum, qui Canon appellatur. Igitur loquimur hic, de Canone, prout dicit Librorum Sacrorum Catalogum. Hoc supposito adest.

Mendacium Protestantium.

7 CAluinus lib. 4. cap. 9. §. 14. de hac re controuersa, inquit: *Allegant Veterem Catalogum, qui Canon vocatur; quem dicunt ex Ecclesiæ dijudicatione manasse. Sed rogo iterùm, quo in Concilio Canon ille editus fuerit. Hic obtumescant (Papistæ) oportet.* Non equidèm obmutescimus Caluinè, sed respondemus, Canonem esse editum in Concilio 3. Carthaginensi mox citando.

8 Accinit Pappus Minister Argentoratensis lib. attitulato, Contradictiones Doctorum Romanæ Ecclesiæ, impress. anno 1597. & ait: *In Ecclesia Pontificia nullum fuisse Canonem Biblicum vsque ad Concilium Tridentinum.*

Vuhitakerus, eruditus quidèm Protestans Anglus, in suo Duplicato cont. Stapletonum pag. 6. asserit quòd *non illicò ab initio nascentis Ecclesiæ, fuit Canon constitutus, sed multo post, fuit per Ecclesiæ decretum fidelibus traditus.*

VE-

Digitized by Google

VERITAS CATHOLICA

Fuit Canon, scù Catalogus iste ab initio nascentis Ecclesiæ, ab Ecclesia stabilitus.

10 PRobatur, generalibus Principijs Protestantium inhærendo, ex totius Antiquitatis consensu.

11 Probatur 1. auctoritate Summorum Pontificum.

12 Innocentius 1. Sacrum Scripturæ Canonem attexuit in epist. ad Exuperium Tolosanum, cap. 7. his verbis: *Qui verò libri recipiantur in Canone Sanctarum Scripturarum, breuis annexus ostendit. Hæc sunt ergò, quæ desiderata moneri voce voluisti: Moysis libri quinque, ideſt Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, nec non, & Iesu Naue vnus, Iudicum vnus, & Regnorum libri quatuor, simul & Ruth. Prophetarum Libri sexdecim, Salomonis libri quinque, Psalterium. Item historiarum: Iob liber vnus, Tobiæ vnus, Hesther vnus, Iudith vnus, Machabæorum duo, Esdræ duo, Paralipomenon duo. Item noui testamenti: Euangeliorum libri quatuor, Pauli Apostoli Epistolæ quatuordecim, Epistolæ Ioannis tres, Epistolæ Petri duæ, Epistola Iudæ, Epistola Iacobi, Actus Apostolorum, Apocalypsis Ioannis.* Atque hic est Canon Sacrorum Voluminum, ab Innocentio Papa anno 406. declaratus, statutus, & Exuperio Episcopo Tolosano exhibitus.

13 Similem Canonem, ab Antiquitate, recepit Gelasius Papa, quem & confirmauit in Concilio 70. Episcoporum, Tom. 2. Concil. in Decretis, vbi dicitur: *Ordo librorum Veteris testamenti, quem Sancta, & Catholica Romana suscipit, & veneratur Ecclesia, digestus à Gelasio Papa cum septuaginta Episcopis, Genesis liber vnus, &c. Item ordo historiarum: Iob liber vnus: Iudith liber vnus: Machabæorum liber vnus* (vbi nota, quòd Machabæorum libros duos, vno volumine ligatos, vnum librum vocat; eodem modo quo paulò ante, Esdræ libros duos, vnum appellat) *Item ordo Scripturarum noui testamenti: Euangeliorum libri quatuor &c. Item Canonicæ Epistolæ numero septem: Iacobi Apostoli Epistola vna: Petri Apostoli, Epistolæ duæ: Ioannis Apostoli Epistolæ tres: Iudæ Zelotis Apostoli Epistola vna.*

14 Probatur 2. ex Concilijs, & Decretis Ecclesiæ. Concilium Carthaginense 3. (seù 4., nè Rainoldus Puritanorum os, & proloquutor, in suo lib. De Ecclesiæ militantis erroribus, nos Catholicos, erroris insimulet) cap. 47., & Can. 21., & 44. Sacrorum Librorum Catalogum, seù Canonem stabiliuit, his verbis: *Item placuit, vt præter Scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine Diuinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iesu Naue, Iudicum, Ruth, Regnorum libri quatuor. Paralipomenon libri duo, Iob Psalterium Dauidicum, Salomonis libri quinque, Libri duodecim Prophetarum, Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Iudith, Esther, Esdræ libri duo, Machabeorum libri duo. Noui autem Testamenti Euangeliorum libri quatuor, Actuum Apostolorũ liber vnus: Pauli Epistolæ tredecim, eiusdem ad Hebreos vna, & Iacobi vna, Apocalypsis Ioannis liber vnus.* Igitur, mille, & bis centum anni antè Concilium Tridentinum, Sacrorum librorum Catalogus, fuit vnanimi consensu in Ecclesia definitus.

Canon Diuinorum Librorum ex Cõc. Carthagiuensi 3.

15 Hunc librorum Sacrorum Cathalogum, seù Canonem, continuata serie, susceperunt à prædicto Carthaginensi Concilio Augustinus lib. 2. de Doctr. Christiana cap. 8., in fine; ab Augustino accepit Innocentius 1. epist. ad Exuperium Tolosanum, & Concil. Toletanum 1.; Ab his, accepit Gelasius Papa in Concilio Romano 1. vt videre est tom. 2.

Digitized by Google

Conciliorum in Decretis Gelasij circa finem, Cassiodorus lib. 2. de Diuin. Instit. & Isidorus lib. 6. Ethymolog. cap. 1. *Ab his*, accepit Concil. Lateranense Generale sub Innocentio III. vbi omnia Concilij Carthaginensis 3. decreta fuerunt confirmata: Deinde, ad hoc Concilio, idem Sacrorum Librorum Catalogus, fuit ab Eugenio Papa susceptus in Concilio Florentino; Ac postremò, Sacrum Tridentinum Conciliũ eundem Canonem suscepit, & approbauit.

16 Prob. 3. ex Patribus. Origenes, teste Eusebio lib. 6. histor. cap. 18. ex Traditione Maiorum, Sacrum Librorum Canonem se suscepisse fatetur, his verbis: *Ex Traditione didici de quatuor Euangelijs, quod hæc absque vlla contradictione suscipi debent ab omnibus quæ sub cœlo sunt Dei Ecclesijs*;

17 Experimùr in hoc, & Sancti Cyrilli Hierosolymitani patrociniũ, qui Cathechesi 4. ait: *Has tandem studiosè meditare Scripturas: quas in Ecclesia confidenter legimus: multo prudentiores te, & religiosiores fuerunt Apostoli, & primi Episcopi veritatis duces, qui nobis eas tradiderunt: tu itaque cùm sis filius Ecclesiæ, non transgrediaris illius terminos.*

18 Sanctus Augustinus, Sacris Concilijs subscribens lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. sequentem Sac. Librorum Canonem attexuit. *Totus Canon Scripturarum his continetur libris, Quinque Moysis, id est, Genesi, Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronomio, & vno Libro Iesu Naue, vno Iudicum, vno libello qui appellatur Ruth, qui Magis ad Regnorum principia videtur pertinere: deinde quatuor Regnorum, & duobus Paralipomenon, non consequentibus, sed quasi à latere adiunctis, simulque pergentibus. Hæc est historia, quæ sibi met annexa tempora continet, atque ordinem rerum. Sũt aliæ tamquam ex diuerso ordine, quæ neque huic ordini, neque inter se connectuntur, sicut est Iob, & Tobias, & Ester, & Iudith. Machabæorum libri duo, & Esdræ duo, &c. Deinde Prophetæ in quibus Dauid vnus liber Psalmorum, & Salomonis tres, Prouerbiorum Cantica Canticorum, & Ecclesiastes. Nam illi duo libri: vnus, qui Sapientia, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine, Salomonis esse dicuntur; Nam Iesus Filius Sirach eos scripsisse, constantissimè perhibetur. Qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Prophæticos numerandi sunt. Duodecim Prophetarum libri, singuli, quorum Prophetarum nomina sunt hæc Oseę, Iocl, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahũ, Abacuh Sophonias, Aggęus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor Prophetæ sunt maiorum voluminum, Esaias, Hieremias, Daniel, Ezechiel, &c. Noui autem quatuor libris Euangelij, secundùm Matthæum, secundùm Marcum, secundùm Lucam, secundùm Ioannem. Quatuordecim Epistolis Pauli Apostoli, Ad Romanos, ad Corinthios duabus, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses duabus, ad Colossenses, ad Timotheum duabus, ad Titum, ad Philemonẽ, ad Hebræos: Petri duabus, tribus Ioannis, vna Iudæ, & vna Iacobi, Actibus Apostolorum libro vno, & Apocalypsis Ioannis libro vno.* Ergo ex Augustino, quem verissimum Antiquitatis testem vocat Caluinus, Canon Sacrorum Librorum haud nuperus est, & in Concilio Tridentino editus; sed iam pridem in primitiua Ecclesia, ab Ecclesia constitutus, & ab eodem Augustino agnitus, atque à Concilio Carthaginensi 3. cui interfuit, transcriptus.

Canon Sacrorum librorum à S. Augustino descriptus

19 Alcuinus Auitus lib. ad Sororem de Consolat. Castitatis, Canonem Sacrorum librorum, sequenti metro expressit:

Nam

Digitized by Google

Alcuinus Auitus, metro Sacræ Script. Canonem explicat.

Nam quicquid Sacræ Diuina volumina legis
Aut sensu aut verbo monstrant, quod prædicat ille
Antiquus mũdi repetens exordia vates,
Siue ille historias texit, aut fortè figuras:
Quidue etiam ille Naue Mosi Successor Iesus,
Succiduoque Simul quod quisque in tẽpore Iudex
Gesserit, vt dignos Sorer isthæc omnia dudum
Docta tenes: Quid nunc Ruth Moabitida dicam?
Præterea reprobo qui succedere Sauli
Quique gubernarint Iudam, atque Israela Reges:
Quæque instaurator tẽpli promptissimus Esdras
Egerit, aut melius cæcato in corpore cernens
Tobias, quid pro populo cõfecerit Hester,
Fœmineaque animi Iudith in mente virilis,
Et quæ tàm misere afflicti patientia Iobi.
Porrò etiam vnde animi possis desumere mores,
Ter quingentos per scriptos ordine Psalmos,
Et quicquid docti Solomonis dextera scripsit
Quodque bis octeni post se videre Prophetæ,
Et Machabæorum fortissima prælia fratrum.
Vis vnò breuius complectar vt omnia verbo?
Tota instrumenta veteris tibi pagina nota est.
Deihinc quicquid priscæ succedens gratia legi
Intonat, atq; Noui miracula testamẽti:
Quæ canit hinc Hominis facies, vox inde Leonis,
Et pernix Aquila, & Fortis certamine Taurus:
Quicquid Apostolicis Lucas descripsit in Actis:
Bis septena pij quod spargit Epistola Pauli,
Quid Petrus docet, & Iudas, Iacobus, & ipse,
Et que diuini quondam secreta Parẽtis
Vidit Ioãnes, nobisq; incognita scripsit.
Et que veridici, nec in hoc tamen ordine, Patres.
Exposuere suis Mysteria digna libellis,
Hæc cuncta tenens, animo sitiẽte bibisti.

Hæc Antiquus Pater Alcimus Auitus qui vixit anno 500.

20 Prob. 4. Specialibus Principijs, & testimonijs Protestantium inhærendo. Hipperius in Methodo Theologica lib. 1. pag. 46. in rem nostram, veritati testimoniũ perhibet, his verbis, : *In Concilio Carthaginensi adduntur Canoni &c. Sapientia, Ecclesiasticus, duo Libri Machabæorum, Tobias, Iudith, &c. quos omnes eodem ordine numerat Augustinus, Innocentius, & Gelasius.* Igitur, Canon non est institutus in Concilio Tridentino, vt comminiscuntur Aduersarij, sed iã in primitiua Ecclesia erat constabilitus.

21 Rursus, altioris subsellij Protestantes, vt Hospinianus in historia Sacramentaria parte 1. pag. 160. Zanchius de Sac. Scriptura pag 33. Lubertus de Principijs Christiani dogmatis libro 1. cap. 4. pag. 8. & Rainoldus conclusion. annexis collat. pag. 699. fatentur, Canonem Scripturæ fuisse editum in primitiua Ecclesia ab Augustino, Gelasio, Innocentio, & à Patribus Concilij Carthaginensis, quos tamen tàmquam sibi infensos, biliosè carpunt.

22 Fulco Ptotestans in Respons. ad Pseudocatholicum pag. 5. & Iuellus in defensione &c. impressionis anni 1571. pag. 242. inuestigantes, quænam sint veræ Scripturæ, & recipiendæ: quæ verò spuriæ, & reijciendæ, ad Ecclesiæ auctoritatem, Catalogum, & Canonem Sacrorum Librorum stabilientis, confugiunt; his verbis: *Ecclesia Dei habuit Spiritum Sapientiæ quo, veras Scripturas à falsis discerneret.*

Digitized by Google

23 His accinit Vuitakerus cont. Staplet. libr 1. cap. 5. pag. 69. dum ait: *Ecclesiæ officium est vt veras, germanas, & genuinas Scripturas, à falsis, suppositityis, & adulterinis dijudicet, & discernat, qua quidem in re, fungitur officio Iudicis; & ad hoc munus obeundum habet Spiritum Christi, quo verum à falso possit distinguere.*

24 Hookerus de Ecclesiastica Politia lib. 2. sec. 4. pag. 102. fine, ait: *Inter ea omnia, quæ cognitu necessaria sunt, illud est, qui nàm libri sint Canonici, quod quidem ex Scripturis haberi impossibile est.* Et pro secura notitia sacrorum librorũ, ad Ecclesiæ auctoritatem, Canonem stabilientis, cum Catholicis confugit ibid. lib. 3. sec. 8. pag. 146.

25 Pappus Lutheranus, reddens rationem, cur epistola Iudæ sit Canonica, simul cum secunda Petri, & 3. Ioannis &c. ad Ecclesiæ Canonem, & auctoritatem recurrit, dicendo: *Quia nunquam ab omnibus simul Ecclesijs dubitatum fuit: sed quædam Ecclesiæ ijs nunquam contradixerunt. Quæ dubitarunt,* (subdit) *in nostram sententiam iuerunt, Nicephorus lib. 3. Ecclesia iam dudum pro legitimis, & testamentarijs recipit. Idem, Hieronymus in Catalogo, & Concilium Laodicenum admittit. Dubitationis causæ non sunt satis graues. Argumentamur ab Ecclesia minus informata, ad melius informandam, aliàs etiam indubitata, venirent in discrimen.* Cùm ergò, vt vidimus, hic Canon in Ecclesia receptus, & ab eadem stabilitus sit; hic idem, & non alius, ab omnibus est suscipiendus.

[Pappus Lutheranus Canonem Scripturæ recipit.

26 Arguit 1. Vuitakerus in Duplicato cont. Stapletonum fol. 6. Si certus Canon stabilitus est, immobilis, & vniformis esse debuit: sed in primitiua Ecclesia, erat, dumtaxat constitutus Canon Hebræorum, qui erat Canon Christianorum: Ergò hic debuit inuariatus permanere. Ergò non potuit alius Canon constitui ab Ecclesia, addendo ad Canonem Hebræorũ, dubiæ Fidei libros.

27 Respondetur, quòd in argumento fit transitus à Canone, proùt dicit Normam, & Regulam, ad Canonem proùt dicit Catalogum. In forma ergò, distinguo Maiorem, est immobilis, & vniformis, vt regula est in se, & in actu primo, concedo maio.; in actu secundo, & quo ad nos, nego maiorem. Et intellecta minori de Canone, vt dicit Catalogum, negatur consequentia. In actu enim primo, libri additi ad Canonem Hebræorum, semper erant Canonici; sicùt vnaquæq; Regula in actu primo, habet rationem mensuræ: in actu vero secundo, nõ dùm adhibita Canonis applicatione, & explicatione, quæ habetur per consignationem Ecclesiæ in Albo, seù Catalogo; (vt modo facta est) etsi non apud omnes, & omni tempore; tamen, apud aliquas Apostolicas Ecclesias, tacito consensu, idem Canon retentus est, qui & postea ad tollendam dubietatem, inuiolabili Ecclesiæ decreto, successu temporis præscriptus est, declarando hunc librum esse Canonicum, & addendum Canoni Hebræorum. Quod vt pleniùs ostendatur.

Antequam Libri apponerentur in Canone, erant in se Canonici, sed non quo ad nos.

28 Notandum, quod quando Protestantes nobis obijciunt, libros Esther, Baruch, Iudith, Tobiæ, &c. fuisse è Canone Sacrorum Librorum exclusos ab antiquis Ecclesiæ Patribus, scilicet, Melitone, Origene, Athanasio, Eusebio, Cyrillo, Augustino, &c. Respondemus, hos, numquam eos libros exclusisse, sed dumtaxat dubitasse, si vel nè Canonici essent: neque tùnc, Patres illi, contradixerunt Ecclesiæ; quandoquidem, quandiù aliqua quæstio Ecclesiastica manet dubia, tandiù possumus pro nostro libito vtramque probabiliter partem sequi, vsquequò per Ecclesię definitionem altera pars auctoritatiuè determinetur;

Neque

Ante Ecclesię definitionē, in re dubia, potest vtraq; opinio licitè sustineri; non post.

Neque censendum est eos, ab Ecclesia dissentisse, qui, antè Ecclesiæ definitionem vnam partem amplectuntur vt dubiam, & post definitionem alteri parti adhærent; nàm, & huic parti vtique ante adhæsissent, si hæc, antè fuisset ab Ecclesia definita. Sic in præsenti: Ante Decretum Concilij, & Innocentij I. non extabat aliqua Ecclesiæ definitio pro præcitatis libris Sacræ Scripturæ; adeoq;, de illis, quo ad nos, dubium erat, an essent Canonici, estò in se ipsis re, & in actu primo Canonici essent. Accedente postmodum Concilij, & Innocentij I. decreto, statim Sanctus Augustinus, & alij Patres illi definitioni adhæserunt, eosque libros tamquam verè Canonicos receperunt; idque, & antea fecissent, si Ecclesia ante definiuisset, ac sua definitione eosdem libros in actu secundo, & quo ad Nos, Canonicos fecisset, qui tamen in se, & in actu primo Canonici erant. Neque hoc est contraire decretis Ecclesiæ, sed obedire.

29 Neque Canon, vt Regula est, est mobilis secundùm se, & in actu primo, vt dictum est. Rursus, loquendo quo ad nos; ab aliquibus particularibus Ecclesijs fuit de quibusdam libris dubitatum, num essent in Canone Christianorum numerandi; At verò respectu Ecclesiæ Catholicæ Vniuersalis, nedum secundùm se, sed etiam quo ad nos, omnes libri qui in Concilio Tridentino, sicut, & Carthaginensi 3. &c. fuerunt numerati, semper pares fuerunt in auctoritate, & in certitudine, & in se ipsis, & quo ad Ecclesiam Catholicam in vniuersali: Semper enim fuerūt aliqui Ecclesiæ Patres, fidelissimi testes Traditionis horum librorum, anteq uam Canon Ecclesiasticus conderetur, à quo tantùm habemus, vt dubietatem quo ad nos pristinam tollat, scilicet, an regula illa, certàm habeat, & infallibilem regulandi rationem.

30 *Arguit* 2. Pappus Lutheranus Canon qui apud Pontificios est, nuperus est à Concilio Tridentino editus. ergo &c.

31 Resp. ex dictis non esse à Cōcilio Tridentino primò editum, sed à Concilijs antiquissimis, vt hactenus vidimus.

Canon Tridentinus idē ac Antiquus: & quomodo?

32 At dato, quòd hæc consignatio Sacrorum librorum in Canone, sit facta à Concilio Tridentino; videndum est, quando, & quomodo talis consignatio facta sit. Si loquamur in consignatione facta *Verbo*, aut tacito consensu, & simul; iam ab Ecclesiæ exordio editus est Canon Tridentinus; (idem enim est ille, ac iste) nam, non aliunde antiqua dogmata ad nos vsque peruaserunt, nisi Apostolica Traditione. Si sermo sit de Scripta consignatione, non simul sed processu temporis, auctoritatem recipere meruerunt, vt ait Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Huius rationem reddit Lyrinensis lib. contra Prophan. voc. Nouitates cap. 32. *Quod tunc Ecclesia dogmata Scripto consignat, quando ab Hæreticorum nouitatibus excitata, id quod Verbo à Maioribus, & Apostolis accepit, idem ad posteros Scripto transmittit.* Igitur, sicut initio Ecclesiæ nulla extante dubietate de diuinis voluminibus ab Apostolis Traditis, nullo Ecclesiastico decretò opus fuit, quo libri prædicti Scripto Canoni consignarētur; ita, dubitatione exorta, opus fuit, vt Ecclesia, illud ipsum quod apud quasdam Ecclesias particulares, maximè Apostolicas, indubitatum erat; Vniuersali Ecclesię, Scripto, manifestaret, & traderet, Sacros libros in Catalogum redigendo, vt eos ab Apochryphis distingueret, id maxime exigente Hæreticorum vel dissidentium instantia. Quam auctoritatem, etiam Protestātes non inuiti, Ecclesiæ tribuunt, vt vltra innumeros, fatetur Fulco in Respons. ad Pseudocatholicum fol. 5. vbi

Canon Antiquus Verbo, & consensu stabilitus, scripto configuratur, & quare?

Digitized by Google

Protestantes agnoscũt in Ecclesia potestatem cõdendi Canonem Sac. Scrip.

5. vbi de Canone Ecclesiastico loquens, ait: *Potest quidem Ecclesia Christi, vera Scripta ab adulterinis discernere, & Verbum Dei, ab inuentis humanis; hoc autem iudicium à Spiritu Sancto habet.* At de hoc fusius infra, Instr. de deprauat. Verbi Dei Scripti lectione 1.

33 Constabilito Sacrorũ Librorum Canone, libet nunc Apochryphorum librorum seriem hic, pro complemento huius lectionis, annectere.

Libri Apochryphi qui sint.

34 In primis, aliqui sunt libri *Apochryphi*, quos Ecclesia omninò à Diuinis expulit, quosque nullo vnquam tempore inter Canonicos cõputari voluit; quia, vt ait Eusebius lib. 3. cap. 19. nullus ex Scriptoribus Ecclesiasticis, tũ recentibus, tum veteribus, eorum testimonijs vsus perhibetur. Huiusmodi, nonnulli recensetur à Clemente Primo lib. 6. Constit. *Apostolicarum* cap. 16. & sunt quidam libri Moysis, Enoch, Adæ, Isaiæ, Dauidis, Heliæ, ac trium Patriarcharum nomine cõscripti; qui pernicioſi, ac veritati infesti vocantur à Clemente.

35 Idem fecit Innocẽtius primus epist. ad Exuper. Tolosan. cap. 7. vbi postquam Canonicos lib. enumerauit, dixit hæc Verba: *Cætera autem quæ vel sub nomine Matthiæ, siue Iacobi minoris, vel sub nomine Petri, & Ioannis quæ à quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Andreæ, quæ à Nexochàride, & Leonide philosophis, vel sub nomine Thomæ, & si qua sunt alia, non solum, repudianda, verùm etiam noueris esse damnanda. Datum x. kal Martij: Stilicone Secundo, & Antemio viris clarissimis consulibus Anno Domini* 405.

36 Præterea, Gelasius Papa, primo Concilio Romæ habito 70. Episcoporum, plurimos alios recenset, quos refert Gratianus in Decretis dist. 15. cap. Sancta Romana, & Eusebius, vbi supra, scilicet.

Itinerarium nomine Petri Apostoli.
Actus nomine Andreæ Apostoli.
Actus, nomine Thomæ Apostoli.
Actus nomine Philippi.
Euangelium nomine Thadæi Apostoli.
Euangelium nomine Matthiæ Apostoli.
Euangelium nomine Petri Apostoli.
Euangelium nomine Iacobi Minoris.
Euangelium nomine Barnabæ.
Euangelium nomine Thomæ.
Euangelium nomine Bartholomæi.
Euangelium nomine Andreæ.
Liber de infantia Saluatoris.
Liber de Natiuitate Saluatoris, & de Maria, & obstetrice.
Liber de filiabus Adæ Cenesæos.
Liber qui appellatur Actus Tectæ, & Pauli Apostoli.
Liber Prouerbiorum qui ab Hereticis conscriptus, & S. Xisti nomine prænotatus est.
Reuelatio quæ appellatur Pauli Apostoli.
Reuelatio quæ appellatur Thomæ Apostoli.
Reuelatio quæ appellatur Stephani.
Liber qui appellatur Transitus, seù Assumptio Sanctæ Mariæ.
Liber qui appellatur Pœnitentia Adæ.
Liber qui appellatur testamentum Iob.
Liber qui appellatur Pœnitentia Iannis, & Mambre.
Liber qui appellatur, Sortes Apostolorũ.
Epistola Iesu ad Abagarum Regem.
Epistola Abagari ad Iesum.
Scriptura, quæ appellatur Contradictio Salomonis. His addi potest.
Apocalypsis Petri, de qua meminit Euseb. lib 6. cap. 11.
Euangelium secundùm Hebræos.
Epistola Barnabæ.
Acta Pauli
Liber peregrinationum Pauli,

33 Sunt & alij libri, quos recenset Possevinus lib. 1. Biblioth. cap. 18., & noster Sixtus Senensis Biblioth. lib. 2. in Præfatione, quos omninò vt supposititios expulit Ecclesia.

34 Extant, & alij libri Apochryphi, qui, cùm à Multis Antiquissimis Patri-

Digitized by Google

Patribus Clemente, Irenæo, Origene, Athanasio, Eusebio, Hiernymo sæpè citentur, & commendentur, eos dubiæ auctoritatis esse sinit Ecclesia, vt sunt: Oratio Manasses, liber 3. & 4. Esdræ, Appendix libri Exther, Appendix libri Iob, liber 3. & 4. Machabæorum, Accessio ad Psalterium, Additamentum ad librum Ecclesiastici, Præfatiuncula in Lamentationes Hieremiæ; Liber Hermæ discipuli B. Pauli, qui Pastor inscribitur.

LECTIO II.

De Libris Canonicis in particulari, ac primò de Libro Baruch è Sacro Canone à Protestantibus erasso.

1 MOderata tandem Aduersariorum petulantia contrà Diuinos libros in genere, modò specialitèr Librum Dei Prophetæ Baruch, Protestantium blasphemijs lacessitum, ac mendacijs oppugnatũ, pro viribus propugnemus.

Mendacium Protestantium.

2 MArtinus Lutherus præfat: German. in Baruch. Vuldericus Zuuinglius in explicat. Art. 20. fol. 53. Petrus Palladius Isagogæ ad Sacros Libros, Kemnitius exam. 4. Concil. Triden. & Hunnius librum Baruch Spiritu Diuino, & veritate nudarunt; hinc illæ Palladij voces: *Constat hunc librum* (Baruch) *non esse magni momenti*.

3 Caluin' eũ è Canone erasit l. 3. instit. cap. 20. §. 8., Vuhitakerus in disp. de Sac. Scrip. Baruch lib. inter Apocryphos reiecit, dum dixit *Quisquis hunc librum scripsit, Græcus homo fuit, & Græcè scripsit: ergò nec Baruch fuit; nec aliquis ex numero Prophetarum: ita efficitur necessaria ratione hunc librum in Apocryphis esse statuendum.*

4 Antonius Faius in Enchiridio disp. 21. & 22. ratione ex D. Hieronymo petita ex Præfat. Hieremiæ, infrà adducenda in obiectionibus, negat hunc librum esse Canonicum; deindè ex Proprijs addit: *Concilia antiqua, Patres. & Pontifices Baruch non meminerunt*. Eum sequitur Lectius Protestans, qui lib. 1. suarum Præscriptionum negatione 9. in Præsidem Fabrum, falsam Bellarmino calumniam affricat; dùm ex eodem Eminentissimo Scriptore, conatur ostendere, nec Concilia, nec Patres, inter Canonicos, librum Baruch annumerasse. Istis accinit Franciscus Dauid Trinitarius in Disputatione Albana. Vt hoc autẽ aduersariorũ mẽdaciũ profligemus sit.

VERITAS CATHOLICA

Baruch Prophetæ liber, inter Sacros, & Canonicos est annumerandus.

5 PRobatur generalibus Principijs Protestantium inhærendo, ex vnanimi totius Antiquitatis consensu; ac primò, auctoritate Summorum Pontificum Romanorum, primorum quinque Sæculorum. Clemens 1. epist. ad Iacobum fratrem Domini, inquit: *Sufficit nosse, quod lux genuit splendorem, sicut ait Propheta, in splendoribus Sanctorum ex vtero genui te*: Et illud, *Hic est Deus noster, non reputabitur alius adillum Baruch cap. 3.* Et lib. 5. constitut. Apostolicarũ cap. 19. in eodem ordine collocat lamentationes Hieremiæ, & librum Baruch: *Siquidem* (ait) *& nunc decimo die mensis noui, in vnum locum congregati, lamentationes Hieremiæ legunt, in quibus scriptum est, Spiritus antè faciem nostram Christus Dominus comprehensus est in corruptionibus eorum. Item Baruch, in quo scriptum est, Hic est Deus noster,* (Baruch 3.) *& non æstimabitur alius aduersus eum.*

6 Si-

Digitized by Google

6 Sistus Primus epist. ad omnes fideles, ex hoc libro Diuinum testimoninm assumit; dum dicit: *Quis est hic Deus, in quo esse dicitur Deus Pater, præterquem alium Deum non esse Prophetæ testantur, Hic est Deus noster, ait, & non applicabitur alter ad eum, &c. Baruch.* 3. Idem asserunt Felix; 3. epist. ad Petrum Antiochenum, Pelagius primus epist. ad Vigilium Episcopum, & alij.

7 Præterea compertum est, Innocentium Primum epist. ad Exuperiùm, & Gelasium. sub Hieremia Baruch comprehendisse; cùm, vt dictum est, sub nomine, & titulo Hieremiæ, ab antecessoribus Pontificibus citetur. Is enim Hieremiæ sententias collegit, nam fuit discipulus Hieremiæ, à quo didicit vaticinia Christi Domini, vt innuit Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 33. dum ait, *Prophetiam Hieremiæ celebratius haberi*. Et esto non dicatur videns, sed scriptor; tamen; (discipuli acta, Magistro tribuuntur) hoc ex humilitate fecit, quia non de reuelatione habita, sed de scribendi labore meminit, sicut Ioannes Euangelista suã personam subticuit, & tantùm de scribendi munere loquitur, cum ait: *Hic est discipulus ille quem diligebat Iesus, & scripsit hæc.* Igitur compertum est, Summos Romanos Pontifices; iam inde ab Apostolorum temporibus, Baruch librum inter Canonicos, & Diuinos annumerasse, & sic Faius, & Lectius mendaces deprehenduntur, & nostra Orthodoxa Veritas antiquorum Pontificum testimonio roboratur.

8 Probatur 2. ex Concilijs; De Carthaginẽsi. 3. patet, dum Baruch. sub nomine Hieremiæ citat; de Romano sub Gelasio, & de 6. Synodo, (quę Carthaginense Concilium approbauit,) dictum est supra. Addo Concilium Laodicenum cap. 59. vbi Baruch inter Sacros Prophetas sine vllo discrimine recenset, per hæc Verba: *Hæc sunt quę legi oportet, ex veteri testamento &c. Duodecim Prophetæ, Isaias, Baruch, Lamentationes, & Epistola.*

9 Rursus Concilium Magnum generale Nicęnum primum, de Baruch illustrissimum fert testimoniũ, cùm illius auctoritate vtitur, ad probandam sempiterni Filij Dei Diuinitatem, contra Arianos lib. 2. Cõc. fol. 105. *Clariùs (ait) accipe testimonium authenticum soli personæ Dei propositum, ostendens ipsum esse auctorem omnium factarum naturarum, sicut scriptum est in Libro Baruch, ex ore Hieremiæ Prophetę dicentis: Qui præparauit terram in æternum tempus, impleuit eã iumentis, quadrupedibus &c. Hic est Deus noster, & non reputabitur alius aduersus eum.* Deinde fol. 109. eiusdem libri testimouium, citat, sub nomine Baruch.

10 Præterea, Concil. Toletanum primum in Confessione suæ Fidei ad calcem nostrũ assertum definit contra Priscillianistas: *Si quis dixerit, (ait) vel crediderit alias Scripturas, præter quas Ecclesia Catholica recipit, in auctoritate habẽdas, vel venerandas esse, anathema sit. Ibique inter Diuinos codices Baruch annumerat:*

11 Atque ita iterum Faius cum suis concerronibus, mendaces deprehenduntur.

12 Probatur 3. ex Patribus. Antenagoras, legatione pro Christianis, Baruch verba citat. quæ Hieremiæ abscribit, idem præstat Irenæus dũ lib. 5. cap. 35. ex Baruch. cap. 4. & 6. sub nomine Hieremiæ testimonium desumit; Clemens Alexandrinus lib. 2. Pedagogi cap. 3. de libro Baruch, ait: *Pulcherrimè itaque alicubi dicit Diuina Scriptura, ad eos, qui sunt sui amantes, & arrogantes, verba dirigens: vbi sunt qui gentibus imperant, & qui dominãtur feris &c.?* Baruch 3. Idem facit lib. 1. cap: 10. & 15. *dum ibi, eum Prophetam vocat:* Origenes homil. 7. in Exodum, & 2.

Periar-

Digitized by Google

Periarchon cap. 3. Eum Prophetã appellat, ac in *Assertionis* cuiusdam testimonium, eum adducit.

13 Eusebius lib. 6. de demõstrat. Euangel. cap. 19. loquens de hoc libro controuerso, dicit, *Nihil oportet adiungere diuinis vocibus*; citauerat enim illud, *Hic est Deus noster &c.* Baruch. cap. 3., idem repetit lib. de Propheticorum librorum appellationibus.

14 Zeno Veronensis (qui vixit anno 260.) serm. 1. de Christi Natiuitate, ait: *Sed, & Baruch eodem Spiritu loquitur, dicens: Hic est Deus noster, & non reputabitur Deus aliquis, absque ipso, qui adinuenit viam prudentiæ, & reuelauit eam Iacob puero suo &c. Baruch. 3.* Athanasius in epist. de Decretis Concilij Niceni, dicit: *Et huius sapientiæ fontem Deum esse, in Propheta Baruch didicimus. Baruch 3 Relinquebatis fontem aquæ viuæ.* Et Orat. cont. *Arrianos*, idem præstat.

15 Paulinus Nolanus Hortatione ad militem sæculi, vt Christo militet (apud Hieronymum tom. 10. epist. 24.) Et de diuitijs sæculi, ait: *Et iterum per Prophetam dicitur: exterminati sunt omnes, qui exaltati fuerunt auro, & argento.*

16 Cyprianus, contra Iudæos, Christi Diuinitatem probans; similiter Lactantius lib. 4. Instit. Diuinarum cap. 13. Hilarius lib. 5. de Trinit. versus finem, adducunt illud Baruch. cap. 3. *Hic est Deus noster.*

17 Item Diuus Ambrosius lib. 3. Exameron cap. 14. expẽdens locum Baruch cap. 4. dicit: *Denique de ipsis etiam in posterioribus dixit Hieremias, Delicati mei ambulauerunt vias asperas; quibus infra ait, constantes estote, & clamate ad Deum.*

18 D. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 33. loquens de illo testimonio Baruch. 3. *Hic est Deus, &c.* ait: *Hoc testimonium quidam non Hieremiæ, sed Scribæ eius attribuunt, qui vocabatur Baruch, sed Hieremiæ celebratius habetur.*

19 His subscribunt, ex Græcis Didymus Alexandrinus in cap. primum Iacobi, Basilius Magnus lib. 4. cont. Eunomium. Nanzianzenus Orat. de Fide quæ est 49. Epiphanius cõt. Nazaræos, & Ebionitas, Greg. Nissenus orat. prima de pauperibus amandis; Chrysostomus homil. 5. de incomprehẽsibili Dei natura, &c. ex Latinis Tertullianus lib. aduers. Gnosticos cap. 8. Prosper Aquitanus de Promissionibus, & Prædictionibus part. 2. cap. 9. Fulgentius de Incarnat. & gratia Christi cap. 10.

20 Tandem concludamus cum Cyrillo Alexandrino homil. dicta Ephesi cont. Nestorium vbi, ait: (& aptè nos quidem possumus, Protestantibus obijcere) *Testes accipite Sãctos Prophetas, non ne Baruch Emanuelem digito demonstrat? Ait enim. Hic est Deus noster, &c.* Baruch 3.

20 Sciendum tamen Pontifices, & Patres Priorum temporum, librum hunc, non explicate sub nomine Baruch, sed tantùm sub Hieremiæ titulo in Sacrorum Librorum Catalogo annumerasse. Quomodocunque sit, librum hunc semper, vt Canonicum Sacrum, & Diuinum, Diuina continentem eloquia, susceperunt. Quod si Protestantes, & præcipuè Faius, tot Patres, & Pontifices nostrum intentum astruentes, vel malitiosè subticuerunt, vel ex inscitia non viderunt, quid inde? An Aduersariorum mendacia, librũ Baruch Spiritu Diuino, & veritate nudabunt?

21 Reijciunt, scio Protestantes librum Baruch, quia equo odiosus calcar; multa enim ex hoc libro Romano Catholici colligunt, quæ falsa hæreticorũ dogmata funditus euertunt: exemplum est obuium: Historiam refero: Franciscus Dauid Trinitarius in disput. Albana Actione 5 cùm robustè præmeretur illo loco quo filij Dei Diuinitas ostenditur Baruch 3. *Hic est Deus noster, & non*

estimabitur alius aduersùs eum, in anguſtias redactus, paucis ſe expediuit, dicendo: *Baruch non eſt Canonicus*. O ſtrenuum Doctorem! Sic, & Sectarij ex more faciunt; quòd dum aliqua Scripturæ teſtimonia ſibi vident refragari, extemplò vel negant, vel inauditis Torſionibus, ad ſuum prauum ſenſum conantur adducere, Sed de his infra.

22 Probatur 4. Specialibus Principijs, & teſtimonijs Proteſtantium inhærendo. Caluinus in Pſychopannychia fol. 79. aſſumit teſtimonium ex cap. 4. Baruch, *Beati ſumus Iſrael &c.* Et; *Audi Iſrael mandata vitæ, auſculta, vt cognoſcas prudentiam.* 3. vbi eum Prophetam vocat, dicens: *Ecce quod ait Propheta, quando demonſtrare vult ſcaturiginem, ac fontem vitæ in Deo ſitam eſſe: Diſce vbi ſit prudentia vbi ſit virtus &c.* Et clarius ibid. fol. 131. ait: *Hæc ſententia planè confirmatur per eam orationem, quæ eſt in libro Prophetæ* Baruch. cap. 2. *Aperi Domine oculos tuos, & vide, quia non mortui qui ſunt in inferno, quorum Spiritus acceptus eſt à viſceribus ſuis, dabunt honorem, & iuſtificationem Domino.* Rurſus lib. 3. inſtitut. cap. 20. §. 8. eſtò dicat, librum hunc, non eſſe Baruch, ſed cuiuſdam incerti auctoris, tamen eùm, tamquam Sancta, veriſſima, & Diuina eloquia continentem citat, dum ait: *Veriſſimè enim ſimul ac ſanctiſſimè ſcriptum eſt (à quocumque tandem ſit) quod ab incerto auctore ſcriptum, Propheta Baruch tribuitur, Anima triſtis, & deſolata, &c.* Baruch cap. 2. verſu 18.

23 Præterea Hunnius Lutheranus, vt cultum, à Romano Catholicis Sacris Imaginibus præſtitum, ſugillet, adducit locum Baruch, quem Prophetam vocat, dum ait: *Non ſicus ſicui eſt adeò ſimilis, quàm ſit Idolomania Gentium à Baruch reprehenſa, & Papiſtarum Iconolatria*, & poſt pauca, *Imaginibus eorum conuenit, quæ Propheta copiosè de Idolorum imbecillitate, & impotentia in Epiſtola illa, & inſtructione ad captiuos diſputat.* Tunc ſic; Hunnius, contra Catholicos, tamquam Diuinum, & Propheticum teſtimonium aſſumit, ſententiam illam Baruch; ergo in ſententia Hunnij, liber Baruch eſt Canonicus, Deique eloquia continet. Ergo iniquo iurè è Sacrorum Librorum Albo eraditur ab Hunnio. Admiſſo autem Baruch teſtimonio, nihil contra nos proficit hæretica prauitas, cum ibi Propheta, eorum damnet errorem; qui, Sacras Imagines non Dei, ſed Deos cenſent, illiſque Diuinum impendunt honorem, quod haud Catholici faciunt, dum Imagines, ſanctoſque, tamquam aliquid Dei venerantur. Tantum enim abeſt, vt imagines idola vocemus, vt cum 7. Synodo, iis Anathema dicamus, qui Sanctorum Imagines, vt Deos adorant. Hæc autem controuerſia, iam olim agitata fuit, & in prædicta Generali 7. Synodo diſcuſſa, & definita. Quib, & iam inde, ab Apoſtolorum tempore, & ex eorum Traditione, imaginum debita veneratio in Eccleſia perſeuerauit, quòd etiam aduerſarius noſter Caluinus fatetur libro 4. inſtit. capit. 9. §. 9. Qui etiam, immemor eorum quę ibi dixerat, ſecum apertè pugnat, dum pari impietate cum Hunnio, libro primo inſtit. cap. 11. §. 16. mentiendo ait, in Concilio allato, (quod omnes Catholici amplectuntur) definitum eſſe, honoris cultum qui viuificæ Trinitati debetur, eſſe imaginibus exhibendum; Quod manifeſtè falſum eſſe dicimus; nam, cultus Sacris Imaginibus à Catholicis exhibitus, eſt tantùm Duliæ tamquam aliquid Dei, ſine Dei iniuria illis delatus, idque Caluinus in eadem ferè pagella ibid. §. 11. non inuitus agnoſcit, dum de Catholicis ait: *Sic enim loquuntur, dum cultum quem appellant Duliæ, ſine Dei iniuria Statuis, & picturis poſſe communicari docent.* Ne autem quis

Hunnius Luteranus ſe ipsum iugulat.

Catholici adorant Sanctos, vt Dei, non Deos.

Caluinus ſibi contrarius cauſæ noſtræ Patrocinatur.

Digitized by Google

Quid veniat nomine *Adorationis* Sanctis exhibita a Catholicis.

quis offendatur nomine, *Adorationis*; sciat, in Scripturis, pro cuiusuis rei veneratione, ly *Adoratio* frequentissimè poni. Hebræor. 11. nu. 21. *Adorauit fastigium virgæ eius*, Genesis 23. v. 7. *Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ*. Vbi aduerte, quod veneratio ista, non sistit in imagine, sicut faciebant Idolatræ adorantes lapides, & ligna, sed fertur in rem, & personam, quam imago significat, vt aliquid Dei, vel amici, & aulici Dei; honor igitur imagini exhibitus, nõ inhæret imagini, sed ad Prototypum transit; & interior adoratio, nullo modo imaginem attingit. Sed de his infra 4. parte de hoc eodem argumento fusiùs.

Lectius calumniam Bellarmino affricat.

24 Ex his omnibus patet, quam inconsideratè Lectius Protestans, falsam Bellarmino calumniam affricet; is enim lib. 1. suarum præscriptionum Negat. 9. in Præfidem Fabrũ ait: *Fatetur Bellarminus* (Librum Baruch) *olim inter Canonicos à Patribus, & Conciliis, hodièq; à Pontificijs quibusdam non numerari, vt videas, quàm incautè dictatoriam sententiam aduersus quoque suos* (*Præscs*) *pronunties. Saltem igitur illum testem audi lib. 1. de Verbo Dei cap. 8. de libro Baruch: Controuersia* (ait) *fuit, & est, tùm quia non inuenitur in hebræis codicibus, tùm etiam quia nec Concilia antiqua, nec Pontifices, neque Patres quos suprà citauimus, qui Catalogum Sacrorum Librorum texunt, huius Prophetæ disertis verbis meminerunt: itaque propterea ex Catholicis Io: Driedo hunc librum esse Canonicum negat lib. 1. de Scripturis, & Dogmatibus Ecclesiasticis cap. vltimo.* Hæc Lectius ex Bellarmino.

Driedo, & Bellarminus purgatur a calumnia.

25 Protestans iste, esto fidelitèr Bellarmini verba referat, illis tamen calumniam struit; Quandoquidem, illa Bellarmini verba, scilicet, *Controuersia fuit, & est*, non sunt intelligenda de controuersia inter Catholicos, vt Lectius falsò existimat, maximè post Concil. Carthag. 3. & Tridentinum, sed inter Catholicos ex vna parte, & *Hæreticos* ex altera, inter quos hæc controuersia erat, & est. Nullus enim post Concil. Trid. decretum; de libro Baruch controuersiam mouit, absque eo, quòd à Catholicis recederet, vt idem Bellarminus ibid. paulò infra asseuerat. Neque Driedo absolutè de hac re, suam sententiam profert; quia, eam Concilij, & Ecclesiæ iudicio subijcit neque Bellaminus ait, hodiè post Concil. Trid. inter Catholicos esse dissidium, an liber Baruch sit Canonicus, nec nè?

Iterum Bellarminus ab impostura vindicatur.

26 Illud verò quod addit Lectius, ideſt, Bellarminũ docere, hunc librũ antiquitùs inter Canonicos, Patres & Concilia non accensuisse; similiter falsum est; nam, ex verbis eius, id nullo modo eruitur; ait enim: Bellarminus *nec Concilia antiqua*, .s. Ea, quæ Carthaginense 3. & Laodicenum præcesserunt; *neque Pontifices, nec Patres eorum temporum, Baruch disertis verbis meminisse*; Vndè, ex falsa intelligentia illorum verborũ, scilicet, *disertis verbis*, intelligendo, *apertis* verbis, illius *libri* nullo modo meminisse; cùm id, tantùm significet, Patres antiquos, non *explicitè*, antè Concilium Carthaginense 3. & Laodicenum, illius libri sub *Baruch nomine*, sed sub *nomine Hieremiæ* meminisse; & sub hoc nomine in Canone collocasse, diuinumq; iudicasse; itaùt, ly *disertis verbis meminisse*, cadat suprà *Baruch*, non suprà *librum*; dùm eum, sub nomine Hieremiæ citarent vt diuinum; quòd, etiam nos vltrò concedimus; sufficitque, si semper liber iste sit vt Canonicus receptus, & agnitus. Et, quòd hæc fuerit eminentissimi Bellarmini mens, patet ex eodem capite, dùm dicit: *Citabatur sub nomine Hieremiæ; propterea quod Baruch notarius, & discipulus fuerit Hieremiæ, vt patet ex libro Hieremiæ, cap. 39., quæ*

Digitized by Google

causa fuit, vt Concilia antiqua, & Patres non posuerint Baruch nominatim in Canone: quia nimirum hunc librum partem esse iudicabant Hieremiæ vaticiniorum. Hæc Bellarminus per quæ, se, à Lectij calumnia purgat.

27 Arguunt 1. Guilielmus Vuhitakerus, & *Antonius* Faius in Enchiridio disp. 23. Huius libri Baruch dictio, & Phrasis Græcanica est, adeòque *Auctor* Græcus fuit, aut Græcè scripsit: ergò nec Baruch fuit, nec aliquis Propheta. Ergo Apochryfus est, non Canonicus.

28 Respondetur 1. quòd sicut Hieremiæ Liber, ita & Baruch Hæbraicè scriptus fuit, vt in Resp. ad 2. versus finem dicemus. Et ita, negatur antecedens.

29 Respondetur 2., ad hominem contrà *Aduersarios* arguendo, sic: Integer Danielis liber, non Hæbraico, sed Chaldeo idiomate conscriptus est, teste *Hieronymo* in Præfat. eiusdem: sed liber alio quàm Hębręo idomate scriptus, non est Canonicus, & diuinus. Ergò integer Danielis liber, non est Canonicus, & Diuinus. Tunc sic: sed *Aduersarij*, Danielis librum (exceptis tribus capitibus) vt *Diuinum* agnoscunt, & Canonicum. Ergò vel malè faciunt, eum, vt Diuinum, & Canonicum suscipiendo: vel iniustè eam ob causam Baruch è Canone eradunt; & inter Apocriphos reijciunt. Minor subsumpta, est ipsissima sententia arguẽtium, scilicet, Vuitakeri disp. de Sac. Scrip. & Faij in Enchirid. disp. 24. concl. 1., consequentia benè deducitur.

30 Similiter, nonnulla volumina, iniustè ab Aduersarijs inter Apochripha recensita, vt est Ecclesiasticus Salomonis, qui, ex Hieronym. in præfat. eiusdem, *Hæbraico* sermone scriptus est; Et primus Machabeorum, ob eamdem rationem, (ex eod. Hierony) hębraicè enim scriptus est, tamquam Canonici essent excipiendi ab Aduersarijs. Ergò idem quod prius.

31 Respondetur 3. quicquid sit de antecedenti; negando consequentiam: eodem enim prorsus modo, poterat *Spiritus Sanctus* vtrumque; scilicet rem, & græca verba Canonico Scriptori dictare. At quæsò, mihi amicabiliter respõdeant Vuhitakerus, & Faius: quis Apostolorum Apostolicorumq; virorum, sanxit, vt ij tantummodò Veteris Testamenti libri, canonici habeantur, qui *Hæbraicè* sunt conscripti, secùs verò cæteri, qui vel Græcè, vel alio idiomate sunt exarati? Sanè, si hi Protestantes, Regulam hanc, ab *Apostolis*, vel Apostolicis viris accepissent, illã, & nos, non inuiti acciperemus: sed, cùm eorum tantùm censoria auctoritate sit statuta, eam meritò cum suis auctoribus esibilamus.

32 *Arguit* 2. Antonius Faius, disp. 21. & 22. in Euchirid., ratione à *D. Hieronymo* petita, qui in præfat. *Hierem.* ait: Librũ Baruch Notarij Hieremiæ, qui apud *Hæbreos* non legitur, nec habetur, prætermisimus. Ergo non est Canonicus.

33 Respondetur, quid indè? numquid ex verbis *Hieronymi* colligitur, librum Baruch esse suppositititium ex eò, quòd apud *Hebræos* nec habeatur, nec legatur? Absit. Quando quidèm, vt in præcedenti Responsione vidimus, Spiritus Sanctus, non est *Hebreo* idiomati alligatus, sed vbi vult, spirat, & quo vult idiomate, loquitur.

34 Præterea, in antiquissimis *Bibliorum* codicibus, excussis Basileæ antè annos centum, & octoginta, *Hieronymi* verba ita habent. *Liber iste, qui Baruch nomine prænotatur, in Hebreo Canone non habetur,* (hoc concedimus gratis) *sed tantùm in vulgata editione.* Quarè ly *prætermisimus* Hieronymi, debet appellare supra alia verba, scilicet, *quia non est in Canone Hebræorum:* ac similiter ly *in vulgata editione*, denotat vulgatam editionem fuisse antè Hieronymum. Si autem

autem curiosus petas, quæ nam illa editio fuerit, quæ antè Hieronymum per omnium manus ferebatur, ex eodem Hieronymo epist. 11. ad Augustinum; Respondet Faius in Enchirid. disp. 24. concl. 2., *prædictam vulgatam Græcam editionem de Hebrea, à Luciano Martyre fuisse compactam, ac prioribus illis trecentis annis extitisse: Quandoquidèm Lucianus, qui sub Diocletiano passus est, eò tempore claruit, atque illam veterem editionem, de Hebræo textu in Græcum transtulit,* sic Faius; Hinc miror, quomodo in eadem ferè pagella secum ipse pugnet; nam, si illa vetus Vulgata editio, ex Hebræo in Græcum versa est, vt ipse docet, se ipsum cum sua sententia iugulat, qua dixerat, librū Baruch apud Hebræos non legi, ideoq; non esse Canonicum; cùm tamen, tunc haberetur, & legeretur in Vulgata editione, quæ ex Hebræo facta fuerat antè Hieronymi tempora. Si enim ex Hebreo in Græcū tunc facta est translatio, certo certius est, tunc etiam Hebraica exemplaria extitisse, adeoque euanescit Faj argumentum.

35 *Arguit 3.* Hunnius Lutheranus. Si qua ratione posset probari librum Baruch esse Canonicum, ea maximè esset; quia, Baruch, cùm fuerit amanuensis Hieremiæ, sub eius nomine allegatus est à Patribus. *Atqui* (ait Hunnius) non valet hæc cōsequentia, Baruch fuit amanuensis Hieremiæ; ergo liber Baruch est Hieremiæ liber. Ergò &c.

36 Respondetur 1. quod optimè ex illo antecedente, consequentiam illam inferimus; Equidèm, si Baruch fuit amanuensis Hieremiæ; igitur, Hieremias fuit illius libri Auctor, Baruch verò Compilator; sed liber Hieremiæ est Canonicus, & Diuinus: ergò liber qui sub nomine Hieremiæ *Auctoris*, & Baruch Compilatoris citatur à Patribus, Canonicus est, & Sacer. Quando verò dicunt Patres; ideò citari Baruch sub nomine Hieremiæ, & esse Canonicum; quia fuit amanuensis Hieremiæ; hoc taliter intelligendum est, vt non ex præcisa ratione amanuensis illud inferant, sed ex amanuensis ratione, Dei Spiritu imperata, & directa; Qui, sicut *Dictantem* Hieremiam, ita Baruch Amanuensem eleuauit.

37 Respondetur 2. Baruch verè huius libri auctorem extitisse, nec eam ex ore dictantis Hieremiæ excepisse, cùm hoc, temporum supputationi apertè repugnet; Quandoquidèm, dùm Baruch esset in Babylone captiuus, prima sui libelli capita scripsit, interfecto iam in Ægypto Hieremia: vtriùs cum præcitatis Patribus sentimus, Auctorem fuisse Baruch, vel ad summum sententiarum Hieremiæ collectorem, ac compilatorem.

38 Arguit 4. Hunnius & alij. Hic liber neque à Concilio Laodiceno, neque ab Athanasio, neque ab Epiphanio, neque à Nanzianzeno inter Canonicos annumeratur. Ergò Canonicus non est, neque diuinus.

39 Respondetur Hunnium iuxtà solitum splendidè mentiri; Nàm Epiphanius contrà Nazaræos, & Ebioneos, tamquam diuinum testimonium, vrget illud Baruch cap. 3. *Homo est quis agnoscet ipsum?* Nanzianzenus Orat. 49. quæ est de Fide, assumit illud Baruch 3. *Hic est Deus noster &c. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ &c.* Quòd autem Athanasius, & Cōcilium Laodicenum, hunc, vt Canonicum susceperint, patet ex eorumdem testimonijs in 2. & 3. probatione adductis.

40 *Arguunt* 5. Hic liber Baruch falsa continet, nam ibi altaria nominantur, cum tamen in captiuitate, vbi Scriptus est, non potuerint esse. Ergò non est Canonicus, sed *Apochryphus*.

41 Respondetur. Quòd loco in Argumento adducto, nominantur Sacer-

Sacerdotes. Si Sacerdotes, quomodo Altaria non fuerunt? Et licet non fuerint Altaria magnifica, qualia antè templi deuastationem fuerunt Hierosolymis, fuerunt tamen, licet non adeò perpolita. Quod colligimus ex Hieremia cap.41. vbi asserit, quosdam venisse Hierusalem post destructionem Templi, ad offerendum in domo Domini; non quidem quæ erat ante, sed proportionata pro Religionis exercitijs: Sic etiam in Babylone, si, vt dicitur in libro Baruch, erant tunc ibi Sacerdotes, ergò & Altaria, & sacrificia, quandoquidem hæc duo, nunquam à Doctore Gentium separantur.

42 Arguunt 6. Vuhitakerus, & alij. Nonnulli ex Romanensibus, vt Melchior Canus, & alij post Concilium Tridentinum, negarunt hunc librum Baruch esse Canonicum. Ergò &c.

43 Respondetur. Quòd Melchior Canus erroneos pronunciat eos, qui librum cõtrouersum nòn rècipiunt; Ecclesia Catholica eiusdem, vt hæreticos anathematizat. Nec priuatus Cani lapsus, debet Ecclesiæ auctoritati præiudicium inferre; maximè, cùm is, obedientissimus Sanctæ Matris Ecclesię filius extiterit, omniaque sua Scripta, eiusdem correctioni quàm humillimè subiecerit. Sed, quid tandem obtinebit Aduersarius ex hoc argumento, nisi quòd erroneus sit?

LECTIO III.

De Lib. Iudith è Sacro Canone à Protestantibus detracto.

1 IN Libro Iudith multa legunt Protestantes, quæ eorum ebrietates, impudicitias, ac obscęnas carnis voluptates redarguunt; Indeq; nituntur, sed perperam, huius Sanctę mulieris librum, è Catalogo voluminum Diuinorum, eradere; nè illius lectione, ac testimonio redarguantur.

Mendacium Protestantium.

2 LVtherus Diuinum librum Iudith in Tragediam, & Poeticam ausus est transformare in colloquijs Germanicis: cap. de Libris veter. testam. *Mihi (ait) videtur, Iudith esse tragedia, aut fabula, in qua describitur, & ostenditur qualis Tyrannorum exitus esse soleat.* Lutherum sequuntur Brentius in Apologia Confessionis Vuittemberg. cap. de Sac. Scrip., Centuriones Magdeburg. lib.2.centur.1. cap.4.col.51., Kemnitius in examin. concil. sess.4. Guilielmus Vuhitakerus disput. de Sac. Scrip. Hunnius, & Mæuius vbi sup.

3 Tandem Antonius Faius in Enchiridio disp.21., 22., & 23., vnà cum Chytræo in suo Onomastico, in eodem versantur errore, dùm librum Iudith comediam vocant, & inter Apochryphos reijciunt, quippè quem suis infensum offendunt erroribus, cùm ibi multa de ieiunio, de Cœlibatu, de Castitate alijsq; Christianis virtutibus præclarè videant commendata.

VERITAS CATHOLICA

Liber Iudith Canonicus est, Diuinaq; eloquia continet.

4 PRobatur, Generalibus Principijs Protestantium inhęrendo, ex vnanimi totius Antiquitatis consensu, & primò auctoritate Summorum Pontificum.

5 Clemens Romanus lib.3. constit. Apostolicar. cap.7. ait: *Vt igitur prudentissima illa Iudith, pudicitiæ testimonio laudata, nocte ac die pro Israel Dominum deprecabatur: sic vidua illi similis perpetuò pro Ecclesia Deum deprecabitur. Et ibid. lib. 5. cap. vltimo inquit: Hester, Mardocheus, & Iudith, ieiu-*

Digitized by Google

ieiunio facto, malum, quod impius Holofernes, & Aman Iudaus moliebantur, declinarunt. Hæc ille, commendans ieiunium. Et lib. 8. ibid. cap. 2. dicit: *Atque etiam mulieres prophetarũt, olim quidem Maria Moysis, & Aaronis soror, postea verò Debbora, deinde Oldad, & Iudith: illa quidem Iosia Rege, hæc Dario.* Hæc Clemens Petri discipulus Iudith, cum Debbora, & Maria Sorore Moysis comparans, ac Prophetissam appellans. Igitur si liber est Prophetissæ, & ipsæ Propheticus. Innocentius primus epistol. ad Exuperium Tolosanũ, hunc librum inter Canonicos recenset, dum ait: *Qui vero libri recipiantur in Canone Sanctarum Scripturarum, breuis annexus ostendit. Hæc sunt ergo &c. Hester liber vnus, Iudith vnus, Machabæorum duo, &c.* Hoc idem decreuerunt alij Summi Pontifices supra recensiti.

6 Prob. 2. auctorit. Sacrorum Conciliorum, supra expensorum, quibus addimus, Nicęnum primum, cuius decreto, liber iste Iudith, inter Canonicos, est annumeratus, vt præclarissimis Verbis testatur Hieronymus, præfatione in librum Iudith; Is namque ait: *Quia hunc librum Synodus Nicæna in numero Sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquieui postulationi vestræ; immò exactioni, magis sensum è sensu, quàm Verbum, è verbo transferens.* Neque valet quòd ait Faius, scilicet, Hieronymum deceptum esse, ac vnũ Concilium pro alio citasse, ex eo, quòd hic Canon, in Nicæna Synodo non reperiatur; Etenim, æquum non est, nos potius Faio credere, quàm Hieronymo qui Canonem illum, & vidisse, & legisse fatetur. Neque idem Faius negare potest (si tamen Athanasium aliquando legit) plurimos illius Synodi Canones fuisse deperditos; nam Athanasius, & alij Episcopi Alexandrinæ Synodi, in epist. ad Marcum Summum Pontificem, testantur, octoginta capitula, seu Canones in Nicæna Synodo conditos fuisse, quorum modò vix viginti probatos habemus. Vndè, cùm hic Canon in illa Synodo non habeatur, illum, hæreticorum opera fortè fuisse sublatum, & cùm cæteris perijsse, credendum est.

7 Hoc Nicenæ Synodi decretum de lib. Iudith, manifestè videtur ab Athanasio ipso confirmari, dum is, disputans cont. *Arium*, ex libro Iudith. vt Canonico, testimonium adducit, dicendo: *Prius quam Spiritum Sanctum Deum esse perdoceam, eundem Creatorem esse cunctorum, verbis legalibus approbabo. Scriptum est; Verbo Domini Cæli firmati sunt; & spiritu oris eius omnis virtus eorum*, & in Iudith. 16. *Tibi seruiet omnis creatura; quoniam dixisti, & facta sunt; misisti spiritum tuum, & ædificauit.* Ex qua auctoritate, manifestè colligitur Athanasium, librum Iudith, sicut, & Psalmorum, in eodem ordine Canonico collocasse. Sicut de facto, inter Canonicos eundem, recensent Concil. Carthag. 3. cap. 49., Concil. Roman. sub Gelasio, & omnia alia posteriora, vsq; ad Sac. Concil. Trident. vt supra visum est.

8 Probatur 3. ex Patribus. S. Ignatius Martyr. in epist. ad Philadel. inquit: *Sint viduæ non vagæ, non gulosæ, non circumcursantes, sed vt Iudith illa honestissima &c.*

9 Clemens Alexandrinus libro 4 Stromat. dè Iudith, ait: *præmia fidei mox accepit cum mulier in hostem se præclarè gesserit, & potita sit capite Holophernis.*

Prudentius in psychomachia, de pugna pudicitiæ, & libidinis, lepidè cæcinit de Iudith.

Assirium postquam thalamum cervix Holoferni
Casa cupidineo madefactum sanguine lauit,
Gemmatumque thorum Mœchi Dutis aspera Iudith

Spre-

Sprenit, & inceſtos compeſcuit enſe furores,
Famoſũ mulier referens ex hoſte tropheũ
Non trepidante manu, vindex mea, cælitus audax.

Apollinaris Lib. de ætatibus hominum: in morum adoleſcentię formatione, canit:

Quin, & Holoferni caput eſt à ventre reciſum
Cum potor vino plus æquo deditus eſſet.

10 Sanctus Hieronym. epiſt. 22. ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis cap. 9. ait: *Statim, vt filius Dei ingreſſus eſt ſuper terram, nouam ſibi familiam inſtituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cælo, haberet Angelos, & in terris: Tunc Holoferni caput Iudith continens amputauit; tunc Aman, qui interpretatur iniquitas, ſuo combuſtus eſt igni.*

11 S. Ambroſius lib. 3. de officijs cap. 13. Iudith, *Fortitudinem, religionem, pudicitiam, integram de tabernaculo hoſtis reuerſam &c.* commendat. Ex his, contra aduerſarios, euincimus librum Iudith non eſſe Comediam, vt ipſi fabulantur.

12 Dicet fortè Aduerſarius, ex adductis teſtimonijs tantùm probari, librum Iudith eſſe hiſtoriam; ex quâ, Patres iſti deſumpſerunt teſtimonia, non comediam, quod vtiquè multi gregales concedunt; non tamen indè euinci, eũ eſſe Canonicũ.

13 Audiant tunc Proteſtantes, nũ amplioribus verbis potuerint Patres, eum librum inter Canonicos, & Propheticos recenſere.

14 Origenes librum Iudith Diuinum volumen appellat homil. 27. in numer. dum ait: *His ergo cum recitatur talis aliqua Diuinorum voluminum lectio, in qua non videatur aliquid obſcenum, libenter accipimus, verbi cauſa, vt eſt libellus Heſter, aut Iudith.*

15 Chryſoſt. homil. 60. in Ioan. Iudith cum Debbora comparat dum ait quòd *Debbora, Iudith, & aliæ multæ, Imperatorum ſunt functæ officijs.*

16 Hilarius in Pſal. 224. tanquã legalia verba citat teſtimonium Iudith. cap. 16. *Diſcentes* (ait) *hæc omnia à lege, & Prophetis Euangelijs, & Apoſtolis, & cantantes ex lege: Dominus conterens bella, Dominus nomen eſt illi.*

17 Auguſtinus vt ſupra vi um eſt, lib. 2. de Doctr. Chriſtia. cap. 8. inter Canonicas Scripturas Iudith librum recenſet. Idem præſtitit Athanaſius qui eundem, legalem librum vocat, vt retulimus in fine primæ Probationis hic, ex auctoritate Summorum Pontificum: ſic & alij, quos breuitatis cauſa omittimus.

18 Probatur 4. ex Principijs, & Confeſſione Proteſtantium. Henricus Bullingerus in Epiſtola quam Bibliis Tiguri impreſſis præponit; de libro Iudith, & omnibus alijs, quos inter Apochryphos reiiciunt Aduerſarij, talo fert iudicium contra ſuos. *Reliquum eſt,* (ait) *vt non nihil dicam de libris Eccleſiaſticis, quos nonnulli appellarunt Apochryphos, vocabulo rei forte non per omnia idoneo congruouè. Ego verò arbitror, ſaluo interim omnium aliarum iudicio, iſtos libros rectiſſimè Hagiographa dici poſſe, nimirum à Sanctis viris, de rebus Scriptos Sacris. Eccleſiaſtici libri dicti videntur illi, quos quamquam non ſint in Canone Hebræorum, Eccleſia tamen, quia Sancta tradunt, & Canonicis non contradicunt, recipit, & in Sanctorum Cœtibus legit: nec primus hoc profero, doiuit hoc ipſum ante me Cyprianus, ſiuè Ruffinus in expoſitione Symboli.*

19 Huic adſtipulatur Conradus Pellicanus in epiſtola præfixa Commentarijs in libros, quos Apochryphos vocant, vbi ſic ait: *Hi libri ſic Eccleſiaſtici, & Biblici, habiti ſunt, vt in Eccleſia Catholica ab Apoſtolorum temporibus fuerint cũ reuerentia multa lecti, licet non vt Canonici, in auctoritatem prolati contra Iudæos* (quia non ſunt in Canone Iudæorum hoc fatemur Catholici) *qui hos in Sacro ſuo Canone non ſuſcipiebant: cùm tamen non ſolùm*

legis,

Digitized by Google

legis, ac Prophetarum scriptis in nullo contradicerent, sed & Fidei, Mysteriorumque Christi dogmatibus plurimùm adstipularentur.

20 Pellicano, subscribunt Geneuenses, qui licet hos libros inter Apochryphos reijciant, de illis tamẽ dicunt, sic: *Nihilominùs contemnendi non sunt, cùm bonam, & vtilem doctrinam contineant.* Igitur, liber Iudith, sicut & cæteri ab Aduersarijs oppugnati, ex Protestantium Confessione, sunt Biblici, & ab Apostolorum temporibus, fuerunt cum reuerentia lecti in Ecclesijs; & esto non sint in Canone Iudæorum, tamen Canonicis libris non contradicunt, & Fidei ac Mysteriorum Christi multùm adstipulantur; igitur, sunt Canonici, in Canone Christianorum annumerati, tamquam Dei eloquia continentes.

21 Rursus, ex Sacris Cõcilijs sup. recensitis, (ab Aduersarijs, vt sanctis; & legitimis susceptis, & pronunciatis) patet, nullos legi posse in Ecclesia libros, nisi Canonicos, ergò cùm liber Iudith, sicut & cæteri ab Apostolorũ temporibus, fuerint cũ reuerentia lecti in Ecclesiis, tanquã Canonici suscipi debẽt à Protestantibus, sistendo in eorum Principijs.

22 Tandem, cùm Faius disp. 22. concl. 8. hunc librum Iudith, sicut & cæteros quos oppugnat, aliquãdo ibidem *tanquam vtiles* approbauerit: qua fronte modò illũ, tàm citò, velut pernicioſum, atquè erroneam doctrinam Scripturis contrariã continentem, concl. 10. damnat? O miram dementati hominis inconstantiam!

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

23 Arguũt 1. Centuriatores Magdeburgenses: Quæ narrantur in hoc libro Iudith, à Prophanis Scriptoribus sub silentio præteriuntur; ergò vera nõ sunt; Non enim fieri potuit, vt bellũ inter Nabuchodonosor Regem *Assyriorũ*, & Arphaxad Regem Medorum, sub silentio præterirent.

24 Respondetur. Transeat quòd Prophani Auctores hoc non scripserint, nàm hoc idem accidit non raro in nostris historiis, & tamen vera sunt aliqua, licet non scripta. Neque ex fallacibus Prophanorum Scriptorum historijs, Sacræ Scripturæ veritas est comprobanda.

25 *Arguunt* 2. Centuriatores. Liber iste Iudith falsa continet quia non potest assignari tempus eorum, quæ in hac historia narratur de obsidione Bethuliæ, & Holofernis næcç, non ante, non simul, neq; post captiuitatem Babylonis &c.

26 Dicés, historiam hanc contingisse antè captiuitatem *Babylonicam*, tempore Manasses filij Ezechiæ, de quo scriptum est. 2. Paralippomenon cap. 33. propter peccata sua traditum in potestatem Regis Assyriorum, & ductum in *Babylonem*, vbi pœnituit, & conuersus est ad Dominum, & restitutus in Regnum, & terram suam &c.

27 Instat contra hoc Hunnius ex Vuhitakero; & dicunt, quòd temporibus *Regis* Manasse, nullus fuit *Assyriorum* Rex, qui Nabuchodonosor fuerit appellatus, vt patet tàm ex *Sacris*, quàm ex Prophanis *Scriptoribus*; ergò nulla responsio, & falsa assertio.

28 Respondetur; ad Argumentum rectè dictum esse, temporibus Manasse, ea omnia quæ in libro Iudith narrantur, accidisse; antè captiuitatem Bãbylonicam. Ad instantiam Hunnij, & Vuitakeri. *Dicimus* primò ex Antiquissimis Scriptoribus scilicet *Berosо* Caldæo, Methastene Persa, Phylone *Iudæo*, & *Diodoro* Siculo, quos, multi Moderni sequuti sunt, præcipuè Noster Sistus Senensis lib. 1. Bibliotecæ; Tunc omnes *Assyriorum* Reges, Nabuchodonosores fuisse appellatos, eò prorsus modò, quo in Ægypto Pharaones, & Ptolomæi, & apud Romanos, Cæsares; Et ita, quisquis ille fuerit

Omnes Reges Assyriorum dicebãtur Nabuchodonosores, sicut Romanorum sunt appellati Cæsares.

Digitized by Google

Rex Assyriorum, cuius Holofernes fuerat Dux; communi dignitatis nomine Nabuchodonosor appellabatur; & hoc sufficit ad veritatem Historiæ.

29 Dicimus Secundò, Quod mos erat Iudæorum, ab aliquo euentu prospero vel sinistro, nomina imponere. Cumquè ab Assyriorum Regibus multas Hebræi luctuosas passi essent calamitates; ex luctu, fletu, & planctu, eos Nabuchodonosores, ideſt, *planctus* (idem enim sonat Nabuchodonosor ac *planctus*) appellarunt. Atque ita, Rex ille Assyriorum, descriptus in libro Iudith, potuit Nabuchodonosor, ideſt, Plãctus (vtique Hebræorum) appellari.

Nabuchodonosor, interpretatur plãctus.

30 Dicimus Tertiò. Parum, aut nihil referre determinatè scire, quis nàm fuerit iste Nabuchodonosor; sufficit enim dicere, quòd Nabuchodonosor iste, regnauit paulò post initium Regni Manassis, & annus tertius decimus, quo bellum mouit sub duce Holoferne contra Indæos, incidit in annum quartum decimum regni eiusdem Manassis, quem, paulò antè idem Nabuchodonosor, captiuum duxerat in Babylonem. Et ita, omnia consonant.

31 Arguunt Tertiò. Iudith. cap. 3. laudat Simeonem, & Leui, factũq: eorum contra Sichimitas vocat, Zelum Dei; cùm tamen in Genesi cap. 44. & 49. ob hoc factum, Iacob imprecatur eis, vocatque eosdem, vasa iniquitatis, maledictum furorem eorum &c. ergo opposita, & pugnantia continet liber iste. Est argumentum Mæuij.

32 Resp. quòd factũ illud Simeonis, & Leui contra Sichimitas, inquantũ erat ordinatum à Deo, in defensionem alienam, erat bonum, & hoc laudat Iudith; inquantum verò procedebat à mala voluntate eorumdẽ, minimè. Denudarunt nanque Sichimitæ, femur Virginis Dinæ in confusionem; quapropter, Simeon, & Leui, factum hoc vindicarunt, Sichimitas gladio percutiendo. Et hoc est quod laudat Iudith cap. 3. Prout verò vindicta hæc, erat à mala voluntate, hoc non laudat, sicut nec laudauit Iacob Genes. 49. Præterea, Iudith ideò se comparat hisce duobus, quia sicut illi tanta ausi sunt pro populo suo, & specialitèr pro Virgine Dina; ita, & ipsa, cum vnica Ancilla, Holofernem ausa est adire pro gentis suæ liberatione. Atque ob huius facti similitudinem, Simeonem, Patrem suum appellauit exemplo.

33 Arguit Quartò Antonius Faius. Iudith mentita est, vt patet cap. 10. & 11. vbi loquens de filijs Israel, dixit Holoferni: *Ergo quoniam hæc faciunt, certum est quod in perditionem dabuntur &c.* Hæc enim quæ dicebat, non habebat in mente; nam, tunc cogitabat Holofernem interficere, & gentem suam ab obsidione liberare. Igitur mentita est.

34 Respondetur primo conformiter ad doctrinam D. Tho. 22. q. 110. art. 3. ad Tertium Quòd Iudith, quando hæc, & similia dicebat, Propheticè loquebatur, prædicens Israelis ac Iudæorum captiuitatem, propter peccata eorum, vt contigit sub Tito, & Vespasiano, quando dati sunt in perditionem; & sic Holoferni futura narrabat.

35 Respondetur Secundò cum Vincentio Belluacensi in spec. Histor. lib. 4. cap. 2. Quod quæ dixit Iudith de capiendo Populo Israel, secundùm merita peccatorum, quæ id exigebant, sunt intelligenda.

36 Respondetur Tertiò. Iudith, ibi in suis sermonibus, quædam ironica, & anphibologica interseruisse; nunquam tamen contra mentem loquendo, vt ait Diuus Augustinus serm. 228. *Non decuit (ait) pudicitiam mentiri: non intelligentibus dixit, perficit actibus, quod promisit Regi alio sermone, imaginarijs verbis blandita est.*

37 Arguit Quintò Antonius Faius.

Digitized by Google

ius. Hic liber, cum alijs libris verè Canonicis pugnat, eò quòd doctrinam de Castitate tuenda, de cœlibatu, & de quotidiano ieiunio contineat.

38 Resp. Quòd Protestãtes, quibus virtutum pulchritudo, ac bonorum operum speciositas est inuisa; has, & consimiles diabolicas rationes, cõminiscũtur, vt imperitã plebẽ decipiant. At melius dixisset Minister iste Geneuanus, hunc librum, cum suis fœdis erroribus pugnare: ibi .n. docemur, quomodo carnis impetus Castitate frœnẽtur (quæ est Ortulus delitiarum militantis Ecclesiæ) ac ieiunio, in Spiritus seruitutem redigantur. Huius ergo libri doctrina, non Sacram cæterorum Canonicorum voluminum doctrinam opprimit, sed Faij, ac reliquorum Protestantium, impia dogmata damant.

Protestantes libro Iudith. reijciunt, quia eorum errores damnat.

39 Arguunt Sextò. Quia Hieronymus præfat. in lib. Iudith, ait: *Apud Hebræos, liber Iudith inter Hagiographa legitur, cuius auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea Iudicatur &c. ergo &c.*

Hieron. intelligendus de Canone Hebræorum

40 Respondetur; Hieronymum loqui de Canone Hebræorum, & secundum supputationẽ Hebraicam; sequens, in re non dilucidè sibi cõperta, multos Patres, qui de eodem libro dubitarunt: illudque posteà, respiciens ad decreta Concilij Nicæni, manifestè retractat; dum ibidem, in præfat. in hunc librum, respiciens ad Canonem Christianorum, post Verba in argumento citata, subdit: *Quia hunc librum, Synodus Nicæna in numero Sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquieui postulationi vestræ; immò exactioni, magis sensum, è sensu, quàm Verbum, è Verbo transferens.* Et hæc de hac lectione dicta sufficiant.

LECTIO IV.

De Libro Tobiæ, à Protestantibus è Sacro Canone expuncto.

1 SAcrum Tobiæ librum, Sanctæ Matris Ecclesiæ Sanxionibus, ac Sanctorum Patrum testimonijs commendatum, è Canonicorum librorum Albo expungunt Protestantes, qui veritatem haud in libris veritatis exquirentes, semper hærent anxij, hiant pauidi, impigunt cœci, rerum omnium hospites, & ignari. At librum acerrimè oppugnatum, modestia Christiana vindicemus.

Mendacium Protestantium.

2 LVtherus, (apud Iodocũ Coccium tom. 1. de hoc argumento) in Colloquijs latin. tom. 2. cap. de veteri testam. dixit, *Tobias videtur Comedia quæ de mulieribus loquitur.* Et cùm Doctor Ionas, intimus Lutheri amicus, suam translationem ipsi attulisset, & *per multa stulta in eo Tobiæ libro cõtineri* dixisset, Lutherus de libro, hanc sententiam tulit: *Est Poema iudaicum, Diabolus acerrimus hostis non tàm facilè fugatur.* Sequuntur eum sui, Brentius in Apolog. Confess. Vuittembergensis, Kemnitius in exam. Conc. Trid. sess. 4., Matthias Flaccus Illyricus in Confess. Antuerpi; Accinit Caluinus in Antitodo Concilij Triden. sess. 4., Colloquium Possiacense in Confessione.

3 Sed & Antonius Faius, postquàm hunc librum inter Hagiographos accensuisset, quorum librorum ea natura est (ex Hieronymo in præfat. huius lib., & ex Biblijs Geneuensibus) vt bonam, & vtilem doctrinam contineant, licet non Canonicam: posteà se ipsum damnans, in Enchiridio disp. 22. conclu. 8. &c. hunc librum inter Apochryphos reiecit, eumque falsa contine-

Libri Hagiographi qui sint.

Digitized by Google

re asseruit,& dixit: Hic liber *multa à veritate dissentanea continet.*

4 Vuhitakerus Caluinista,contra Campian. pag. 17. loquens de eò, quòd de Angelo Rafaele in lib. Tobiæ narratur, ait: *Hoc totum à Scripturis Canonicis alienum est &c. superstitionem nescio quam redoleat.* Et lib. contra Duræum fol. 72. exclamat: *Quis vnquam Propheta, aut Apostolus dæmones hoc modo abigēdos esse docuit?*

5 His manus præbent Mæuius, Tremellius,Iunius Caluinista,Hunnius Lutheranus. Quin & Aretius in Paradoxis,appellat Tobiam, *librum extra Canonem*; Parentius Caluinista in sua Instructione, ait: *Liber iste Tobiæ est Apochrypus, vt Hieronymus, & alij Patres testantur.* Ita & alij Protestantes.

VERITAS CATHOLICA

Tobiæ Liber, Canonicus est, & Sacer.

6 PRobatur Generalibus Principijs Protestantium inhærendo,ex totius Antiquitatis consensu; ac Primò ex auctoritate Summorũ Pontificum primorum quinque sæculorum. Clemens Romanus epist. 1. librum Tobiæ inter Canonicos veteris testamenti libros recenset, dùm ex cap. 4. eiusdem, testimonium sumit, dicendo: *Vnde,& in veteri testamento scriptum est, Quod tibi non vis, alteri ne feceris.*

7 Alexander 1. epist. 1. ad probandum Mysteriũ Sanctissimæ Trinitatis, vtitur testimonio ex cap. 7. Tobiæ, & inquit: *Si Trinitas non est, cur Tobias filium suum cùm in Rages Ciuitatem tum Raphaele Archangelo mitteret, benedicens eos ita dixisse docetur: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, ipse impleat benedictionem suam in vobis.*

8 Callixtus 1.epist. 1. dicit: *Vndè benè Scriptura ait: Quod tibi non vis, alteri ne feceris Tobiæ 4.*

9 Marcellus Papa epist. 2. dicit: *Tu nè delecteris in correctionibus nostris, quia post tempestatem faciet Deus tranquillitatem: post lachrimas, & fletum, exultationem infundet: Benedictus Dominus Deus Patrum nostrorum, qui cum iratus fuerit, misericordiam faciet, & in tempore tribulationis peccata dimittet Tobiæ 3.*

10 Innocentius 1. epist. ad Exuperium Tolosanum, librum hunc, expressè inter Canonicos accenset cap. 7., dicens: *Qui libri verò recipiantur in Canone Sanctarum Scripturarum, breuis annexus ostendit: Moysis quinque, &c. Iob liber vnus, Tobiæ vnus &c.*; Idem habemus ex Gelasio in Concil. Romano tom. 2. Concil. in Decretis, & Leone Magno serm. 5. de Collectis,& Eleæmosynis, &c. Ex quibus testimonijs colligimus, librum Tobiæ esse Canonicum, & diuinitùs inspiratum,non verò fabulosum,vt Aduersarij conuiciatur.

11 Probatur 2.ex Concilijs in præcedentibus lectionibus recẽsitis, scilicet Carthaginensi 3., Laodiceno, Nicæno 1.&c.in quibus,idem prorsus stabilitur de libro Tobiæ, ac de cæteris libris in Canone receptis etiã ab Aduersarijs, & sicut hos, ita & Tobiæ pronunciant, esse Diuinum.

12 Neque audiendus est Hunnius, dùm ait; Patres, & Concilia, cùm non habeant Diuinam Auctoritatem,nec sint Prophetæ,vel Apostoli; nequeunt Diuinam Auctoritatem libro conferre, (nemo enim dat quod non habet) adeòq; desiderari, vt ex Scripturis ostendamus, hunc, & non illum librum esse Canonicum, & tùnc quidem benè.

13 Nàm, quando dicimus Pontifices, & Concilia in Canone recepisse librum, qui alias non erat in Canone; taliter inteligendum est, non quòd Concilia, & Pontifices diùinam libris tribuant auctoritatem; sed quòd Diuinam Auctoritatem,ipsis iam à Deo inditam,manifestant,

Scriptura quæ in se erat Canonica, nobis manifestantor,ac sit Canonica quo ad nos.

Digitized by Google

stant, nedùm testificando; verùm etiam, ex potestate diuinitùs sibi tradita definiendo, hos, & non illos, esse libros diuinitùs inspiratos; & adhoc non exigitur, vt Pontifices, & Patres, sint aliqui ex duodecim Apostolis, vel aliquis Prophetarum; sed sat est, si in Concilijs, successores D. Petri præsideant, (vel eorumdem Canones approbēt) quos Christus, vt Petrum iussit audiri.

14 Ad id quod exoptaret Hunnius, vt scilicet euidentèr ex Scripturis ostenderetur, hunc, & non illum librum esse Canonicum. Dicimus, quòd imprudentèr agit; Quandoquidē, si dilucida Scripturæ loca essent adducenda, quibus probaretur hunc, vel illum librum esse Canonicum; iam multi libri qui, adhuc ab Hunnio, & cæteris Protestantibus, vt diuini in Canone accensentur, essent ex eodem Canone oblitterandi, cùm hi, sint omni Scripturæ testimonio destituti; vt sunt Euangelia, Epistolæ *D.* Pauli, *Acta Apostolorum* &c. & sic; Hæc Hunnij iniusta petitio, potiùs suum iugulum petit, quàm nostrum. Tùnc.

15 Probatur 3. Veritas Orthodoxa ex Patribus. S. Policarpus Episcopus Smirnensis epist. ad Philippenses, tamqnam diuinum testimonium, assumit illud Tobiæ cap. 4. *Eleemosyna à morte liberat*. Dionysius Alexandrinus epist. ad Germanum calumniatorem, inquit; *Secretum Regis occultare, vt inquit scriptura, praclarum est &c.* Athanasius in Apologet. ad Constantium Imperatorem; suadens, prudentes esse consulendos, ait: *De istis autem tibi præcipitur Tobiæ 4. ab omni sapiente accipe consilium.* Ambrosius lib. de Tobia eum Propheticum appellat; *Lecto (ait) Prophetico libro, qui inscribitur Tobias &c.*

Tobiæ liber inter Canonicos accensetur à Patribus.

Dionysius Alexa. Athanasius.

Ambrosius.

16 Optatus Mileuitanus lib. 3. cont. Parmenianum, Obijciens Donato efficaciam, ac virtutem Baptismi, lepidissimè ait: *Traducebatis ad vos aquam antiquæ piscinæ; sed nescio an cum illo pisce, qui (Christus intelligitur, qui in lectione Patriarchæ legitur in Tigride flumine prehensus, cuius fel, & iecur tulit Tobias ad tutelam fœminæ Saræ, & ad illuminationem Tobiæ non videntis. Eiusdem piscis visceribus Asmodæus dæmon à Sara puella fugatus est, (quæ intelligitur Ecclesia) & cæcitas à Tobia exclusa est.* Tob. cap. 6.

17 Cyprianus de opere, & Eleemosyna, Spiritum Sanctum per Tobiam loqui affirmat. *Loquitur (ait) in Scripturis Spiritus Sanctus, & dicit: Eleemosynis, & fide purgantur peccata.* Tob. 12., ex eodem sumit testimonium de Oratione Dominica, vt probet, bona opera esse necessaria: *Bona oratio cum ieiunio, & Eleemosyna* Tob. ibid.

18 Item, D. Augustinus lib. 2. de doctrina Christ. cap. 8., enumerans Scripturas Canonicas, huius libri expressè meminit: sicut & alij antiquiores, vt Origenes homil. 27. in Numer.; & epist. ad Iulium Africanum; Chrysostomus serm. de pœnitentia, Hilarius in psal. 129. & alij huius libri loca, tanquàm verè diuina, & Prophetica citarunt.

19 Horum testium pondere pressus Vuhitakerus, vt elabatur, rimam quærit, dicendo. hos Veteres, & signanter Ambrosium, Tobiæ librum diuinum appellasse ex eo, quia in Ecclesijs legebatur, & quia in eodem volumine cum libris Canonicis cōtinebatur, & iungebatur.

20 Miserum perfugium. Non enim valet, Liber legabatur in Ecclesijs. Ergò erat Diuinus. Non inquā valet, nam (vt ait Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiast.) Epistolæ Sancti Clementis. ad Corinthios, & Opuscula Ephrem, publicè olim in Ecclesia legebantur, non tamen per hoc fuerunt aliquando Diuinæ, & Canonicæ ab aliquo existimatæ.

Rur-

Digitized by Google

Rursus, liber tertius Machabæorũ, & tertius, & quartus Esdræ, reperiuntur in multis exemplaribus vniti cum libris Canonicis, non per hoc tamen existimantur Canonici. Quid moror? Nunc Ecclesia legit Sanctorum Patrum Homilias, & sermones, nec tamen hos, inter diuinos accenset. Igitur; quando D. Ambrosius, ac cæteri, Tobiæ librum diuinum appellant, non impropriè, sed proprijssimè eum diuinum esse censent.

21 Probatur 4. specialibus Principijs, & testimonijs Protestantium inhærendo. Munsterus Caluinista in Meceleth, seù in opere Grammatici consummati, in Epistola nuncupatoria, Faium cæterosque Symmistas asserentes, in libro Tobiæ multa à veritate dissentanea, adeòq; fabulosa contineri, validè refellens; ita scribit: *Nè putes esse fabulam, quod de capto in Tigride pisce, atque exenterato, & indè sublata sterilitate, & sanata cæcitate in eo scribitur. Habes, & in Matth. cap. 17. talem ferè Historiam, quando Christus Simonem ad mare ire, mittere hamum, & tollere piscem, qui primus prodijsset, & aperto ore eius extrahere staterem, atque illud dare pro vectigali iubet.* Hunc monitorem audiant Protestantes.

Apud Bouer. tom. 2. lib. 2. fol. 446. col. 2.

22 Conradus Pellicanus superioris notæ prædicans Zuuinglianus Tiguri, in Præfatione Commentar. suorum ad lib. Tobiæ, Iudith, Baruch, &c. ita de ijs scribit: *Hi libri perperam Apochryphi, rectiùs autem Ecclesiastici sunt appellati.* (Libri Ecclesiastici legebantur, ad plebis ædificationem, adhùc in sententia Aduersariorum) & mox ibidem addit: *Hi libri sic semper Ecclesiastici, & Biblici habiti sunt, vt in Ecclesia Catholicà, ab Apostolorum temporibus fuerint cum multa reuerentia lecti: licet non vt Canonici in auctoritatem prolati aduersus Iudæos*: Et sanè, quia non Iudæi, sed Ecclesia illos, vt Canonicos recepit ex August. lib. 18. de Trinit. cap. 36. Et præterea Commentar. in lib. Tobiæ, idem Pellicanus, de illo ait: *Ex ipsa dictione, & materia operis, clarè perspicimus, Scriptorem à Spiritu Sancto inspiratum, veregue Prophetam fuisse.* Hæc autem Commentaria, cùm pluries sint typis mandata à Bernensibus, Tigurinis, Basileensibus, & huius generis alijs, sine vlla prorsus emendatione, vel litura, vt patet ex impressione anni 1538., & 1582., certò certiùs est, omnes hos Protestantes, contra Aduersarios nostros, Pellicani sui sententiam approbasse.

23 Rursus, Vuigandus Minister Caluinianus in suo Syntagmate, librum Tobiæ frequentèr laudat, & fidem Christianam eius sententijs corroborat.

24 Tandem, vt cæteros reticeam, Geneuani ipsi in suis Biblijs, excusis per Stephanum Anastasium Typographum anno 1562., & iterùm per Franciscum Stephanum anno 1567. in fine Bibliorum, vbi Tobiam, cum cæteris inter Apochryphas Scripturas reijciunt, de illis dicunt: *Nihilominus contemnendi non sunt, cùm bonam, & vtilem doctrinam contineant.* Quid ergò contrà tot Comministros vestros obijcietis Protestantes?

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

25 Arguunt 1. Vuhitaker. & Hunnius; Hieronym. in Præfat. huius libri, ait; quod is, inter Canonicas Scripturas non recipitur. Ergò.

26 Respondetur D. Hieronymũ loqui de Canone Hebræorum, non Christianorum: vndè, loco adducto in argumento asserit, quòd in Diuinis Scripturis recipiendis, standum est consilio Ecclesiæ, non Iudæorum: *Melius est (ait) Phariseorum displicere iudicio, & Episcoporum iussionibus deseruire.* Vndè, & eum librum, vtilem dixit in Ecclesia, vt ex illo inter Christia-

Digitized by Google

stianos, non contrà Iudæos testimonium sumamus; cùm in Christianorum Canone, non in Canone Hebræorum cõtineatur. *At* dato quod Hieronymus, Tobiam è Canone eraserit; stat contrà, vniuersorum Patrum Chorus, & Ecclesiæ definitio; quæ, facilè poterat eo tempore, Hieronymum latuisse, quæ tamen, si illi ei fuisset obuia; Ecclesiæ definitioni acquieuisset, Librumq; Tobiæ in Canone humiliter recepisset, vt eius, mox citata, verba sonant.

27 Arguunt 2. Iunius, & Mæuius. Liber istæ Tobiæ, multa dicit inter se pugnantia; nam, ibi cap. 1. 3. & 4. dicitur, quòd Sara, Tobiæ Iunioris vxor, habitabat in eodem Oppido, seù Ciuitate, vbi & Gabelus, scilicet, in Rages Medorum; & tamen cap. 9. habetur, quòd Tobias iunior missus sit cum Angelo è domo Saræ, & Raguelis in Rages, vt pecuniam à Gabelo recuperaret. Ergo &c.

28 Respondetur cum Fabiano Iustiniano, & Nicolao Serario in cap. 4. Tobiæ, quòd duæ fuerunt Rages in Media, in quarum altera habitabat Gabelus, in altera Raguel: & vt dicunt isti Doctores, etiam Eckbatana, Rages appellabatur; idq; probant ex antiquissimis prophanis Scriptoribus Xenophonte, Æliano, Athenæo, Curtio, & alijs. Et tunc nihil contrà nos.

Duæ Ciuitates, Rages appellatæ, in Media.

29 Vel dicendum, quòd in nullo ex citatis Tobiæ locis scriptum est, Saræ Patriam, & domicilium fuisse Rages, sed solùm ibi narrari, quòd eo tempore ibi maneret, fortè ad aliquod negotium peragendum.

30 Vel dicamus cum Lyranoin cap. 3. Tobiæ, ibi vocari Rages, non ipsam Ciuitatem, sed locum aliquẽ vicinum: dicitur enim esse Romæ, (ait Bellarminus) qui Tusculi habitat: & dicitur esse Neapoli (ait M. Granina) qui Pausilippi moratur.

31 Arguunt idem 3. In capite tertio huius libri asseritur, tunc Hierusalem fuisse iam desolatam, populumque Iuda captiuum; cum ipse Tobias sit mortuus ante desolationem Ciuitatis, & captiuitatem Babylonicam. Ergò falsa ibi narrantur.

32 Respõdetur; Tobiam, ibi propheticè prædixisse Hierosolymorum desolationem, populiq; Iudaici captiuitatem. Neque obstat Tobiam ibi de ijs, tamquam de præteritis loqui. Loquitur enim more Prophetarum, qui præterito, pro futuro vtuntur aliquando, ad denotandum infallibilem euentus certitudinem, vt in Esaia apertissime legimus, qui futuram Iesu Christi Saluatoris nostri passionem prædicens, præteritum pro futuro posuit, dicendo: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra &c.* Accipiant Aduersarij hanc offam, & videant num ad palatum!

Scriptura sumit præterita pro futuro.

33 Arguit 4. Antonius Faius. Cõmentitium videtur, quòd Angelus interrogatus de quo genere esset, respondit: *Ego sum Azarias Azariæ magni filius*: At, vt Fides docet, in Angelis nulla potest esse generatio, nisi velimus Angelum Mendacij insimulare. Præterea, dixit se ẽsse ex Israel, &c. Ergò &c.

34 Respondetur. Ista hæc, non litèralitèr, sed figuratiuè esse accipienda; nam, vt ait Beda venerabilis, cui multum deferunt Protestantes, *Azarias*, interpretatur, *Adiutor Dei*; sicut & *Azarias*, *Gloria Dei*, seù *Nubes Dei*: Angeli namque, ex Apost. Hebr. 2. *Sunt administratorij Spiritus*, & Dei adiutores, cùm mittantur in hominum auxilium, & salutem. Sunt etiã præcipuè filij gloriæ Dei, dùm, adhùc custodientes homines, vident faciem Patris, qui in cœlis est. Præterea, particula illa *filius*, abundantiam significat, vt patet ex illo Isaiæ 5. *In cornu filio Olei*, ideſt, in cornu pleno. Ex hac autem figurata loquutione, Tobias haud est deceptus, cui sufficiebat, personæ adiutrici, quæ

Angelus figuratiuè loquitur cum Tobia.

esset

Digitized by Google

esset incliti generis, filium commendare. Dicitur etiam ex Israel, quia erat electus, siquidem Electi filij Dei, ex Israel sunt.

Angelus dicitur filius Azariæ, non persona, sed pietate.

35 Vel dicas cum *Athanasio* in Synopsi, ibi *Angelum* dixisse, se esse filium *Azariæ*, non persona, sed pietate, ac Religione. *Et* quidem Azarias, cum quo Tobias consuetudinem habuit, fuit quidam pius homo, vt Septuaginta interpretes dicunt, cum quo, Regnante Ieroboam, iuit ad adorandum in Hierusalem, quo tempore Azarias, *Tobiæ* auxilium præstitit; ex qua protectione, Angelus, *Azariæ* specie, ac pietate, simul, cum similitudine assumpta, *Azariam* se appellat.

36 Arguit 5. Vuhitakerus Caluinista *Anglus* cont. Edmundum Campianum fol. 14., & ait, non posse subsistere id, quod in hoc libro asseritur, de septem *Angelis* assistentibus.

37 Respondetur 1. ex Doctore, quem Vuhitakerus, & Caluinistarum nemo repudiat, is est Caluinus lib. 3. *Instit.* cap. 20. §. 23. & 24. vbi ait: *Angelorum orationes leguntur sæpiùs; neque id modò; sed in Dei conspectum, per eorum manus perferri dicuntur fidelium preces.* Igitur; si hoc subsistit, à fortiori subsistet, & illud.

38 Respondetur 2. Quòd Vuhitakerus, librum Apocalypsis tamquã Canonicum recipit, vbi cap. 4. dicitur, quòd septem Spiritus, sunt in consessu Dei, quos *Beza*, *Diuinæ Maiestatis stipatores* appellat: Si enim hoc, quod de his septem Spiritibus dicitur subsistit in sententia *Bezæ*, quarè non subsistet id, quod in hoc libro Tobiæ de septem Spiritibus scriptum est? Hi septem Spiritus, septem Angeli sunt, quorum tamen nomina, & officia, prudentiùs ignoramus, quàm temerè definimus; *Ignorantia* namque meretur veniam, temeritas pœnam. Tria tantùm *Angelorum* nomina Ecclesia Catholica pandit, & approbat, scilicet, Gabrielis, Michaelis, & Raphaelis; idipsum nos cum Ecclesia Matre humilitèr filij sentimus.

39 Arguit 6. *Antonius* Faius in Enchiridio Disp. 22. concluſ. 8. & Vuhitakerus. Quod in cap. 6. de particula cordis illius piscis super ignem appositi, & de virtute fumi eiusdem, pro abigendis Dœmonibus, dicitur; Et quòd felle illius piscis, oculi senioris Tobiæ sint illuminati, prorsus fabulosum est.

40 *Respondetur*. Non esse fabulam id, quod in *Actibus Apostolorum* cap. 19. narratur, scilicet; Pauli Sudaria, & Semicintia, dæmònes fugasse; quandoquidem, non Pauli vestis, sed *Dei* virtus in veste, directè Dæmones ejecit: Sic, neque casus argumenti erit fabulosus; Nam, fumus ille iecoris, non quidem directè, (hoc enim à Dei virtute ab *Angelo* factum est) sed tantùm indirectè eiecit *Dæmones*.

Angelus ad abigendam Tobiæ cœcitatem adhibet fumum iecors exusti. Et quare?

41 Præterea, quid in hac re indignum censent Faius, & Vuhitakerus, si *Angelus* ad coercendum Dæmonis in corpus *Tobiæ* potestatem, iecoris fumũ voluit adhibere? Nonnè Deus, corporeis inferni ignibus Dæmones spirituales substãtias torquet? Quare ergò Verbo Dei, rationique dissentaneum putant, vt *iecoris*, vel alterius rei accomodę fumus licet corporeus, spiritualem *Dæmonis* potestatem, vel cohibere, vel etiã eos ab hominibus arcere valeat & possit? Delirant miseri, ac semper in peius proficientes *Aduersarij*, Angelos Dei, superstitionis incusant.

Fel valet ad sanandum oculorum albuginem.

42 Ad id quod addunt, de illuminatione oculorum Tobiæ: dicimus, non esse fabulosum, quòd applicatione fellis illius piscis, albugo ab oculis *Tobiæ* senioris fuerit expulsa. Nam, fel valere ad sanandum oculorum albuginem, naturaliũ Scriptores tradiderũt: *Celsus* enim lib. 3. & Plinius lib. 28. cap. 11. & 42. ad oculo-

oculorum morbos pellendos valere affirmant. Illud manifestiùs apparebit, si piscis illius, & nomen, & naturam inquiramus. Vallesius lib. de Sacra Philosophia cap. 42. piscem hunc Callionymum fuisse, non leuibus de causis ac cõiecturis affirmat; siquidem, piscis iste, est vastæ magnitudinis, carniuorus, & immanis, qui Littoralis etiã ab Aristotele appelatur. Vnde, Plinius lib. 32. cap. 4. asserit, Callionymi fel cicatrices sanare, & superfluas oculorum carnes consumere. Idem dicit Galenus lib. 10. de Simplicium Medicament. facultatibus cap. 12. Ælianus lib. 13. cap. 4. & alij. Rafael Angelus igitur, fellis huius virtutem, Tobiæ indicauit, quæ naturalitèr oculorum albuginem, cœcitatemque curaret. Quid ergo in hac re fabulosum?

Piscis Callionymi fel, cicatrices sanat.

LECTIO V.

De Libro Sapientiæ, è Sacro Canone à Protestantibus detruncato.

1 IN hac Lectione, primùm mendacia, quæ Protestantes contra Diuinum Sapientiæ librum effutiunt, pro more referam; deinde quæ assero, summa facilitate stabiliam; postremò aduersariorum somnia proscribam atque refellam. Sic enim Veritas Catholica longè manifestior euadet, confutatione falsi; suique per testes, confirmatione.

Mendacium Protestantium.

2 CAluinus libro primo instit. cap. 11. §. 8. Librum Sapientiæ, vt falsum testem reijcit, dum ait: *Falsum est quod de Origine Idolorum scribitur Sapientiæ* 14. & subdit: *Porrò de Idolorum Origine, publicè fere consensu receptum est, quod in libro Sapientiæ habetur.*

3 Subscribunt Vvhitakerus disp. de Sac. Scriptura vbi ait: *Librum Sapientiæ non Canonicum intelligimus, plura non desideramus.*

4 Antonius Faius in Enchiridio disp. 23. concl. 12. dicit, *Librum hunc minimè Hebraicè scriptum reperiri, ac proinde, nec Salomonis esse, nec inter Sacros reponi debere.* Accinunt Iunius, Danæus, & alij Caluinistæ.

5 Sed ante illos, Lutherus in Germanica Versione Bibliorum, dixerat; *Veteres, librum hunc (Sapientiæ) ex numero Sacrarum Scripturarum excluserunt.* Item, liber iste, adhuc ab Anabaptistis, è Sacro Canone eraditur.

VERITAS CATHOLICA.

Liber Sapientiæ Salomonis, Canonicus est, Deique eloquia continet.

6 PRobatur, generalibus Principijs Protestantium inhærendo, ex Sacra Scriptura, ac vnanimi totius Antiquitatis consensu. Primò ex Sacra Scriptura; D. Paulus Rom. 11. versu 34. illud Sapientiæ 9. vt diuinum testimoniũ citat: *Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Rursùs, D. Petrus inter prædicandum, ex eodem libro testimonia promebat, teste eius discipulo Clemente Papa epist. prima, vbi ait: *Præcipiebat Petrus, os suum à multo, & prauo colloquio custodire, & verba vana, & mendacia non loqui: Quia os, quod mentitur, occidit animam, Sapient. cap. 1.*

7 Probatur Secundò. Auctoritate Summorum Pontificum: Clemens Romanus lib. 6. constit. Apostol. cap. 29. inquit: *Eos, qui excedunt è vita prosequimini cantu psalmorum, si fuerint fideles, pretiosa enim in conspectu Domini &c. & aliàs inquit, memoria iusti cum laudatione; & Iustorum animæ in manu Domini Sapien. cap. 9.*

Exequiæ cum cantu Psalmorum.

8 Felix Primus (qui sedit anno 273.) epist. 3. inquit: *Nos verò ad ipsius fontis originem redeamus, ex quo*

Digitized by Google

filium semper Patrem videre potuisse, vel posse euidentioribus testimonijs de veteris, & noui Testamenti litteris doceamus, Salomone dicente sapient. cap. 9. Tecum Sapientia, quæ nouit opera tua, quæ affuit tibi, dùm faceres Orbem terrarum, & ipsa nouit, &c.

9 Felix 2. (qui vixit anno 466.) epist. ad Athanasium, & cæteros, tamquam diuinum testimonium citat sapientiam Salomonis cap. 1.. dicens: *Et iterùm sapientissimus Salomon ait, Quoniam qui loquitur iniqua, non potest latere, nec prætériet illum corripiens iudicium &c. Hæc si amplecti voluisset proprio, & sano sensu, ad reprobum minimè laberentur.*

10 Iulius Papa (qui vixit anteà, scilicet anno 337.) epist. 1. ad Orientales Episc., inquit: *Nec recordamini Sapientiam, quæ ait: peruersæ enim cogitationes, separant homines à Deo, quanto magis iniquæ? Sapient. 1.*

11 Innocentius 1. anno 401. epist. ad Exuperium Tolos. ait, in Canone esse *Salomonis libri quinque*; & Papa Gelasius anno 492. in Conc. Romano 70. Episcoporum librum Sapientiæ in Ordine Sacrorum librorum suscipit. Hinc apparet Lutheri mendacium, cùm liber Sapientiæ sit à veteribus in Canone collocatus.

12 Probatur 3. auctoritate Sac. Conciliorum; Synodus Sardicensis generalis anno 350. epist. ad totius Orbis Episcopos, ait: *Nec quisquam nostrum negat, Filium genitum esse: sed genitum antè omnia dicimus, quæ visibilia, inuisibiliaque vocant, fabricatorem, & Opificem Angelorum, mundi, & humani generis: nam ait Scriptura: Sapientia omnium artifex me docuit Sap. 7.* Extant hæc apud Theodoret. lib. 2. histor. Eccles. cap. 8.

13 Item, Synodus Alexandrina, eod. tempore celebrata, epist. ad omnes Ecclesias, inquit: *Hæretici ad nouas criminationes prosiliunt, nec timent illud, quod in Sacris literis scriptum est, Falsus testis impunitus non erit prouerb. 19., & Os, quod mentitur, occidit animam, Sapient. cap. 1.* Extat hoc testimonium, & Epistola apud Athanasium *Apolog.* 2. Conc. Carthag. 3. sæpè adductum, hunc Sapientiæ librum inter Canonicas Scripturas annumerat.

14 Concil. Chalcedonense, in epist. trium Episcoporum Dalmatiæ ad Leonem Imperatorem, sic scribit: *Ad omnem perfectionem Catholicæ Fidei sufficit doctrina sapientissimi Salomonis; ait enim, sentite de Domino in bonitate &c.* Posteriora verò Concilia, horum vestigijs inhærentes, sapientiæ librum, inter Canonicas Scripturas accensuerunt, vt patet in vltimo Concilio generali Tridentino, Toletano 11., & Constantinopolitano 5. act. 1.

15 Probatur 4. Auctoritate Veterum Patrum. Agmen ducit S. Dionysius *Areopagita* Apostolorum discipulus, qui in libro de Diuin. nominibus cap. 4. ait: *In primis Scripturarum institutionibus quædam de Sapientia dicta comperies, Sapientiæ cap. 8., Amator factus sum formæ illius.* Dion. Areopag. Clem. Alex.

16 Clemens Alexandrin. lib. 5. Stromatum ait: *Quid verò an non Scriptura similitèr dicit, Tollamus iustum à nobis, Sapient. cap. 2.*

17 Origenes homil. 5. in Leuit. *Habet (ait) hic mundus Filium Dei, habet Spiritum Sanctum, quod dicit Propheta psal. 32. Verbo Domini Cæli firmati sunt &c. & iterum alibi Sapientiæ 1., Spiritus Domini replenit Orbem terrarum.* Origenes.

18 Lactantius lib. 4. diuin. Instit. cap. 16. dicit: *Et Salomon in libro Sapientiæ his verbis vsus est: Circumueniamus iustum, quoniam contrarius est nobis, & exprobat nobis peccata legis &c.* Lactanaius.

19 D. Augustin. lib. de Prædestin. Sanctor. cap. 13. contrà quosdam, qui testimonium ex cap. 4. Sapient. repudiabant, inquit: *Quæ cùm ita sint, non debuit repudiari sententia* Augustinus.

libri

libri Sapiẽtia, (scil. Raptus est ne malitia &c.) qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiæ Christi, tàm longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab Episcopis vsque ad ad extremos laicos fideles, pœnitentes, Cathecumenos cum veneratione diuinæ auctoritatis audiri. Idem repetit lib. 14. de Trinit. cap. primo, lib. de Dono Perseuerantiæ cap. 17. de Ciuit. Dei lib. 17. cap. 20. de *Doctrina* Christ. lib. 2. cap. 8. &c.

20 His manus præbent alij ex Grecis, *Athanasius* in Synopsi, *Basilius* epist. 141. vbi, ad Spiritus Sãcti Diuinitatem confirmandam, testimonium ab hoc libro, tamquam diuina Scriptura, desumit illud Sapient. primo. *Spiritus Domini replevit &c.* Gregorius Nazianz. Orat. 34. quæ est 2. de Theologia eius libri testimonijs velut Sacris vtitur; Greg. Nyssenus qui lib. de Virginitate cap. 15. librum hunc, *diuinam Scripturam* appellat; Theophilus Alexandr. qui epist. prima Paschali, huius tanquam Sacræ Scripturæ meminit: Chrysostom. qui homil. 11. in Genes. Salomonis librum agnoscit, & *Diuinum* appellat; Cyrillus Alexandr. qui cõtra Iulianum, eum, *Diuinam Scripturam* esse censet, &c.

Athanasius. Basilius. Greg. Nãz. Greg. Niss. Theophilus Alexandrin. Chrysost. Cyril. Alex.

21 Ex Latinis, qui Librum Sapiẽtiæ velut Diuinam Scripturam citãt, Tertullianus lib. 3. cont. Marcionẽ cap. 22. illum locum tamquam Canonicum, ac Propheticum citat, *Venite auferamus Iustum &c.* Sap. 2. & cont. Valentinum cap. 2. & de præscrip. cap. 7. Cyprian. lib. 4. epist. 52. & de exhortatione Martyrij cap. 12. Hilarius ad Psalm. 118. Ambros. lib. de Salomone cap. primo, & de Spiritu Sancto lib. 3. cap. 19. Optatus cont. Donatist. lib. 2. Hieronym. epist. 13. ad Paulin. cap. primo, & ad cap. 18. Hieremiæ; Ruffinus in expos. Symboli, & alij multi. Annon hi veteres Patres, qui vix quadrigẽtesimum vel quincentesimum post Christum annum attigerunt, librum Sapientiæ, vt verè Canonicũ, diuinum, diuinàque eloquia continentem, receperunt? Quid ad hæc Lutherani, & Caluinistæ?

Tertullian. Cyprian. Hilarius. Ambrosius Hieronym. Ruffinus

22 Instat Iunius Caluinista, & dicit; aliud est, quod hic liber dicatur esse Salomonis, aliud quòd verè sit Salomonis. Dicitur autem Salomonis, quia cum cæteris libris Sapientialibus Salomonis, in vno volumine est coniunctus; & hæc causa fuit, cur in Vulgus error irrepsit, vt liber Salomonis existimaretur. Sicut patet de libris Esdræ, & Nehemiæ, qui ob eamdem rationem citantur sub nomine Esdræ, cum tamen sint Nehemiæ.

23 Verum, hæc instantia demorsos sapit vagues; etenim, Patres, & Pontifices supra citati, rotundis perspicuisque verbis affirmant, librum sapientiæ, esse Salomonis; vt in 2. prob. retulimus, ex Summ. Pontificibus Felice Primo, Felice Secundo, Innocentio Primo Concilio Chalcedonensi, & Lactantio. Præter hos accipe alios Patres, tum Græcos, tum Latinos. Epiphanius hæresi 76. id euincit dum ait: *Etiam Sapientiam Salomonis, inquam, & Filij Sirach, & omnes in summa Diuinas Scripturas oportebit te voluere.* Nissenus aduers. Iudæos cap. de Natiuitate ex Virgine, sic dicit: *Et Salomon Propheticè. Puer eram ingeniosus, & animam bonam sortitus &c.* Sap. 8. Chrysostom. homil. 43. in Genes. inquit: *Non enim Iudæi nescientes Dei filium esse, occiderunt; sed habere eum talem non sustinentes, sicut, & prophetat de illis Salomon: venite circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis;* Sapient. cap. 2. Tertullianus aduersus Valentinum cap. 2. inquit: *Porrò facies Dei expectat in simplicitate quærentes, vt docet ipsa Sophia non quidem Valentini sed Salomonis.* Cyprianus de Exhortat. Martyrij cap. 12. dicit: *Quæ spes, & merces maneat Martyri post conflictationes*

Epiphanius. Greg. Niss. Chrysost. Tertullian. Cyprianus

Digitized by Google

huius temporis, & passiones, per Salomonem Spiritus Sanctus ostendit, & præcatur dicens; Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes eorum immortalitate plena est: Sapient. cap. 3. Optatus Mileuitanus cont. Parmen. lib. 3. *Et illud (*ait*) quoque in Salomone Propheta lectũ esse dixisti, Filios adulterorum inconsummatos, & spuria vitulamina altas radices dare non posse. Sapient. 4.* Idem sensiunt Panphilus Martyr in Apologia pro Origene, Procopius ad cap. 2. Geneſis, Lucifer Calaritanus lib. 1. pro S. Athanasio ad Constantinum, Faustinus lib. contra Arianos, & alij. Videat igitur Iunius Caluinista, hunc librũ, longa annositate, Patrum consensu, verè Salomoni fuisse ascriptum. Et hæc quantum ad primum.

Optatus Mileuit.

Panphilus martyr.

Procopius

Lucifer Calarit.

Faustinus

24 Quãtum ad id quos posterius addit. Iunius, conatur puluerem oculis Catholicorum effundere. Nã, si ex eo, quod liber Sapientiæ cum cæteris libris Sapientialibus copulatur in eodem volumine, ille efficitur Salomonis: pari iure, cùm liber Euangeliorum Lucæ, vel Ioannis Apost. in eodem volumine colligẽtur, possent Ioannes, & Lucas dici auctores omnium Librorum tum noui, tum veteris Testamenti. Neq; exemplum à Iunio adductum, de libris Esdræ, facit ad rem; etenim, plerique Doctorum affirmant, præsertim Genebrardus in Chronologia, quòd liber Nehemiæ, sit ab Esdra editus, ideoque citatur sub nomine Esdræ: & concesso, quòd is non fuerit auctor: tamen, quia Esdra vel præfuit, vel interfuit omnibus quæ in libro Nehemiæ narrantur; mirum non est, si sub nomine Esdræ testis oculati, & Præsidis inscribatur. Firmum igitur stat, quòd liber Sapientiæ sit diuinus, & quòd Salomonem habeat auctorem.

25 Non reticeam tamen, Eminentissimum Bellarm. lib. primo de Verbo Dei cap. 13. Bouerium tom. 2. cont. hæret. lib. 2. fol. 448. col. 2. Ioannem Lorinum in lib. Sapient. cap. 3. existimasse, sententias quidẽ huius libri Sapientiæ esse Salomonis, sed eas ab alio quopiam collectas, & scripto exaratas fuisse; quo fit, vt iurè Salomonis censeri possint. *S.* Augustinus aliquando suspicatus fuit, hunc librum fuisse conscriptũ à Iesu filio Sirach: Attamen, sententiam retractauit lib 2. Retract. cap. 4. Aliorum opiniones refert D. Hieronymus præfat. in libros Salomonis, quisquis autem Collector, & Scriptor fuerit, id tamen ex communi Parrum consensu exploratum habemus; quæcumque in eo continentur, Salomonem habere auctorem, ac ex Salomonis Sapientia profluxisse; atque ab Hebræis in primo eorum Sacrorum librorum Canone relatum non fuisse, eo quòd liber iste nõ dum conscriptus esset; qui postea in Secundo, & Tertio Hebræorum Canone annumeratus est.

26 Probatur Quintò. Ex specialibus Principijss, & Confessionibus Protestantium. Lutherus, iam ex dictis explosus est; is namque dixerat (vt in Mendacio vidimus) *Veteres, librum hũc ex numero Sacrarum Scripturarum excluſisse.* Nos contrarium ostendimus ex Pontificibus, Concilijs, & Patribus, primorum quinque sæculorum à Christo, vt ad oculum patet. Igitur deprehensus est Lutherus.

27 Caluinus item, qui Sapientiæ librum, vt falsum testem impudentissimè reijecit, in confirmationem sui peruersissimi dogmatis contra Catholicos, eiusdem testimonium vrget; dùm enim probare nititur ex Scriptura, Sacras imagines non esse adorandas lib. 3. Instit. cap. 11. §. 1. inter alia, profert illud Sapient. cap. 14. *Appellarunt Deos opera manuum hominum.* Igitur vel iniustè Idolatras Catholicos censet, ex eò, quod

Digitized by Google

quod Sacras Imagines venerantur; vel, Librũ Sapientiæ, vt Canonicũ, & diuinum agnoscit, sed deprauatè in suum peruersum sensum extorquet. Expressiùs, idem Caluinus, Sapientiæ librum inter Canonicos, & diuinos annumerat in sua Psychopannichia fol. 58. *Multo melius* (inquit) *docemur à Scripturis Sacris; corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Igitur Caluinus se doceri dicit, ex libro Sapientiæ, tamquam ex Scripturis Sacris.

28 Hunnius Lutheri assecla, in Caluinistarum obsequium, & Iunius Caluinista, Caluinum excusantes, dicunt; eum, haud reprehendere librum Sapientiæ falsitatis; sed eos dumtaxat, qui ex eiusdem libri verbis, hunc primum, & vnicum idolatriæ fontem extitisse inferunt.

29 Hanc excusationem, contra mentem, & Verba Caluini, qualis qualis illa sit, Romano Chatolici pro sua humanitate recipiunt; & tũc sic Protestantes redarguunt: Caluinus, non librum, sed solum eos falsitatis incusat, qui librum Sapientię tamquam Idolatriæ fontem, criminantur. Ergo, & ipsi Protestantes debent Magistrum suum imitari, eosque redarguere, qui librum Sapientiæ falsitatis incusant, ex cuius falsitatis suspicione, eum è Sacro Canone eradunt; adeòque, debent eum, vt Sacrum, & Diuinum agnoscere, quod intendimus.

Librum Sapientiæ magni faciebãt Iudęi ante Christi mortem, non post. Et quare.

30 Hic nota, quòd iam pridem Iudæi, librum Sapientiæ tanquam Sacrum sunt venerati, vt ex Iudęorum testimonio S. Isidorus refert libro 1. Officior. cap. 12. At, *Postquam* (ait) *comprehendentes Christum interfecerunt, memorantes, in eodem libro tam euidentissima Christi testimonia cap. 2.; Collatione facta, ne Christiani eis pro tam aperto Sacrilegio derogarent, à Propheticis voluminibus resciderunt, suisque legendum prohibuerunt.* Consulatur Picus in præfat. Heptapli, vbi hunc librum olim fuisse illud Magnum volumen, in maxima estimatione habitum apud Hebræos insinuat.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

31 ARguit Primò Vuhitakerus, atque nobis obijcit *Augustinum* lib. de Prædest. Sanctorum cap. 14. dicentem, huic libro fuisse reclamatum à multis, non esse Canonicum.

32 Resp. Licet à multis lib. Sapientiæ reclamatum dixerit Augustinus, subdit tamen ibi, librum nõ esse repudiandum, nec à Canone expungendum, quippè *qui meruit in Ecclesia Christi de gradu Lectorum tam longa annositate recitari.* Cæterum, callidè arguens mutilam Augustini auctoritatem obijcit, vt patet ex eodem hic, in fine 3. probationis. Præterea, nescio qua fronte Caluinista Vuhitakerus, potius manus prebeat Luthero, & Kemnitio, Augustini testimoniũ truncatè referentibus, quàm Duci suo Caluino, qui inficiari non potuit lib. 4. Instit. cap. 4. §. 9. hunc gradum Lectorum, qui libros Sanctos ac Sacros legere consueuerunt.

33 Arguit 2. idem, ex Hieronymo præfat. in Lib. Salomonis dicẽte, huius libri *Auctorem*, à multis putari, fuisse Philonem Iudæum, qui nec Propheta, nec prophetico Spiritu fuit imbutus; imò, & post Christum passum vixit.

34 *Resp.* Ex communi obseruatione Sanctorum Patrum, & Conciliorum, hunc librum fuisse Salomonis, eò vel maximè, quia, id satis superque indicant Verba capitis 11. eiusdem libri, quę sunt: *Tu elegisti me Regem populo tuo &c. & dixisti me edificare templum in monte Sancto tuo.*

Quæ

Quæ verba, non nisi fatuus, poterit Philoni applicare, & non Salomoni; cùm is, & non ille Rex sit à Deo constitutus, & Templum in Monte Sancto edificauerit. Cæterum, fateor cum Pamelio in Cyprianum, & Cano lib. 2. de loc. cap. 11. ad 5. Philonem eloquentissimum virum, Apostolorum Petri, & Pauli familiarem, tempore Caij Cæsaris sententias Salomonis collegisse, ac traduxisse, ac in ordinem redegisse, sed nihil penitùs ad eas addidisse. Adeòq; is tantùm Collectorem, Salomonem autem Auctorē fuisse dicimus.

35 Arguunt 3. Faius, & alij. Hic liber nō fuit Hebraicè scriptus. Ergò neque est Salomonis, neque Canonicus.

36 Respon. neg. conseq. Adhùc enim liber Danielis non fuit Hebraicè, sed Chaldaicè scriptus, quid per hoc? Quid, si Hebraica Scripturarum exemplaria perijssent? Num Græca, velut illegitima essent repudianda? Negabit vtique Aduersarius, modò apud se sit. Quòd verò liber iste fuerit Salomonis, hoc vnanimi Patrum sensu probauimus suprà; & vlteriùs, patet ex Origene homil. 12. in Leuit., Athanasio in Synopsi, & Orat. 2. cont. Arianos, Epiphanio hæres. 67., Gregorio Nanzianzeno lib. de Fide, & Orat. 20., Chrysostomo homil. 29. in Matth. & alijs.

37 Arguit 4. Sibrandus de Principijs Christian. dogmat. Innocentius Papa numerat quinque libros Salomonis: Gelasius Papa non nisi tres; quod ergò Innocentius statuit, Gelasius destruit. Ergò &c.

38 Respondetur, Aduersarios ex nimia contradicendi libidine hallucinari. Gelasius tres libros Salomoni tribuit, quia de istis dubitatio erat exorta, an essent Salomonis, de libris autem Ecclesiastici, & Sapientię nulla erat dubitatio, cùm essent ab omnibus tamquam Salomonis opera suscepti, nihil determinauit Gelasius. Nunquam tamen idem Sanctus Pontifex Ecclesiasticum, & Sapientiam, è sacrorum librorum Canone excluſit; sed hos, vt verè Sacros, Diuinoque Spiritu scriptos putauit, ac suscepit, eosque diuina continere eloquia declarauit.

39 Præterea, vt video, extrà Chorum canit Aduersarius; aliud enim est de auctore, aliud de auctoritate libri disputare. Hoc secundum quærimus in præsenti.

LECTIO VI.

De Libro Ecclesiastici è Sacro Canone à Protestantibus obliterato.

1 NEc minori conatu, nè quid intactum relinquat, Ecclesiasticilibrum, à Sacrorum Librorum numero explodere nititur hæretica prauitas, quàm eos, de quibus hactenus dictum est. Contrà vniuersam Ministrorum cohortem in hac Lectione res agitur.

Mendacium Protestantium.

2 CAluinus contemptim de Ecclesiastico loquitur, contumeliosè illum excipit, & iure suo illum posse repudiare gloriatur lib. 2. Inst. cap. 5. §. 18., his verbis: *Ecclesiasticum producunt, (Papistæ) quem dubiæ auctoritatis Scriptorem esse non ignoratur. At enim, vt à nobis non repudietur, quod facere tamen iure NOSTRO nobis licet, &c. Ergò non illis modò, sed ipsi quoque* Ecclesiastico *(quicunque tandem sit) Respondeo. Si hominem vis instituere, vt apud se ipsum acquirendæ salutis facultatem quærat, tanti non est Nobis tua auctoritas &c.* Et in Antitodo Concil. Trid. sess. 14. scripsit de Catholicis: *Vnde melius facem haurirem, ex hoc libro multa dogmata à Papistis fuisse desumpta.*

3 Vuhitakerus de Sacra Scriptura

ra controu. 1. quæst. 1. cap. 13. de Ecclesiast. ait: *Non esse Canonicum librum ex eo colligi potest, quod Græcè scriptus fuerit.* Vetus Vuhitakeri, & aliorum cantilena.

4 *Antonius Faius* in Enchirid. disp. 23. concl. 12. ait, hunc librum, quedam continere, *à Maiestate Spiritus Sancti. omninò aliena*, quale est illud, quod auctor ille cap. 50. deprecatur peccatum.

5 Sed antè hos Lutherus in Colloquijs latin. tom. 2. cap. de lib. veter. testamenti, ait: *Ecclesiasticus verus est Legista, &c. est liber Tulmud, loquitur de iure, & Æconomia &c.* Hæc Protestantes. Contrà quos stat.

VERITAS CATHOLICA

Ecclesiasticus, est verè liber Canonicus, Diuinaque continet eloquia.

6 PRobatur generalibus Principijs Protestantium inhærendo, ex Sacra Scriptura, ac ex totius Antiquitatis vnanimi consensu. Primo ex Sacra Scriptura 1. Petri cap. 1. ver. 24. ex hoc libro testimonium producit Apostolus, *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tamquam flos fœni, exurit fœnum, & flos eius decidit.* Et Iacobi 1. ver. 10. desumitur testimonium illud: *Quoniam sicut flos fœni transibit.*

7 Probatur 2. *Auctorit. Summ. Pontificum* Primorum quinq; sæculorum à Christo. S. Clemens 1. epist. 1. librum hunc, vt diuinum citat, dùm ait: *Et iterùm per Prophetam loquitur, Hierem. 2. expauit Cœlum super hoc, & horruit amplius vehementer, dicit Dominus: & iterùm Ecclesiastici cap. 28. Impone homo tuæ linguæ ostium, & seram: cessa eorum in altitudinem extollens, & loquens aduersus Deum &c.*

8 Anacletus, qui sedit anno 103. & Clementi successit, epist. 1. inquit: *Salomon loquitur dicens, Qui foueam fodit, incidet in eam &c.* Eccles. 24.

9 Euaristus Papa, qui Anacleto successit anno 112. epist. 1. dicit: *Ipso filio in Propheta loquente, Qui me genuit, requieuit in tabernaculo meo* eccles. 24.

10 Sixtus 1. anno 132. epist. 1. ait: *Et vbi est, quod in Salomone Scriptura loquitur Ecclesiast. cap. 36. Sicut enim in conspectu eorum magnificatus es in nobis, ita in conspectu nostro magnificaberis in illis.* Eadem loca citat Pelagius Papa primus epist. 1. ad Vigilium.

11 Fabianus Papa (anno 239.) epist. 2. ad omnes Episcopos. Dicit: *Fili, ait Salomon in mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem, cui honor competit &c. Sacerdotes honorandi sunt, nòn lacerendi, vel exprobandi sunt. Legitur in Ecclesiastico cap. 7. In tota anima tua time Deum, & Sacerdotes illius sanctifica.*

12 Callixtus, qui sedit anno 221. epist. 1. *Dicente (ait) quippè Scriptura Sancta Ecclesiastici 18., Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.*

13 Sixtus 2. qui vixit anno 257. circitèr, epist. 1. ad Salomonem Episcopum, vt probaret Filium Dei Patri coæternum, & cõsubstantialem, ait: *Quod Pater est, id est etiam filius, Salomone dicente Ecclesiastici 24. Ego ex ore altissimi prodiui primogenita antè omnem creaturam.*

14 Eusebius anno 309. epist. 3. *Vos (ait) iuxtà Sanctam Scripturam discite benefacere, &c. sicut scriptum est Ecclesiast. 14. Fili, si habes benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer. Memor esto, quoniam mors non tardat, testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi.*

15 Damasus, qui sedit anno 367. epist. 6. *Quod benè per Sapientiam Salomonis dicitur Ecclesiast. 28. Antequam scruteris, ne reprehendas &c.*

16 Innocentius 1. librum Ecclesiastici inter Canonicos recensct, vt vidi-

Digitized by Google

vidimus. Sixtus III. qui vixit anno 432. libro de malis Doctoribus, & Operibus fidei, inquit: *ad comprobãdam huiusce intelligentiæ veritatem, aliqua Diuinæ legis exempla promenda sunt, dicit enim Scriptura, Qui credit Deo attendit mandatis eius: & qui cõfidit in illo, non minorabitur.*

17 Leo Primo; qui vixit anno 440. & Sixto III. succeſſit, ſerm. de Quadrageſima cap. 3; ait: *Et ideo Sapientiſſimus Salomon, Fili, inquit, accedens ad ſeruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*, Eccleſ. cap. 2. Gelaſius Papa anno 492. epiſt. 5. *Scriptura Sancta ſic cõmemorat Eccleſiaſtici 40. Graue iugum ſuper filios Adam, à Die exitus de ventre Matris eorum &c.* & alibi.

18 Atque hi ſunt Põtifices, quos acceptatis Proteſtantes, vt in huius Scholæ Fudamentis fatemini; qui, priora quinque à Chriſto ſæcula nõ excedunt, quique aduerſus Lutherum fatentur, librum hunc, verè eſſe Prophæticum, ac vt Canonicum aſſumi ad confirmanda Fidei dogmata; contra quem Caluinus, & Vuhitakerus obſtrepunt.

Conc. Alexandr. 19 Probatur Tertiò. *Auctoritate* Conciliorum. Concil. *Alexandrinũ* celebratum anno 362. & 363. epiſt. ad Epiſcop. Eccleſiæ Cathol. quæ extat apud *Athanaſium Apologia* 2. cont. Arianos, inquit: *Non Athanaſij, ſed illorum acta luctum, lamentationemque merentur. In ipſos enim ploratus congruit, ſicut ſcriptum eſt, ne fleas mortuum, neque lugeas &c. Eccleſiaſt. cap. 22.*

Cõc. Epheſ. 20 Concilium Epheſin. Epiſt. ad Synodum Panphiliæ, vt diuinum teſtimonium citat locum Eccleſiaſtici 32. *Cum conſilio omnia fac, dicit diuinitus inſpirata Scriptura.* Præterea Concil. Carthag. 3. & Concil. Carthag. Romanum 70. Epiſcoporum ſub Gelaſio, librum Eccleſiaſtic, vt Diuinum, & Canonicum venerantur.

21 Probatur 4. Auctoritat. Veterum Patrum. S. Ignatius Martyr Apoſtolorum diſcipulus, epiſtol. ad Heronem aſſumit illud Eccleſiaſtici capit. 19. ait: *Ne omnibus credas, ne omnibus confidas, neque ſi quis blandiatur tibi. Multi enim ſunt Miniſtri Satanæ. Et Qui citò credit, leuis eſt corde.* S. Ignatius Martyr.

22 Clemens Alexandr. citat illud Eccleſiaſt. cap. 15. *Ecce do ante faciẽ tuam vitam, & mortem diligere Dominum Deum, & ambulare in vijs eius, & audire vocem eius, & credere vita.* lib. 5. Stromat. cap. 5. Clemens Alexandr.

23 Origenes homil. prima in Ezechielem, ait: *Vide Salomonem Sapieniſſimum omnium, quid de Dei correptionibus ſuſpicetur Eccleſiaſt. 19. Fili, noli eſſe puſillanimis in diſciplina Dei. Neque deficias correptus ab eo.* Origenes

24 *Athanaſius* in Apolog. de fuga ſua, dicit: *Et Salomon hunc ſermonem obſignans, ita (ait) Tollentur immaturæ animæ impiorum.* Athanaſius

25 *Baſilius* Magnus ad capit. 8. Eſaiæ inquit: *Ait Scriptura: cum conſummauerit homo, tunc incipit; & cum quieuerit, tunc indigebit. Eccleſiaſt. 13.* Baſilius

26 Ephrem Syrius aduerſus improbas mulieres, inquit: *Quòd autem Leonem, & Draconem malitia mulier improba ſuperet, fidem huius facit Sapiens, dum ait: Commorari Leoni, & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam &c. Non immeritò dictum eſt à Sapiente: Breuis omnis malitia ſuper malitiam mulieris. Eccleſiaſt. 25.* Eprem Syr.

27 Ex Latinis, Cyprianus de exortatione Martirij cap. 9. dicit: *Adhoc præſſuræ fiunt, & perſecutiones, vt probemur &c. Et iterum, apud Salomonem: vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis, Eccleſiaſt. 27.* idem facit lib. 3. epiſt. 9: & de opere, & eleemoſina. Cyprianus.

28 Hilarius lib. 12. de Trinit, ait: *Quod ſi ita ſentire impium eſt, Paulum impietatis neceſſe eſt, Filium ante tempora æterna eſſe dicentem, condemnes.* Hilarius

Etiam

Etiam ipsam de se testatam Sapientiam, quòd antè sæcula fundata sit, crimineris, quæ patri aderat, tunc cum Cœlum præpararet, Ecclesiast. 14.

Ambrosius. 29 Ambrosius ad Virginem deuotàm cap. 2. *Non legisti Salomonem dicentem, Bonis bona creata sunt ab initio. Eccles. 39.*

Opt. Mileui. 30 Optatus Mileuitanus lib. 3. cont. Donatistas ait: *Quia illud à Salamone discere noluisti, quod ait, Absconde panem in corde pauperis, & ipse pro te rogabit. Ecclesiast. 29.*

Hieronym. 31 Hieronymus epist. 33. *Diuina Scriptura loquitur, Musica in luctu, importuna narratio.*

Augustinus. 32 S. Augustinus (Quem Caluinus optimum totius antiquitatis testem esse fatetur) lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. inquit: *Illi duo libri, qui Sapientia Salomonis, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi sunt.* Et epist. 148. ait: *Nec frustrà Scriptura dicit in libro Ecclesiastico: In mortuo produc lachrimas, & quasi dira perpessus incipe lamentationem. Ecclesiast. 38. vers. 16.*, idem facit tom. 4. de Genes. ad litter. lib. 7. cap. 28. Ex eodem libro in confirmationem dogmatum Fidei, & morum reformationem, testimonia acceperunt omnes ferè alij veteres, vt Gregorius Nanzianzenus orat. 2. in Iuli. Greg. Nissenus, de vita Moysis, Epiphanius in *Anchorato*, Chrysostomus in cap. 6. Genes. Cyrillus Alexandr. homil. quam ephesi habuit, Anastasius Antiochenus lib. 9. exameron, Tertullian. de Exortatione Castitatis cap. 2., Gaudentius tract. 13. Paulinus Nolanus apud D. Hieron. epist. 4. cap. 1. & alij.

Greg. Nanz. Greg. Nissen Epiphanius. Chrysosto. Cyril. Alex. Anast. Antio. Tertullian. Gaudentius. Pauli. Nola.

33 Probatur 5. specialibus Principijs, & testimonijs Protestantium inhærendo. Conradus Pellicanus tom. 5. Epist. præfixa Commentar. Tobiæ, Baruch, Iudith Ecclesiast. &c. loquens de prædictis libris, inter quos est Ecclesiasticus dicit, quòd *ab Apostolorum temporibus, fuerunt cùm reuerentia lecti, licet non vt Canonici, in auctoritatem prolati contrà Iudæos, qui hos in Sacro suo Canone non susceperunt: cùm &c. Mysteriorum Christi, & Fidei dogmatibus plurimum adstipulentur.*

34 Nec valet quod ait Parentius Caluinista, scilicet, quòd hæc scripsit Pellicanus, dùm esset Papista, antequam Monachatum eiurasset, & vxorem duxisset, & ad Zuuinglianorum castra se recepisset.

35 Nam, hoc effugio elabi nequit, quia Pellicani libri fuerunt Tiguri excusi, cũ approbatione Ministrorum Sacramentariorũ eius locis & iterùm, simili approbatione recusi. Igitur hæc doctrina, fuit ab omnibus Ministris Tigurinis Sacramentarijs approbata; adeòque contrà apes insilientes absque vulnere non discedunt Protestantes. Sed redeamus ad cardinem causæ.

36 Bullingerus Protestans in epistola Biblijs Tigurinis præfixa, de libris inter quos Ecclesiasticus annumeratur, ait: *Ecclesiastici libri dicti videntur illi, quos quanquam non sint in Canone Hebræorum, Ecclesia tamen, quia Sancta tradunt &c. recipit.*

37 Omnes ferè Geneuanæ Synagogæ Ministri in suo Clypeo Fidei Dialogo 8. fol. 250. ex libro Ecclesiastici testimonia sumunt, eumque Salomonis esse fatentur.

38 Iunius Caluinista suum Præceptorem excusat, quasi is Ecclesiasticum tamquam Diuinum susceperit; sed non debetur excusationi locus, cùm perspicuis ille verbis, spurcissimæ sentinæ Ecclesiasticum comparet, Papistas traducendo illis verbis, *Ab Ecclesiastico multa mutuata, vndè melius fæcem haurirem.*

39 Hunnius Lutheranus, de hoc libro Ecclesiastici scribens, dicit; eum esse *librum insignem ad tradendum doctrinam morum, atq; virtutum.*

40 Denique Lutherus, vel Thal-

Digitized by Google

mud nunquam vidit, vel in eadem pagella sibi ipsi contradicit; Thalmud liber est ex multiplicibus fabulis consarcinatus, & ex varijs vitæ politicę, cõtrarijs documentis, compactus: ergò si liber controuersus, *Est Concionator legalis, & Iurista, & docet quomodo vita hæc externa, & ciuilis benè sit instituenda,* (vt ipse ait) iam non est sicut Thalmud, vt ipse falsò Ecclesiasticum criminatur.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

41 ARguit 1. Vuhitakerus. Huius libri Auctor in versione ex Hebræa in linguam Græcam, veniam postulat; si aliquãdo in vocum facultate videatur deficere. Neque ergò est Propheta, neque prophetico imbutus Spiritu; adeoq; neque liber est Canonicus, & Diuinus.

42 Respondetur, Prophetam, Canonicumq; Scriptorem, dirigi à Spiritu Sancto, non vt eleganter scribat, sed vt vera dicat; aliàs Hieremias, qui humili stylo scripsit, ac se ineloquentem esse dixit, *nesciens loqui*, iam non esset Propheta. Ideòq; auctor veniam petit, non de aliquo errore contrà veritatem doctrinæ, sed circà elegantiam styli Græcanici, quem fortè non ita benè callebat.

43 Sed dimirare Lector, Vuhitakeri vafritiem, simul, & inconstantiam, locum eius consule, & videbis eum in prima probatione suæ Conclusionis, ex eo probare hunc librũ Ecclesiasticum non esse Canonicum, quia Græcè, & non Hebraicæ scriptus est: In 2. autem probatione dicit, hunc librum ex Hebræo in Græcum fuisse translatum; si Hebraicè scriptus est, ergò Mendax deprehenditur Vuhitakerus in prima sui *Asserti* probatione, dùm de vno, & eodem libro Ecclesiastici, modò dicit esse Hebraicè scriptum, modò non Hebraicè, sed Græcè. Quare, videamus in sequenti argumento, quo primò probat suam Conclusionem, an sit verum, quod diximus.

44 Arguit 2. Vuhitakerus, & Protestantes communiter. Liber iste Græcè scriptus est. Ergò non est Canonicus.

Frequés Protestantium Argumẽtum Liber nũ est hebraicè scriptus, ergò non est Canonicus.

45 Respon. neg. antecedens, nam Hieronymus Prefatione in libros Salomonis, ait: *Fertur, & Panaretos Iesu filij Syrach liber, an alius Pseudepigraphus, qui Sapientia Salomonis inscribitur, quorum priorem Hebraicum reperi.* Idque etiam non inuitus fatetur Vuhitakerus, vt patet ex præcedenti Resp. ad 1.

46 Respondetur 2. gratis admittendo librum controuersum non Hebraicè, sed Græcè fuisse conscriptum, neque indè sequeretur librum non esse Canonicum; quandoquidem, non est alligatus Spiritus Sanctus ad loquendum vno Hebraico idiomate, sed vbi vult, & quomodo vult spirat, & per Prophetas loquutus est. Adeoque, non ea sola volumina Canonica censenda sunt, quæ Hæbraicè sunt scripta, sed quæ ab Ecclesia Christiana, Canone digna, & diuina iudicantur.

47 Sed, vt semel causam hanc expediamus, & ad hoc frequẽs Vuhitakeri, & suorum Symmistarum *Argumentum* perpetuum silentium imponamus. Respondet idem ipse sibi Vuhitakerus in sua Responsione ad Reginaldi Confutat. pag. 235. vbi contrà se ipsum, ait: *Verbum Dei non est Idioma, sed doctrina à Prophetis, & Apostolis tradita.* Igitur frustrà contrà nos, vrget: Hic liber Græco Idiomate scriptus est: ergò non est Canonicus. Negat enim ipse cõsequentiam, cur non etiam nos?

48 *Arguit* 3. Antonius Faius in Enchirid. Disp. 23. Auctor huius libri præcatur, quod peccatum est cap. 50., dicendo: *Rogauit populus Dominum Excelsum in Oratione contrà Misericordem*: Orare autem contrà

Mise-

Misericordem, peccatum est. Ergo liber non est Canonicus, & Diuinus.

49 Respondetur. Hoc argumentum esse simile huic, Petrus hoc testatus est medio iuramento; ergò non est ei credendũ, quia iuramentum non fuit integrum, sed dimidiatum. Sic pariformiter; Orauit contrà Misericordem; ergò aduersus Misericordem; vtraque consequentia falsa; nam, sicut in primo antecedenti ly *medio* idem valet, ac *mediantate*, seù *interposito iuramento*; ita in secundo antecedenti ly *contrà* idem valet, ac *antè* Misericordem, seù *in conspectu* Misericordis.

Responsio apta à simili.

50 Præterea, legat Faius 70. Interpretes à quibus hoc testimonium sumpsit (nam in nostra Vulgata hoc non habetur) & videbit, quòd mentitur in caput suum: Dicitur enim ibi: *Et ragauit populus excelsum in prece ante Misericordem, vsque dum perfectus est honor Domini, &c.* Quid quæsò in hoc peccaminosum est? At ipse ly *antè*, pro *contrà*, fraudulentèr apposuit. Nisi velimus dicere, quòd fallitur Faius in cõstructione Grammaticæ; nam, accusatiuus ille *Misericordem*, construitur cum illo altero *excelsum*; & particula *contrà*, non habet vim præpositionis, sed coniunctionis iuxtà Scripturæ morem Genes. 21. *Et sedens contrà leuauit vocem suam*, ideſt, simul leuauit vocem suam.

51 Tandem, miretur æquus Protestans Faij Dialecticam, nùm ex illo antecedenti, inferatur illa consequẽtia. Refert Ecclesiasticus, quòd Populus orauit contrà Misericordem; ergò Auctor, seù Ecclesiasticus deprecatur quod peccatum est. Negabit consequentiam duorum dierum Dialecticus. Nam, qui contra Misericordem orat, peccat, non qui narrat, quod gestum est. Aliàs hæc consequentia valeret, *Apostoli*, & Euangelistæ referunt, quòd Iudæi Christum crucifixerunt. Ergò *Apostoli*, & Euangelistæ peccarunt Christum crucifigendo. Quid ineptius?

52 Arguit 4. Hunnius Lutheranus. *Id* quod in cap. 46. huius libri narratur de Samuele extincto à Phytonissa, falsum est; nam, ad huius Veneficæ incantationem, non Samuel, sed Diabolus in specie Samuelis, Sauli apparuit: *Igitur* Canonicus non est. Probat antecedens, nam 1. Reg. 28. vbi narratur hoc factum, dicitur, quod Deus, neque per visiones, neque per Prophetas viuentes, voluit Sauli respondere; ergò multò minùs respondit per Samuelem mortuum.

53 *Audi* Hunni frater mi, nos in cap. 46. Ecclesiastici citato, nihil tale legimus, sed solùm ibi dicitur: *Et post hoc dormiuit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ.* Vbi, nulla nec de Venefica, nec de Diabolo, nec de Phytonissa fit mentio. Fingis ergò tu ipse calumniam. *Si*, vt vis, hoc factum narratur 1. Reg. 88., hic liber, & non Ecclesiasticus esset, in tua sententia, è Canone explodendus; at librum hunc Regum tu; & tui Lutherani nobiscum, vt Canonicum, & Diuinum recipitis. *Si* ergò ob causam in argumento assignatam liber Regum è Canone, vt vis, non est eradendus; cur, ob eamdem causam falsò affricatam libro Ecclesiastici, vis Ecclesiasticum è Catalogo Sacrorum librorum eradere? Ineptè ergò iuxtà solitũ, tuam illam consequentiam infers.

LECTIO VII.

De Primo, & Secundo Libro Machabæorum, è Sacro Canone à Protestantibus expunctis.

1 MAchabeòrũ libròs eò quòd non recipiant Hebræi, reijciunt Protestantes. Quid tùm, si recipit Ecclesia Christi, si pro Canonicis, si pro Diuinis habet? An aucto-

ritatis plus Synagoga tribuunt, quã Ecclesiæ ? O nouam constituendi Canonis rationem! Ex hostibus Ecclesiæ, Ecclesiæ petitur Fides. Et quid hoc est, nisi iterùm Christo, Barrabam anteferre? Audiamus.

Mendacium Protestantium.

2 LVtherus, ac cæteri nostræ tempestatis Hæretici, antiquorum hæreticorũ morem sequuti, Sacræ Scripturæ libros, quos suis fouendis erroribus infensos vident, è Canone reijciunt; Ita quondam fecerunt Ebionitæ, totum nouum Testamentum aspernantes; Marcionitæ, Vetus explodentes, Hinc ipse Lutherus, horum effrœnatam audaciã secutus, in Colloquijs Germanicis cap. de Sac. Scriptura, sic in Sacros Machabeorum libros inuehitur: *Ego isti libro, & libro Esther adeò infensus sum, vt optarem neutrum eorum extare. Nimirum enim Iudaizant, & multa referunt, quæ Gentilitũ superstitionem sapiunt.* Luthero subscribunt Ochinus dialog. de Purgatorio, Brentius in Apolog. Confess. Vuittembergensis cap. de Memorijs defunctorum, Anabaptistæ, Hunnius, & alij.

apud Feuardent. in Theoma. t. 2. fol. 5. col. 1. med.

3 Acerbitatis suæ virus contra secundum librum Machabæorum euomuit Zuuinglius tom. 1. art. 57. *Secundus (ait) Machabeorum liber non plus probat, quàm Ioannes de Montenilla, hoc est Æsopi fabula.*

4 Caluinus cùm probationem Purgatorij ex libris Machabæorum desumptam, soluendam sibi proponeret, lib 3. Inst. cap. 5. §. 8; incredibili arrogantia, scripsit: *Quod ex Machabeorum historia proferunt, responsione non dignabor, ne opus illud videar in Sacrorum librorum Catalogum referre.* Sui præceptoris insaniã secuuti sunt, Gulielmus Vuhitakerus, Iunius, Claudius Parentius cum Marronistis, Danæus, Antonius Faius in Enchirid. disp. 22. Cõclusione 11. & Disp. 23. & alij.

VERITAS CATHOLICA

Duo primi libri Machabeorum, Canonici sunt, & Diuini.

5 PRobatur generalibus Principijs Protestantiũ inhærendo, ex vnanimi totius Antiquitatis consensu. Primò, Auctoritate Summorum Pontificum, Clemens 1. lib. 7. Constit. Apostol. cap. 38. ex his Machabæorum libris, velut è Canonica, & Diuina Scriptura, testimonia protulit, dum ait: *Deus qui respexisti Sacrificium Abel, Mathatiæ, & filiarum eius in zelo tuo, Iael in benedictionibus, & nunc accipe preces populi tui.*

6 Innocentius 1. epist. citata ad Exuperium Tolosanum, hos libros inter Canonicos locat, his verbis: *Qui tamen libri recipiantur in Canone Sanctarum Scripturarum, breuis annexus ostendit, &c. Genesis, Exodus, &c. Iob liber vnus, Tobiæ vnus, &c. Machabæorum duo &c.* Idem fecit Gelasius Papa cum Concilio 70. Episcoporum, vt supra vidimus.

7 Horsmidas epist. ad Presbyteros Syriæ inuictam Machabæorum constantiam imitandam exhibet, *Pensate (ait) qualis Machabeorum exitus, quæ luctatio tolerantibus, quæ historia laudum secuta est, quali Iudas, & illa fratrum caterua mortis honore predicatur 2. Machabæorum 7.*

8 Leo 1. Serm. de Machabæis libros controuersos Sacram historiam appellat: *Causam (ait) solemnitatis hodiernæ plenissimè Sacræ historiæ lectione didicistis.* Sic & alij.

9 Prob. 2. Ex Cõcilijs. Concilium Carthaginense 3. can. 47. Machabæorum libris Canonicam dignitatem, & auctoritatem tribuit, vt dictum

ctum est supra. Adde, quòd huius Concilij Canones, & Acta, atque Decreta firmata, & approbata sunt in Concilio Generali Constantinopolitano. Præter quam quòd, Concilium sub Sancto Gelasio Papa celebratum, hos eosdem Machabæorum libros, vt verè Canonicos, & diuinos esse recipiendos, decreuit; quod decretum vniuersalis Ecclesia, omniaque posteriora Concilia vsque ad Tridentinum receperunt.

10 Probatur 3. Auctoritate veterũ Patrum, qui duos hosce Machabæorum libros, non humano, sed planè diuino spiritu confictos esse, demonstrant Dionysius Areopagita de cœlesti Hierarchia cap. 2. apud Coccium tom. 1. Thesauri, dum Angelicarum virtutum signa, quibus in Sancta Scriptura apparuerunt, enumerat apparitionẽ equitis Cataprahcti, qui Heliodorum oppressit, & tamquam ex diuino libro capitis tertij 2. Machabæorum testimonium adducit. Clemens Alexandrin. lib. 1. Stromat: idem facit.

11 Origenes ad cap. 5. epist. ad Roman; arguens eos qui dicebant, in veteri lege nullum fuisse ausum mori pro Deo, ait: *Veteris testamẽti legant Machabæorum libros, vbi cum omni instantia beata mater cum septem filijs martyrium suscepit, quique non solum Martyrium patienter excipiunt, verum etiam contumeliam ingerunt in Tyrannos, & videant si verũ est quod dicunt. Machab. 2. cap. 6.*

12 Damascenus Orat. pro defunctis, inquit: *Animaduertite quid Scriptura Sacra de Iuda Machabæo memoriæ prodiderit.*

13 Tertullianus aduersus Iudæos cap. 4. *Ne dubium est* (ait) *opus seruile eos operatos, cùm prædas belli agerent ex Dei præcepto. Nam, & temporibus Machabæorum Sabatis pugnando fortiter fecerunt, & hostes Allophylos expugnauerunt, legemque patervã ad pristinum vitæ statum pugnando Sabatis reuocarunt. Nec putem aliam legem eos defendisse, nisi in qua d. dies Sabatorum meminerant esse prescriptum primo Machabæorum cap 2.*

14 Cyprianus de exortat. martyrij cap. 11; dicit: *Quæ verò ediderunt confessionum præconia, quam præclara, quàm magnæ fidei documenta præbuerunt? Rex Antiochus infectus, imò in Antiocho Antichristus expressus, ora martyrum gloriosa, & spiritu confessionis inuicta, contagio fuille carnis maculare quærebat, & cum flagellis grauiter verberasset, ac nihil promouere potuisset, sartagines iussit igniri &c. 2. Macheb. cap. 7.*

15 *Prudentius Hymno de S. Vincentio sic de Machabæis pangit.*

Sic corpus: ast ipsum Dei
Sede receptum continet
Cum Machabæis fratribus
Secto Isaiæ proximum &c.
Num Machabæi martyris,
Linguam tyrannus erutam;
Raptamue pellem verticis
Auibus cruentis obtulit.

16 Ambrosius lib. 3. de offic. cap. 14. dicit: *Vnde Moses ait sicut in Machabæorum libro scriptum est primi Machab. 2. eo quod non sit manducatũ quod erat pro peccato, consumptum est.*

17 Hieronym. ad cap. 2. Esaiæ inquit: *Hoc enim Scriptura commemorat, quòd Alexander Rex Macedonum egressus sit de terra Cethim prima Machab. primo.*

18 Tandem Protestãtibus præcipuè, Caluinistis obijcimus Augustinum, de quo lib. 3. Instit. cap. 3. §. 10. Caluinus ait: *Neque opus est multum inuestigando laborare quid hic Veteres senserint: quando VNVS AVSTINVS sufficere ad id potest, qui fideliter magnaque diligentia omnium sententias collegit. Ex illo igitur sumãt Lectores, si quid de sensu antiquitatis habere certi volent.* Igitur, consilium tuum

S. Augustinus à Caluino celebratur.

tuum sequemur Caluine, & ex ipso Augustino, apertissimè probabimus quod intendimus. Augustinus sæpe sed maximè Tom. 5. libro. 18. de Ciuitate Dei cap. 36. ait: *Machabæorum libros non Iudæi, sed Ecclesia qro Canonicis habet.*

19 Respondet Caluinus lib. 3. Inst. cap. 5. §. 8. & deprehensus, nesciens quid obijciat, Fidelissimum suum antiquitatis testem Augustinum, tamquam falsum testem reijcit, dicendo. *At Augustinus pro Canonico recepit. Primùm quà certa fide? At*, hic fides Caluini desideratur, sicut & alibi frequenter. Tum quia, ipse, mala fide in Margine prædicti sui libri, capitis, & §. citat Augustinum cont. 2. Gaudentij epistolam cap. 23, cùm sit lib. 1. cap. 31; quod, eo fine fecit Caluinus, ne si totus locus legeretur, Augustinus ex diametro cum Caluino pugnaret. Secũdò, adfert truncatim Augustini ocũ, quasi Machabæorũ auctoritati aliquid detraheret, vt in Resp. 2. & 3. argumenti videbimus infra.

20 Probatur 4. specialibus principijs, & testimonijs Protestantium inhærendo. Lutherani, & Caluinistæ, non inuiti asserunt, eos libros esse Canonicos, ac Diuinos, quos Christus filius Dei, vel *Apostoli*, vel Euangelistæ in Euangelio citant, vel doctrinam secuuntur, & comprobant: Quare Hunnius Lutheranus Cont. Bellarminum lib. 1. cap. 4; loquendo de libris Legalibus, ait; *Tandem libri isti citantur à Posterioribus, scilicet, à Christo, & ab Apostolis: ex hoc signo solo, vt diuinitus inspirati suscipiuntur.* Bene est. Hoc tenemus. Præterea; Antonius Faius in Enchirid. disp. 22. Conclusione 23. hac ratione, que est 3. in ordine, probat, hos libros non esse Canonicos: *Scriptura vetus habet testimonium in Noua à Christo Euangelistis, & Apostolis, vel saltem citatur ab illis.* Tunc faciunt minorem propositionem: Sed hi libri neque habent testimonium in nouo testamento, nec citatur à Christo vel *Apostolis* ergo &c. Tunc, hanc eamdem Fay minorem propositionem subsumo, mutando eam de negatiua in affirmatiuam; sic: Sed hi duo libri Machabæorum habent testimonium à nouo testamento, vt ait Faius, & citantur à posterioribus, (vt dicit Hunnius) scilicet à Christo, & ab *Apostolis*. Ergo sunt diuinitus inspirati, adeoque Canonici; & ad vetus testamentum pertinent. Maior propositio est Lutheranorum, & Caluinianorum, *Hunnij*, scilicet, & Faij. Consequentia benè deducitur, sicut putant aduersarij rectè deducere suã, in suo argumento negatiuo.

21 Minor propositio subsumpta, & affirmatiua, de qua posset esse dissidium, probatur; Primò; Ioannis 10. Narratur, quod filius Dei ambulans in Templo, celebrauit festum Enceniorum institutum à Machabæis, illumq; diem non solùm Verbi sui prædicatione, sed & illustri Miraculo insignem fecit: quibus factis, Christus ostendit, satis se ratos habere libros Machabæorum, in quibus, scilicet lib. 1. cap. 4., id præceptum est. Et sicut celebrando festa Paschalia, Pentecostalia, & Tabernaculorum; & obseruando dies Sabathorum; libros Moysis, vbi isthæc omnia præscribuntur, probauit; *Ita*; illa celebrando, religiosaq; Enceniarum instituta obseruando, Machabæorum libros, diuinam habere auctoritatem, declarauit.

22 Eadem minor probatur 2. D. Paulus ad Hebræos 11. ex libro 2. Machabeorum cap. 7. testimonium accipit, dùm ait: *Alij distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt melioremi nuenirent Resurrectionem.* Quibus verbis, *Apostolus*, ad supplicia septem fratrum respexit, qui cum generosa matre, propter diuinæ legis obseruantiam, in suis corporibus

bus ſquiſſima tormenta pertulerunt, ipſa matre Natorum animos obfirmante ſpe futuræ Reſurrectionis, vt expreſsè textus ipſe loquitur. Aduerſarij ipſi ſint huius rei Iudices; nam Caluinus, Beza, Marloratus, & alij fatentur ingenuè, quòd hoc loco Apoſtolus, eam deſignet perſequutionem, quam *Antiochus* exercuit, & 2. lib. Machabæorum narratur.

23 Vbi etiam operosè notandum eſt; quòd hoc loco Apoſtolus, Machabæorum libros eodem ordine accenſet, quo & cæteræ cenſentur Scripturæ Canonicæ, ex quibus ibidem, breuitèr, & per Epitomen, excepit hiſtorias, vt ſunt Geneſis, Exodus, Ioſue, Iudicum, Regum, &c. Atque ſine vllo diſcrimine has, & illas citat: quod euidens ſignum eſt, Machabæorum libros, verè Canonicos cenſeri ab Apoſtolo, ſicut & alij ibi citati, verè Canonici ſunt, & Diuini.

24 Prętera, ex alio ſpeciali Proteſtãtium principio probamùs, Machabęorum libros eſſe Canonicos. *Antonius Faius* in Enchiridio diſp. 22 concluſ. 8. cum multis alijs Proteſtantibus aſſerit, quòd multi libri, inter quos ſunt duo libri Machabęorum, ſunt *Eccleſiaſtici*, *quia leguntur in Eccleſijs ad ædificationem Plebis, & Cathecumenorum*: Item, Ioſephus Scaliger Proteſtans in ſuis animaduerſionibus Euſebianis fol. 99. ait: *Alij libri ſunt Eccleſiaſtici, alij Apochryphi. Primi dicuntur libri, quorum lectio eſt in Eccleſia; ſecundi verò generis ſunt, qui non leguntur.* Et quidem inter primos, locat libros Machabęorum. Igitur libri Machabęorum in Eccleſijs leguntur, quòd etiam *Auguſtinus* ſuo confirmat ſuffragio lib. de cura pro mortuis, dùm ait, *Mos fuiſſe in Eccleſia Catholica, vt ex his libris Machabæorum, vice Epiſtolæ, lectio in publicis defunctorum funeribus legeretur.* Tunc ſubſumimus minorem: ſed in Concilio Laodiceno 1. can. 59. decreto cautum eſt, *nè in Eccleſijs legantur libri qui ſunt extrà Canonem Sacrarum Scripturarum noui, & veteris teſtamenti*; Et in Concilio Carthaginenſi can. 47. dicitur: *Item placuit, vt præter Scripturas Canonicas nihil in Eccleſia legeretur*: Ergò ſi libri Machabęorum, in ſententia Proteſtantium, in Eccleſia leguntur; ſequitur neceſſariò, eos eſſe Canonicos iuxtà decreta Conciliorum primorum quinque ſęculorum à Chriſto, quorum auctoritatem non grauatè recipiunt *Aduerſarij*, vt in Fundamentis prima Parte vidimus.

25 Inſuper, Vniuerſa Eccleſia religiosè inſtituit, vt à Dominica prima menſis Octobris, vſq; ad primam Nouembris, duo Machabęorum libri in diuinis officijs publicè recitentur; quòd fieri haud poſſet, ſtante prędictorum Conciliorum decreto, niſi libri iſti eſſent in Sacro Canone annumerati. Prędictorum quòd, & de Machabæis fuiſſe Prophetatum à Daniele cap. 11. pleriq; Doctorum affirmant, vt Rabanus Commentar. in lib. Machab., Rupertus in cap. 1. Zachariæ, quòd maximam illis conciliat auctoritatem.

26 Lutherus etiam Præf. in in lib. 1. & 2. Machab. dicit, quòd Canonicos eos libros iudicaſſet, ſi inibi ſuffragia, & preces pro defunctis non eſſent commendatæ; quòd eſt idem, ac dicere, ſi inibi ſuus error non redargueretur. Verba eius ſunt hæc: *Dignum alioqui, ſi ſuffragia pro mortuis non aſſeruiſſet, vt in numero Sacrarum Scripturarum accenſeretur.* Et ibidem de 1. lib. Machabæorum, dicit: *Primum librum, tàm dignum eſſe, vt recipiatur in Canonem, quàm dignus eſt ſecundus, vt indè excludatur.* Et certè propter rationẽ nuper aſſignatam. O impium! & vbi didicit aper iſte de Sylua, ſæuire in mortuos? O crudelitatem!

27 Poſtremò, quemadmodũ Proteſtantes, conſuetudine ſunt men-

daces,

Digitized by Google

daces, ita habitu sunt immemores; & frequentèr quod in vno loco fatentur, retractant in alio. Lutherus vniuersarum huius æui hæresum sator, de Machabæorum libris, ait: *Ego quidem credo fortiter, imo ausim dicere, Scio Purgatorium esse, mihi facilè persuadeo in Scripturis de eo fieri mentionem, Quemadmodùm illud Matthæi 12. inducit Gregorius, non remittetur, neq; in hoc sæculo, neque in futuro, volens peccata quadam remitti in Purgatorio. Admitto, & illud: 2. Machabæorum 12. sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare.* Et in eadem disp. Lypsica fol. 280. disputans cum Ekhio, inquit: *Tria per ordinem Dominus Doctor copiosissimè contrà me prosequutus est. Primùm, Canonem Sacræ Scripturæ comprehendere libros Machabæorum. Deindè, Purgatorium probaui etiam alijs Scripturæ locis &c. Respondeo, de duobus primis nulla est quæstio inter me, & dominationem suam.*

28 Caluinus item lib. 1. Inst. cap. 8. §. 10. tamquam ex Canonico, ac diuino libro testimonium sumit ex 1. Machabæorum cap. 11. versu 59., & in cap. 2. Matth. de suis conquæritur, quòd Ecclesiasticum (& Machabæorum libros, eo modo quo Saducæi Pentatheucum, reijciant.

29 Giffordus Protestans in *Demõstratione*, quòd *Brouniste Angli* sint *Donatistæ*, respiciens ad illud Machabæorũ. *Sancta ergò, & salubris est cogitatio &c.* ait: *Oblationem offerre pro defunctis, generalis mos fuit in Ecclesia, longè antè ætatem Augustini, vt in Tertulliano &c.*

30 Albericus Gentilis Disp. 1. de Machabęico ad Tobiam *Anglum* Pseudoepiscopum, de libris controuersis, dicit: *In primo dùm versor Machabæico, versoque quæ Theologi contrà illum obseruant, non me sanè valui continere, quin excuterem singula diligenter, & plurima deprehendi, infirmiora, quæ in tantam litem de Verbo Dei proferrentur.* Deindè idem ibidem, talium Theologorum calumnias contrà libros Machabæorum exsibilat.

31 Sed, & in eamdem sententiam iuit, Scaliger Protestans, & contrà suorum sententiam, Machabæorum librum miris laudibus celebrat in suo lib. de Emendatione temporum fol. 406., his verbis: *Priùs Machabæorum volumen hebraicè scriptum est ab Auctore, eximium opus, ex quo omnem Machabæorum historiam hausit Iosephus. Vtinam ipsum Hebraicum extaret.*

32 Pellicanus, & ipse Protestans eruditus, Præfat. in tom. 5. eos redarguit, qui Machabæorum libros inter *Apochryphos* reijciunt, & suorum Conreligionistarum Argumentum ex Hieronymo desumptũ, aptissima distinctione prosternit; dicendo, quòd ait: *Hos libros legit quidem Ecclesia, sed non sunt vt Canonici probati*, Respondet Pellicanus, *Non sunt vt Canonici in auctoritatem prolatt aduersus Iudæos, quia non sunt in Canone Hebræorum*, sunt tamen in Canone Christianorum, apud quos Canonicam, & indubiam auctoritatem retinent.

33 *Atque* hæc sunt, quæ Lutherus, Caluinus, vtrorumque gregagales pangunt pro libris Machabæorum.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

34 ARguunt 1. Lutherani, & Caluinistæ, præcipuè Faius in Enchrid. disp. 22. concl. 2., & Lectius vbi supra. Secũdo Machab. 1. dicitur: *Cùm in Persidem ducerentur Patres nostri.* At constat, non in Præsidem, sed in *Babylonem* captiuos ductos fuisse Iudæos: ergò in hoc libro falsa narrantur, adeoque non est Canonicus.

35 Respondetur. Quod nomine *Persidis* non tantum venit Persarum Prouincia, sed totum Imperium Regis

Regis Persarum, complectens Persidem, & alias Prouincias Persidi adiacentes, scilicet Caldeam, Mediam, totiusque Asiæ confinia, intra quæ erat *Babylon*. Quo loquendi modo, vsus est etiam Auctor lib. 1. Machabæorum cap. 6., & *D.* Ioannes Chrysostomus homil. 6. in Matth., vbi, de captiuitate Persica, Iudæos asserit liberatos. Et tùnc nihil contrà nos.

46 Arguunt 2. Vuhitakerus, & Iunius Caluinistæ. Libro 2. cap. 2. Machabęorum narratur, quòd cum Caldei Ciuitatem *Hierusalem*, & Templum incenderent; *Hieremias*, Ignem Sacrum, *Arcam* fœderis, & *Tabernaculum* in quadam spelunca abscondens, dixit: *Ignotus erit locus, donec congreget Deus Congregationem populi, & propitius fiat, & tunc Dominus ostendet hæc*. Sed hæc verba non reperiùntur in Hieremia; imo, pugnant cum Scriptura; quia, vt habemus ex cap. 37. & 38. Hieremias fuit in carcere vsque ad Vrbis excidium, adeòque non poterat illa abscondere. Ergò falsa narratio, &c.

37 Respondetur 1. Adnotando priùs, quod ter à Nabuchodonosor, Rex, & Populus Iudęorum ducti sunt in captiuitatem. Primò, tempore Ioacim, vt patet 2. Paralipomenon cap. vlt.: Secundò, tempore Ioachin, vt patet 4. Reg. 34.; Tertiò, tempore Sedechię, vt habetur 4. Reg. 25. hoc notato; *Dicimus*, quòd licet tempore tertię captiuitatis sub *Sedechia*, Hieremias fuerit semper in carcere; tamen, antecedenter, tempore Ioachin, erat in libertate, & maximæ auctoritatis apud illum; taliter, quòd ipse Ioachin, Hieremiæ suasu, sponte se tradiderit Regi *Babylonis*, vt patet Hieremiæ cap. 27. & 29. Hoc ergò tempore, benè poterat Hieremias, dùm erat in libertate, antè tertiam captiuitatem, quæ accidit sub Sedechia, illa omnia abscondere.

38 Respondetur 2. Verba illa esse desumpta ex quodam libro attitulato, *Descriptiones Hieremiæ Prophetæ*, (quæ Descriptiones, decursu temporis, Hebræorum malitia perierunt; vel potiùs, ab ijsdem adulteratæ, nullam certam Fidem meruerunt, quarum fortè meminit *Hieremias*) non verò, ex libris Canonicis *Hieremiæ*, vel Baruch.

39 Respondetur 3. iuxtà 1. Responsionem; Verba in argumento adducta, Sacris Scripturis neutiquam aduersari; nam, ex Epiphanio in vita Hieremiæ Prophetæ, hæc non fuerunt abscondita obsidionis tempore, sed tempore quo Hieremias detinebatur in carcere, prædicens futuram Vrbis, & Templi deuastationem sub Sedechia; & in hac sententia, benè poterant Religiosi viri pietatis amici, Hieremia hortante, illa abscõdere, verba textus hoc indigitãt, *Inuenitur* (ait textus) *in Descriptionibus Hieremiæ Prophetæ, quod iussit eos ignem accipere, qui transmigrabant, & vt mandauit transmigratis*. Et tùnc, quę, ipso Hieremię hortatę, sunt abscõdita ab amicis Hieremię, à Hieremia dicuntur abscondita, quod enim per amicos facimus, per nos ipsos facere videmur. Et tùnc nihil in hoc facto reperitur Scripturę cõtrarium.

40 Arguunt 3. Hactenùs ignoratur Auctor, qui libros quinque Iasonis Cyrenaici in Epitomen redegit, & abbreuiauit, & hos Machabeicos ex illis composuit. Ergò hi libri non sunt Canonici.

41 Respondetur. Hęc omnia aduersarijs gratis concedendo, negamus consequentiam; nam, adhùc auctor librorum *Iudicum*, Ruth, Regum, & Paralipomenon vsq; modo nescitur, nec propterea aliquis ambigit, hos esse *Diuinos*, & Canonicos.

42 Arguunt 4. Caluinistæ cum Caluino lib. 3. Instit. cap. 5. §. 8., Libro 2. Machabęorum 12. laudatur prępositerus, ac superstitiosus zelus Iudę Machabęi, dùm iussit sine prę-

Digitized by Google

cepto, & Verbo Dei, pro mortuis orare; Id autem quod superstitiosum est, non laude, sed reprehensione dignum censetur.

43 Addunt Vuhitakuros, Parensius, Faius, & Lectius Caluinistę vbi supra. Quod ij pro quibus Sacrificium fuit oblatum, iam lethali crimine obstricti decesserant; nam, subripuerant res, & donaria Idolis oblata contrà pręceptum Dei Deuteronom. cap. 7., quę postea, sub intersectorum militum vestibus, sunt inuenta. At pro similibus in peccato mortali decedentibus, non est orandum, nec offerendum Sacrificium, adhùc in sententia Pontificiorum: Ergò zelus fuit prępostерus, eiusque factum superstitiosum.

44 Respondetur. Quod immeritò Iudas Machabęus, ob illud Sacrificium oblatum, superstitioę Religionis arguitur à Caluino: Nõ enim superstitiosum est, quod à Patribus commendatur; Ait enim Augustinus serm. 34. de Verb. Apostoli, quod *Orationibus Sanctæ Ecclesiæ, Sacrificio salutari, & Eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari &c. Hoc enim à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia.* Et lib. de Cura pro mortuis agenda cap. 1. Ex hoc loco, & facto Iudę Machabęi, probat idem Augustinus oblationem Sacrificij pro defunctis, quem sequuntur Patres vniuersi. Vndè, Fulco Caluinista in Confut. Purgatorij pag. 393. paulò ante medium, ait: *Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, & alij plerique asserunt, Sacrificium pro defunctis Traditionem esse Apostolicam.* Non ergò Caluine superstitiosum est, Sacrificiũ pro defunctis offerre.

45 Imò Caluine, manifesta hęresis est tua, qui talia damnas: noli mihi credere, crede discipulo tuo Fieldo, qui lib. 3. de Ecclesia cap. 29. pag. 138. in re presenti à te, & ab Aerio pręcursore tuo negata, sic scribit: *Vndecima hæresis est Aerij. Is morem Ecclesiæ, quæ ad Altare defunctorum memoriam agere, & pro eis Sacrificium Eucharistiæ, idest, gratiarum actionis offerre solet, condemnauit.* Locum inspice Caluine an sit verum.

46 Præterea, Iudas Machabęus in hoc facto, nedùm Prophetarum, & Patriarcharum Traditiones sequutus est, verùm etiam ad Verbum Dei Scriptum inspexit. Inspexit enim ad Sanctuarij repurgationem, & ad antiquę Religionis Hebręorum restaurationem à Daniele cap. 11. prænunciatam: *In qua Religione,* (vt etiam Protestantes in Apologia Latina, cum *Munstero*, & *Antonio* Faio in comment. cap. 14. Deuteronomij admittunt) hęc eadem cõsuetudo orandi pro mortuis, efflorebat.

47 Ad illud quod additur in Argumento ex Vuhitakero, Parentio, & cęteris, dicimus cum D. Thoma in supplemen. 3. p. q. 71. art. 5. ad 1. quòd *Milites* illi Iudę Machabęi, non subripuerunt, & acceperunt donaria Idolorum ob deuotionem, & reuerentiam Idolorum, sed iure belli, & vt victores, (nisi velimus dicere in contemptum, & iniuriam Idolorum) tamen, ob nimiam auiditatem, vel auaritiam peccauerunt venialiter: & ita, benè, & Religiosè poterat Iudas Machabæus pro illis Sacrificium offerre, sicùt & pro similibus etiam modo Ecclesia Catholica Romana offert, & orat.

48 Vel gratis concesso, quòd multi milites peccassent mortaliter contrà præceptum Deuteronomij; tamen, vel multi non erant tali peccato contaminati, vel aliquos potuit pœnitere, ante, vel in actuali belli congressu, vt ait D. Thomas vbi supra; & pro his, qui cùm innocentia, vel contritione, & cum pietate dormitionem acceperant, Sacrificium est oblatum.

49 Vel dicamus cum Augustino in Enchirid. cap. 108. *Quibus autem pro-*

Digitized by Google

prosunt aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio; aut certè, vt tolerabilior sit ipsa damnatio.

50 Arguunt 5. Hunnius Lutheranus, & Caluinus. Libro 2. Machab. cap. 14. laudatur Razias eo quòd se ipsum occidit; Sed hoc ex D. Augustino cont. Gaudentium malum est, hæc Historia Machabæorum, ait Augustinus, *Recepta est ab Ecclesia non inutilitèr, si sobriè legatur, vel audiatur.* Ergo, si sobriè legenda est Machabæorum historia, aliquid in ea continetur piarum aurium offensiuum; adeoque non est Canonica.

51 Resp. 1. ex eodem *Augustino* ibid. lib. 2. cont. epist. Gaudentij cap. 33; Raziam haud laudari propter factum propriæ occisionis, sed propter continentiam quam in *Iudaismo* seruauit, & propter amorẽ erga Ciuitatem Hierosolymorum, & ex eò, quod *Iudæorum* pater est appellatus; Quare, vt ait Augustinus, consultò dictum est, *Quod elegerit nobilitèr mori, cui melius fuisset velle mori humiliter, sic enim vtiliter.* Melius illi fuisse mori *humilitèr* captiuus in manibus inimicorũ, quàm mori *nobilitèr* nè nobilitatem suæ gentis captiuus amitteret. Hãc mortem potius, virilitèr, quàm prudenter oppetitam, tamquam factam, non tamen faciendam Machabæorum historia laudat.

52 Resp. 2. Quòd factum illud propriæ occisionis, quòd scilicet Razias se de muro præcipitauit, laudatur ex eò, quia speciali instinctu id fecit Razias, sicut, & Sampson, cuius factum spiritui Dei tribuendũ censet *D. Augustinus* vbi supra, ibique Sanctus Pater Raziam cum Sampsone comparat.

53 *Arguunt* 6. Horum librorum auctor lib. 2. cap. 2. ait, *Nobis, qui hoc opus breuiandi causa suscepimus, non facilem laborem, imò negotium plenum vigiliarum, & sudoris assumpsimus.* Sed nihil Spiritui Sancto est difficile vel molestum. Ergo, hi libri nõ sunt à Spiritu Sancto dictati &c.

54 Resp. Verba allata sonare, tantùm scriptorem, & abbreuiatorem, non autem Spiritum Sanctum negotium plenum vigiliarum & sudoris assumpsisse; nisi fortè insaniendo dicant aduersarij, Spiritum Sandum aliquando sudare vel dormire.

55 Instat Vuhitakerus. Spiritui Sancto videtur indignum, prophani auctoris historias abbreuiare; Cùm ergo horũ librorũ Scriptor, in Epitomẽ redegerit, & abbreuiauerit quinque libros Iasonis Cyrenaici, libri isti non erunt diuini, & Canonici.

56 Resp. neg. antecedens, Nam Deteronomium, est compendium *Exodi*, Leuitici, Numerorum: Paralipomenon est Epitome librorum Regum: Psalmi 104. 105. 106., multa quæ sunt in Genesi, & Exodo cõpendiosè pangunt: Euãgelista Marcus, Matthei abbreuiator extimatur à multis: *Iudæ* Epistola, à plerisque duarum Epistolarum Petri censetur Epitome; & tamen hoc, eorum Canonicæ auctoritati non derogat. Ita nec illud.

Deuteronomium est Epitome lib. Exodi, Leuitici &c.

57 Nec rursum, verum est, quod Iason Cyrenus (si ipse est auctor huius historiæ Machab.) fuit Prophanus; nam, tum Sac. Scriptura, tum *Antiqui* Historici vt Ioseph. lib. 14. cap. 12. & alibi asserunt, Multos in Cyrenæ pios ac probatæ vitæ *Iudæos* extitisse, inter quos de facili potuit esse *Iason*; Nec Vuhitakerus aliquo testimonio ductus, sed merè cõmentitiè asserit, illum fuisse prophanum. *At* dato tandem, & non concesso, quòd Iason Prophanus Scriptor extiterit, id neque Canonicæ horum librorum auctoritati obstaret; quia, etiam à Prophanis testimonia sumpsit *Apostolus*; quæ quatenus *Apostolica* voce probantur, veritatem continent inconcussam; Ita in casu nostro &c. Quare,

Digitized by Google

Lutherus commentar.in Epist. Iacobi, dixit: *Quicquid Christum docet Euangelium est, & si à Iuda, Anna, Pilato, & Herode fiat.* Et Beza Prolog. in Apocalyp; ait: *Veritas aliunde potius quàm à Scriptore pendet.* Et per hæc puto Caluino, & Vuhitakero plenissimè satisfactum.

58 Arguit 7. Iunius Caluinista. Libro primo Machabæorum cap. 8. habetur de Romanis, committunt vni homini Magistratum suum, per singulos annos dominari vniuersæ terræ, & omnes obediunt vni. Sed hoc est falsum, & contra omnes historias, in quibus dicitur, quod rerum summa, à duobus Consulibus administrabatur. Ergo in hoc libro falsa scribuntur, &c.

59 Resp. ex Liuio lib. 2. histor; Quòd vtiquè duo eligebantur Consules, non tamen ambo simul imperabant; nam lege cautum erat, vt hi duo, alternis diebus vel mensibus publicæ rei præessent, & alter alteri vicissim in dominio succedebat, mēstruatimq; fasces secureſque (quæ erant Imperij insignia) concedebātur, ne ambo, eodem tempore imperarent. Videatur Genebrardus 2. Cronic. anno vrbis conditæ 243.

60 Instat Franciscus Iunius; & dicit; quòd hoc non est singulis annis vni, sed duobus per singulos annos Reipublicæ curam committere

61 Dicimus, vni homini, & semper vni, curam Reipublicæ fuisse commissam; sed non semper eidem; Cùm alternatim, alterniſque diebus vel mensibus, vnus, pro suis loco, & tempore, solus haberet imperium. Atque ita, quæ in his libris controuersis leguntur, prophanis historijs non aduersantur.

62 Notandum breuiter pro Lectionis complemento, quòd quando Antiqui Patres (si qui sunt) videntur indicare, hos duos Machabæorum libros sicut, & cæteros controuersos, non esse in Canone; intelige quod non sint in Canone Hebræorum. Præterea, cum obijciunt aduersarij Gelasium vel Innocentium, tantùm vnum librum Machabæorum numerasse; dicas, quod ideo id fecerint, quia apud Græcos isti duo libri, vnico volumine continentur.

LECTIO VIII.

De aliquibus Capitibus Danielis è Sacro Canone à Protestantibus detractis.

1 HÆretici gestientes integros Sacræ Scripturæ libros è Sacro Canone obliterare, cassо labore desudarunt, vt vidimus. Modò, prophanorum murium instar quædam Danielis fragmenta, (scilicet, cap. 3. 13. & 14, in quibus continetur trium puerorum hymnus, Historia Susannæ, Belis Dragonis quē Daniel interfecit, & asportatio Abacuch, nituntur corrodere, atque inter Apochrypha collocare.

Mendacium Protestantium.

2 CAluinus vt totum huius Sācti Prophetæ librum damnaret, damnauit Auctorem, vndè in cap. primum Danielis vers. 8. multis criminibns hominem Sanctissimum aspergit, scilicet, quod *superstitione & molesto fastidio laboraret, cū cibos ethnicos gustare noluit. Quòd zelo inconsiderato deditus fuerit, homo leuis, & inconstans; & quod eius sobrietas, & abstinentia simpliciter & absolutè non sit laudanda &c.* & ibidem ad cap. 2. eiusdem ver. 46. & 49. rursus eum accusat, *quòd Aulica Regum vitia contraxerit, quòd socium se præbuerit sacrilegij, & impietatis Nabuchodonosoris &c*

3 Erasmus in commentarijs præfationis D. Hieronymi in Danielem, post explosum è Canone trium puerorum hymnum, addit: *Imò nullo delectu legimus de Bel Draconе, quam*

Hie-

Digitized by Google

Hieronymus non veritus est appellare fabulam: Nec additurus, ni veritus fuisset, ne bonam voluminis partem detruncare videretur, sed apud quos tandem? Apud imperitos inquit ipse.

4 Vuhitakerus disp. Sac. Script. de his capitibus Danielis, inquit: *Susannæ, Belis Draconisque fabula, quæ in vulgatis Biblijs cum Danielis Prophetia coniungitur: hæc omnia esse Spuria, & Apochrypha demonstrabo.*

5 Sed & Lutherus, totius Mendacij nobilis *Architectus*, in suis Biblijs, tria ista capitula *Danielis*, inter Apochripha reijcit; hunc sequuntur Brentius in *Apologia* Confession. *Augustanæ*, Kemnitius in examin. concil. sess. 4. & alij. Idem sentiunt Caluiniani, Iunius, Lambertus Daneus, Antonius Faius in suo Enchiridio disp. 24. concl. 5. qui omnes, has Scripturæ partes, eradunt è Canone.

PRIMA VERITAS CATHOLICA.

Daniel, fuit Sanctissimus Dei Propheta.

6 PRob. hæc Veritas (quæ est cõtra Caluinũ) ex meris eiusdẽ Caluini testimonijs. Is. n. Geneuanus Pseudopatriarcha in suo commentario eiusdem capitis primi Danielis citati in mendacio, versu primo, propria vineta cædens, de Daniele ait: *Si quæ tunc fuit integritas in toto populo, certè Daniel erat primarium exemplar. Nam Exechiel cap. 14. & 16. inter tres iustos eum numerat, à quibus Deum placari posse verisimile erat. Fuit igitur tãta virtutũ præstãtia in Daniele, vt esset quasi celestis Angelus inter mortales*, & postea subdit, & Angelicas eius virtutes recenset; *erat* (ait) *Angelica Sanctitas in Daniele. Iam à pueritia se totum addixerat pietati. Indigni sumus, qui soluamus corrigeas calceamentorum pedum eius. Non destitit Deũ purè colere.* Ergo Caluine, fallis, & falleris, quia in eadem ferè pagella tibi contradicis, dùm hic, Danielem auersissimum fuisse ab illis criminibus fateris.

7 Deinde idẽ Caluinus in cap. 6. eiusdem Danielis vers. 10. iterũ ait: *Daniel fortitudine Spiritus Dei fuit indutus, & vitam suam in Sacrificium Deo obtulit. Cùm mors esset ante oculos eius, ipsam oppeterè intrepidè maluit, quàm cessare à pietatis officio. Tenẽdum est placuisse Deo hanc animi magnitudinem in SANCTO Propheta. Et liberatio eius ostendit, quantopere probata fuerit eius pietas, quia maluerat se propria vita abdicare, quàm mutare aliquid ex sua consuetudine, quantum ad cultum Dei.* Ergo in manifesto mendacio Caluinus deprehenditur, cùm alibi, insimulat eum leuitatis, sacrilegij, inconstantię &c. quæ vitia manifestè è diametro pugnant, cum istis virtutibus.

8 Iterum idem Caluinus ibid. scilicet ad cap. 6. Danielis ver. 14. se ipsum iugulat, dùm de eodem Daniele dicit: *Nemo poterat in eum cõijcere oculos, quin occurreret gloria, & potentia Dei Israelis. Non frustra eum Ezechiel nominat inter tres Sanctissimos, qui fuerunt ab exordio mundi. Hoc fuit maximum, etiam cum esset adhuc adolescens, vel etiam in media ætate, coniungi cum Iob, & cum Noah, sic vt esset tertius in sanctitate rara, & ferè incredibili.* Ergo ex verbis Caluini constat, Danielem ab illis vitijs aborruisse, adeoque Sãctissimum fuisse Prophetã. Hinc & in Caluini caput recidit *Væ* illud grande Isaiæ c. 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum &c.* Ezechiel. 14.

SE-

SECVNDA VERITAS CATHOLICA

Caput Tertium, Tertiumdecimum, & Quartumdecimum Danielis, verè inter Cannnicas Scripturæ partes accenſentur.

9 PRobatur generalibus Principijs Proteſtantium inhærendo, ex totius Antiquitatis vnanimi conſenſu. Primò auctoritate Summorum Pontificum. Clemens Roman. lib. 2. Conſtit. Apoſtolicarum cap. 37.; ait: *Vſu enim euenisſe ſolet, vt quidam propter æmulationem, aut inuidiam contrà fratrem, aliquam falſam inſtituant accuſationem, vt duo illi ſenes aduerſus Suſannam.* Idem Clemēs lib. 7. Cònſt. *Apoſtolicarum* cap. 51. ex his tribus capitibus controuerſis, tamquam Canonicis teſtimonia ſumit, dùm ait: *Senes autem, Sanguinis Suſannæ reos, ad ignem damnauit, ac vobis etiam per Danielis perſonam exprobrauit, dicens Daniel. 13., Sic fatui filij Iſrael, qui neque habita quæſtione, neque cognita veritate filiam Iſrael condemnaſtis &c.* Et ibid. lib. 8. cap. 1. inquit: *Imò neque ſapiens ille Daniel, bis ex ore Leonum ereptus, neque tres illi pueri in fornace ignis reliquos ſuæ nationis ſpreuerunt.*

10 Idem præſtitit Innocentius 1. epiſt. ad Exuper. Toloſanum, Gelaſius in Concil. Romano 70. Epiſcoporum, vbi decretum edidit de Scripturis Canonicis, & totum Danielis librum, quo ad omnes eius partes, inter Canonicas Scripturas accenſuit. Tandem *Anacletus* epiſt. 1. cap. 14. Danielis librum inter Canonicos recipit, & Leo 1. ſerm. 16. de paſſion. Domini cap. 4. citat illud Danielis, *Semen Chanaan, & non Iuda &c.*

11 Probatur 2. auctòrit. Conciliorum primorum qninque ſæculorum. Concil. Laodicen., & Carthaginenſe, cùm Danielis librum inter Canonicàs Scripturas annumerarūt, de eo libro intellexerunt, qui in Codicibus Græcis vulgatis circumferebatur: *Ergò* certò certiùs eſt, hæc tria Capita controuerſa, inter Canonicas Scripturas accenſuiſſe; nam, Codex Græcus vulgatus, omnia hæc tria capita continet. *Ergò* verè, hæ partes, inter Canonicas Scripturas ſunt enumerandę. Maior patet; nam, omnes libri, ſingulæq. eorum partes, quæ illis Codicibus Vulgatæ æditionis Græcæ continentur, in Canone collocantur ab Eccleſia, cùr non controuerſæ? Minor ſuadetur ex *Athanaſio* in Synopſi, Theodoreto, & Hieronymo in *Danielem*, vbi dicunt, Danielem legi ab Eccleſia Chriſti, ſecundùm translationem *Theodotionis*, quæ græca eſt, vbi hæc tria capita Danielis continentur. *Ergò* hæc Danielis fragmenta, ad Canonicam Scripturam pertinent.

12 *Dicit* ad hæc *Hunnius* Lutheranus. Adhùc ſi verum eſſet, Concilium Laodicenum, has Danielis partes recenſuiſſe, non tamen indè licet inferre, eas eſſe Canonicas, cùm Concilia non habent poteſtatem, aliquā Scripturam ex non Canonica, Canonicam efficere.

13 *Hæc* vetus Proteſtantium cantilena, quam ſit auribus noſtris ingrata, *Deus* ſcit, eam autem ſupra pluries audiuimus, & reiecimus, dicendo, Eccleſiam in Concilijs, non effeciſſe libros Canonicos ex non Canonicis; ſed qui iam in ſe, & in actu primo erant Canonici, & Diuini, ſua declaratione Canonicos effeciſſe quo ad nos, & in actu ſecundo; vel clariùs, declarauit eſſe Canonicos.

14 Probatur 3. *Auctoritate* Veterum Patrum. *Dionyſius* Areopagita cap. 7. de Diuinis nominibus, tamquam ex Diuina Scriptura, ſumit teſtimonium ex cap. 13. *Danielis*, vbi Suſannæ hiſtoria narratur, & ait: *Qui nouit omnia antequam fiant.*

15 Ori-

Digitized by Google

15 Origenes homil. 1. in diuersos, probat Virginitatem Beatissimæ Virginis Mariæ post partum, ex cap. 14. Danielis dicendo: *Quemadmodum Danieli intra lacum Leonum incluso, Claustris non apertis, allatum est prandium ab Abacuh, Ita & hac Virgo Sancta genuit Deum, sed intacta permansit.* Et homil. 1. in Leuit. ait: *Sed iam tempus est, nos aduersus improbos Præsbyteros uti Sancte Susanne vocibus, quas illi quidèm repudiantes, historiam Susannæ de Catalogo diuinorum voluminum desecarunt.* Ex causam ob quã Susannæ historia resecatur; vt scilicet, Hebræorum Præsbyterorum infamia occultetur.

Origenes, probat Virginitatem B. Mariæ post partum.

16 Athanasius serm. 4. cont. Arianos, inquit: *Daniel quoque Astyagi ita loquutus est; Non colo idola manifesta, sed Deum viuum.* Daniel 14.

17 Gregorius Nazianzen. in Præceptis ad Virgines, canit.

Ipse feris Daniel rabidis proiectus in Escam.
Non aluit sæuos lacerata carne Leones:
Sed postquam fuditque preces, palmasq; tetendit,
Aera per medium delata est esca Prophetæ.

18 Basilius homilia secunda de Ieiunio, de his omnibus tribus capitibus, ait: *Singularem, & eximiam ieiunij vim, Leonum ora compressit, Draconem perrupit, Belem euertit, Susannam è periculo liberauit.* De tribus pueris inquit, de Spiritu Sancto cap. 30. *Quod ex incendio medio canebant hymnos Deo, haud reputantes multitudinem aspernantium veritatem, sed sibi inuicem sufficientes, cum essent tres.*

19 Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 9. illuminatorum, ait: *Dicunt tres pueri in camino ignis laudantes Deum, Dan. 3., Benedictus es Deus &c.* Catechesi 16. probat historiã Susannæ, *Age (ait) Daniel puer, argue senes de peccatis iuuenilibus; scriptum est enim, Dani. 3. suscitauit Deus spiritum Sanctum pueri iuuenculi.* Et Catechesi 14. probat *Abacuch* asportationem, dicens: *Si enim Abacuch translatus est, Coma capitis portatus,* (hoc loco probat Mysterium Ascensionis Iesu Christi) *quanto magis Prophetarum, & Angelorum dominus de Monte Oliuarum per nubem ascendens, propria virtute ascendere in Cælam potentior erat.*

20 Gregorius Nissenus homil. de pauperibus amandis probans Historiam *Abacuch*, ait: *At illi pauperes, qui aduersa valetudine &c. vti Daniel in lacu te benignum, & Pauperum studiosum, atque amantem, tanquam Abacuch expectant.* Hist. Susannæ probat lib. de hominis opificio cap. 13. dum citat illud Daniel cap. 13. *Deus æterne, qui absconditorum, es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant.* Trium puerorum hymnum probat orat. de 40. Martyribus dicens; *Tres illi pueri ad communem laudem, decantationem unam assumunt frigus, & æstus &c.*

21 Chrysost. homilia de Susanna, eius histor. probat, & diuinam lectionem appellat, dicendo: *Diuinæ lectiones, & Sancta oracula Dei, quæ insonuerunt auribus vestris, nidum faciant in mentibus nostris. Audiuimus de Susanna lectionem, ædificetur pudicitia coniugalis.* Et homil. de tribus pueris, illorum hymnum approbat, dicens: *Circa damnatos suos innocens pœna blanditur, & stans Azarias precatus est &c.* Postremò de reliquis capitulis, sermo. cont. Gentiles, & Hæreticos, de Euangelio, *Nuptiæ factæ sunt &c.*, ait: *Erat Daniel iuuenis, & Leonis ora constrinxit, & Dracones confregit, Bel subuertit, & Præsbyteros iudicauit, Susannam liberauit &c.*

22 Deindè Hymnus triũ puerorum, vt Canonicum suscipiunt Origenes epist. ad Iulium Afric. apud Euseb. lib. 6. histor. cap. 24. dùm ait: *Sic ergò precati sunt Ananias, & Azarias, & Misael, & Hymnis laudarunt Dominum.*

23 Athi-

23 Athanasius lib. cont. omnes hæres, loquens de tribus pueris à Nabuccodonosor in fornacem conjectis, ait: *Verbum roriferum inter illos aderat, & ignem excutiebat, puerique hymnos modulabantur.*

24 Cyrill. Alexandrinus lib. 5. Thesauri cap. 7. dicit: *Tres enim illi adolescentes apud Babylonicos, omnem generatim creatam naturam ad benedicendum Deum vocantes &c.* vbi locũ istum tanquam sacrum adducit &c.

25 Tertullian. aduers. Hermogenem cap. 44. dicit de Deo, quod etiã *animalia, & incorporalia laudes canũt apud Danielem.*

26 Cyprianus de orat. Dominica, dicit: *hanc orationis legem seruauerunt tres pueri in camino ignis inclusi, consonantes in prece, & spiritus consensione concordes. Quod declarat diuinæ scripturæ fides &c. Tunc illi tres pueri quasi ex vno ore hymnum canebant, & benedicebant Dominum.* Et serm. de lapsis: *Loquitur* (ait) *diuina Scriptura. Stans, inquit, Azarias precatus est.*

27 Zeno Episc. Veronensis serm. de Daniele & tribus pueris dicit: *Mira res, opacitas intus, incendium foris est, intus hymnus canitur, foris vlulatus auditur.*

28 Hilarius in psal. 125. *Testes* (ait) *sunt tres pueri inter flammas cantantes.* Ambros. 2. exam. cap. 4. *His specialem firmamenti huius exterioris soliditatem dicit, quod dicitur Cæli firmamentũ, sicut legimus in hymno Prophetico, Benedictus es in firmamento Cæli.*

29 Hieronymus epist. 49. de muliere septies icta, inquit: *Huc huc mihi trium exempla puerorum, qui inter frigidos flammarum globos, hymnos edidere pro fletibus.*

30 D. Augustin. lib. 5. cont. Iulianum cap. 5. dicit: *Et quis audeat dicere, aliquid meum non esse bonum, cum omnis creatura Dei bona sit, & benedicat in hymno trium puerarum frigus, & æstas Dominum?*

31 Historiam Susannæ vt *Diuinam*, & Canonicam Scripturam suscipiunt D. Dyonisi. Areopag. lib. de diuin. nominibus cap. 7. dum ait: *Idque diuina scripta tradere existimo, cum aiunt, Daniel. 13. Qui nouit omnia antequam fiant.*

32 Tertullianus lib. de corona militis cap. 4. *Licet* (inquit) *Susanna in iudicio reuelata argumentum velatæ præstat possum dicere, & hic velamen arbitrij fuit.*

33 Cyprian. epist. 40. dicit: *Sicut illi Susannam pudicam corrumpere, & violare conati sunt, sic & hi* (loquitur de hæreticis) *adulterinis doctrinis Ecclesiæ pudicitiam corrumpere, & veritatem euangelicam violare conantur.*

34 Zeno Episc. Veronensis serm. 9: *Susanna* (ait) *illustris Hebrea, verè Decus pudicitiæ, docuit fœminas suæ castitatis exemplo.* Hilarius in enarratione psal. 52. inquit: *Sed & Daniel præsbyteros condemnans ait; non semen Abraham, sed semen Chanaam, & non Iuda.*

35 Ambros. ad Virginem lapsam cap. 4. *Dicis* (ait) *violentiam passa sum, respondebit fortissima tibi Susanna. Inter duos presbyteros Populi etiam iudices posita, inter Paradisi syluas constituta, vinci non potui, quia non volui.*

36 Hieronymus epist. 13. ad Paulinum cap. 1. *Daniel* (inquit) *adhuc puer longæuos iudicat, & impudicos senes, ætas lasciua condemnat.*

37 Augustiuus tract. 36. in Ioan. dicit: *Veritas queritur per duos testes, ita planè sic se habet humani generis consuetudo: sed tamen fieri potest vt & duo mentiantur. Susanna casta, duobus falsis testibus vrgebatur &c.* Atque hęc sunt veterum testimonia, quibus euincitur, Susannę Historiam, ad diuinam Scripturam pertinere, & inter Canonicas recenseri.

38 De Bel, & dracone interfecto, vna cum Abacuch asportatione, tãquam de diuina Scriptura loquũtur Patres. Basilius Seleucienſis, demon-

strat.

Digitized by Google

strat. contra Iudæos, huius historiæ factum approbat, dicendo: *Cyrus post Astyagem fuit, sub quo Bel est euersus, & Draco occisus.*

39 Epiphanius in vita Abacuc ait, quod *translatus repente in Babylonem exhibuit prandium Danieli, qui erat in cauea cum leonibus.*

40 Tertullian. lib. de Idolatria cap. 18. ait. *Nam si ista esset, vtique tantæ Sanctitatis, & constantiæ viri statim habitus inquinatos recusassent, statimque apparuisset Danielem Idolis nõ deseruisse, nec Belem nec Draconem colere, quod multò postea apparuit.*

41 Cyprianus epist. 56. *Daniel (*ait*) cum compelleretur adorare Idolum Bel &c. plena fidei libertate prorupit dicens. Nihil colo ego nisi Deum meũ.*

42 Zeno Veronen. Episcop. serm. de timore, inquit: *Huius suffragio Daniel populis terribilem inermis Draconem necat, leouibus obiectus in periculo prandet, qui solet extra periculum ieiunare.* Hilarius lib. 10. de Trinitate, ait: *Daniel Propheta prandio alendus leonum lacum non timet &c.* Ambrosius lib. 2. de Iacob & vita beata cap. 9. *Non vtique (*inquit*) ideo beatus, quia alienum prandebat prandium; sed quia meritis suis impasta leonum ora claudebat.*

43 Hieronymus epist. ad Eusebium quæ est 12. cap. 10. dicit: *Potuit & Danieli de regijs ferculis opulentior mensa tranferri, sed Abacuch, & messorum prandium portat &c.* & postmodum, vt ostendat se Scripturam allegasse, subiungit: *Innumerabilia sunt de Scripturis diuinis responsa, quæ gulam damnent.* Igitur ex Hieronymo, hoc Danielis fragmẽtum, Scriptura diuina est. Aduersarios alloquor.

44 Augustinus tãdem serm. 242. de tempo. inquit: *Daniel Propheta, nec in lacum proiectus leonum timore perculsus expauit: sed inter ista bestiarum ora consistens, Dominum tota mente placauit, & tyrannicas dispositiones illesus euasit.* Mitto alios Patres, & istis, pro sua benignitate, sint contenti Protestantes, qui si sapientiam omnium antiquorum verè rectèque exquirerent, procul dubio Luthero, & Caluino iam diù vale dixissent.

45 Prob. 4. Ratione desumpta ex Ruffino inuectiua 2. cont. Hieronymum. Vnanimis & omnino eadem Translatio Scripturæ Sacræ, facta à Septuaginta Interpretibus, seorsim singuli singulis cellulis inclusi, absque eo quòd vnus posset cum altero communicare, non potest nisi ex Dei inspiratione prodire; adeoque, maiorem sibi auctoritatem vendicare, quàm translatio ab vno priuato homine facta: Atqui, in translatione, & editione horum Septuaginta Interpretum, ista capita Danielis, de quibus est dissidium, inter nos & Protestantes, reperiuntur: ergo nullus remanet ambigendi locus, quòd diuina sint & Canonica.

46 Prob. 5. ex principijs, & Confessione Protestãtium. Antonius Faius Minister Geneuanus in suo Enchiridio disp. 21. concluf. 36. obducto supercilio, ac Ministrali auctoritate, sic decernit. *Standum est (*ait*) Apostolorum testimonio, & Apostolicis discipulis, quos Deus superstites, & longæuos hic esse voluit, vt de doctrina à suis Præceptoribus accepta, testimonium redderent. Ioannes enim vsque ad Traiani tempora vixisse dicitur. Ioannis discipulus Ignatius, Ignatij Polycarpus, Polycarpi Irenæus longaui fuerunt, & quod ab Apostolis didicerunt, verum, Apostolicum esse asseruerunt: Spuria omnia à genuinis, & natiuis Apostolicis discernentes, illis itaque credendum, vt testibus tantum, non vt auctoribus, qui referant ea, quæ viderũt, & audierunt. Benedictus Deus.* Igitur Clemẽs primus, Dyonisius Areopag. & alij eiusdem æui Doctores, & Pontifices, vera semper predicant ac scribunt; sed hi omnes, has partes cõtrouersas, vt Canonicas recipiunt, sicut vidimus;

Digitized by Google

ergò, de his partibus, perorata causa est, quòd sint Canonicæ.

47 *At* Ignatium, & Irenæum audire cupit Faius disp. 24. Et hoc præstabimus, eo pacto æquissimo, vt Caluino vale dicat. Et ò vtinam cum suis cõmilitonibus in hac permaneret regula Faius! expetit Ignatium Ignatij testimonium proferimus: is Epistola ad Magnesianos, inquit: *Non enim annosi, continuò sapientes sunt, nec senes intelligentiam possident: sed Spiritus qui in hominibus est. Daniel ille sapiens, cum duodecim esset annorum, Spiritu Dei afflatus erat, & senes frustrà canos ferentes, calumniatores alienæ formæ appetentes esse coarguit.* Et ibidem post multa ex cap. 3. testimonium sumit, ac Danielem, Prophetam appellat, dicendo: *Qui ante secula genitus fuit apud Patrem Deus Verbum, vnigenitus filius, & in consummatione seculorum idem permanet, Regni enim eius non erit finis inquit Daniel Propheta*: cap. 3. *A* Spiritu Sancto ergò afflatum fuisse Danielem, ait; eumq; Prophetam appellat Ignatius, in enarratione historiæ de Susanna cap. 13., & in testimonio desumpto ex cap. 3.

48 Præterea, expetit Faius ibid. Irenæum, Irenæum accipiat, in nostrę veritatis testimonium; Hic enim lib. 4. cap. 44., inquit: *Et audient eas, quæ sunt à Daniele voces. Semen Chanaam, & non Iuda, species seduxit te, Dani. 13. &c.* Et lib. 4. cap. 11. *Quis enim (ait) est viuorum Deus, nisi qui est super omnia Deus? &c. Quem Daniel Propheta, cum dixisset ei Cyrus Rex Persarum. Quare non adoras Bel? Annunciauit dicens. Quoniam non colo Idola manufacta, Dan. cap. 14. vers. 3.* Deprehensus ergò est Faius, & ex suis principijs profligatus. Nobis ergò dexteram porrigat.

Caluinus

49 Caluinus, ex Daniele cap. 7. vers. 15. tamquam ex libro Diuino testimonium sumit, vt contrà Catholicos *Antichristum* describat lib. 4. Instit. cap. 7. §. 25. dùm ait: *Alibi quoque Spiritus describens eius imaginem in Antiochi persona, ostendit Regnum eius in magniloquentia, & Dei blasphemijs &c.*

Aduersarij exemplaria.

50 Protestantes ipsi, Historiam Susannæ in cap. 1. Danielis, inter Canonicas collocant, vt patet in exemplari Bibli. anno 1601. ab ipsis Protestantibus edito, collecto ex manuscriptis antiquissimis, repertis in eorum Bibliothecis Basileensi, Palatinatus, & Cantabrigensi; quod prælo tradiderunt in officina Commiliana.

Musculus in sua versione

51 Præterea Musculus librum Synopsis *Athanasij*, ex Græco in latinum traducens, ita scribit: *Liber vigesimus secundus Daniel. Et ipse captiuus fuit vsque ad Cyrum Persarum Regem, causam Susannæ ipse indicauit, & seniores tamquam Sycophantas condemnauit, deindè somnia Regis patefecit, & interpretatus est, visiones quoque consummationis vidit &c.* Quæ cum ita approbentur ab Aduersarijs, & intentum confirmamus, & Faium disp. 23. Enchirid. concl. 6. asserentem Susannæ historiam post Astiagis mortem accidisse, manifesti erroris reum declaramus. Pro nobis etiam faciunt, quæ in prob. 1. verit. Diximus ex Caluino.

Faius reijcitur.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

52 ARguunt 1. cont. hist. Susannæ. In hac historia Daniel puer describitur. *Suscitauit (ait) Dominus, Spiritum Sanctum pueri iunioris.* At, hoc est falsum; nam, inibi cap. 6. dicitur, quod Daniel fuit vnus ex Satrapis Regni Darij Regis Medorum, quo tempore, non potuit esse puer, vt describitur cap. 13., immò tempore Nabuchodonosor, quo tempore Ezechiel prophetauit, Daniel iam erat mortuus, vt colligitur ex verbis Ezechielis cap. 1. dicentis,

Digitized by Google

centis, *Si fuerint tres viri isti &c. Noe, Daniel, & Iob in medio eius, viuo ego dicit Dominus, quia filium, & filiam non liberabunt.* Ergò Daniel erat iam mortuus, sicut Noe, & Iob.

53 Respondetur, quod quando dicitur Danielem inter Satrapas Regni fuisse annumeratum, intelligendum est de Daniele sene annoso, nõ de Daniele puero, vt is erat tempore liberationis Susannæ. Nec habet veri speciem, quòd puer inberbis inter Regni proceres, ac Regis Aulicos, & Cõsiliarios accenseretur. Ptius enim virtus eius, erat longa experientia comprobanda, quam quod Regni Magnatibus adiungeretur: quod & præstitit, priùs Susannam liberando, Sacerdotum fraudem detegendo, ac Regis somnia interpretando. Scriptura enim multoties anticipatè describit, quæ postmodum gesta sunt. Vndè mirũ non est, si in latinis exẽplaribus cap. 6., præcedat 13.; in græcis verò Codicibus, vbi ordo rerum gestarũ seruatur; prophetia Danielis incipit à Susannæ historia, vbi pueritia describitur Danielis, vt patet in 70. & Athanasio in Synopsi, & etiam secundùm versionem Aduersariorum, vt in vltima probat. 2. verit. vidimus.

54 Si autem dicere velimus, Danielem in puerili ætate, inter Regni primates fuisse adscitum, non erit improbabile; Etenim ætatis maturitas, non annorum numero, sed solertia, & maturo iudicio in rebus arduis definiendis, comprobatur. Meruit igitur adhùc puer, inter Regni primates cooptari, ex solerti iudicio, in Susannæ liberatione.

55 Ad illud quod additur ex Ezechiele; respondemus iuxtà nuper dicta, loquutionem illam Ezechielis, Danielem inter viros illustres (vt erant Iob, & Noe) annumerantis, non esse extrà propositum: etenim ætas, solerti iudicio, non annositate metitur. Quando verò inter coniugatos habentes filium, & filiam, annumeratur Daniel ab Ezechiele; illud ex hypotesi intelligendum est; vt Sistus Senensis, & Bellarminus explicant) talitèr, vt sensus sit, etiam si Iob, Noe, & Daniel filios haberent ac filias, haud liberabunt ab imminenti supplicio.

56 Vel dicimus, Scripturam ibi loqui, singula singulis congruè referendo, ac respectiuè, itaùt non sit necesse de omnibus illis tribus, sed satis esse de duobus tantùm verificari, scilicet Iob, & Noe.

57 Arguunt 2. Faius disp. 23. concl. 6. & alij, quando Daniel Susannam ab impostura liberauit, non potuit esse Puer, vt asseritur, tunc enim erat 80. annorum, nam hoc factum contigit initio Regni Cyri Persarum Regis, vt colligitur ex cap. 13., vbi post historiæ prædictæ narrationem, sic concluditur: *Et Rex Astyages appositus est ad Patres suos, & accepit Cyrus Perses Regnum eius.* At qui certum est, Danielem, cum Rege Ieconia fuisse captiuum in Babilonia. Tunc sic. A tempore Babilonicæ captiuitatis vsque ad Cyri Imperium, septuaginta anni defluxerunt, vt dicitur Esdræ 1. cap. 1., igitur, computata eius ætate, initio Regni Cyri, Daniel annum 80. vel 90. attingerat. Ergò non erat puer.

58 Respondetur, quòd illud in fine Capitis 13., *Et Astyages appositus est ad Patres suos, & accepit Cyrus Perses Regnum eius*, non pertinet ad historiam Susannæ superiùs commemoratam, quo tempore Daniel puer erat; sed est initium, seù titulus Cronologus, ad historiam Belis, & Draconis immediatè sequentem, quæ contigit sub Cyro, quando iam Daniel erat senex. Ita autumant Hugo Cardin. & Sistus Senensis, à quibus Bellarminus hanc responsionem est mutuatus. Hoc totum comprobatur ex eo, quòd in Græcis codicibus Susannæ historia, est primum caput

Digitized by Google

torius libri. Illa verò verba, *Et Astyages appositus est ad Patres suos &c.* Ponuntur in principio vltimi capitis, vbi narratur historia Belis destructi, & Draconis interfecti. Videantur correptissima Græca Carafæ, quæ ab his verbis ordiuntur cap. 14. Imò & ipsi Protestantes prælo mandarunt (vt sup. vidimus) anno 1601. in Officina Commiliana Biblia, ex manuscripto Bibliothecæ Basileensis Palat. Cantabrig. conformiter ad Græca exemplaria. Idque ipse loquendi modus ostendit, qui ex abrupto inseritur, nullam habens cum præcedentibus connexionem.

59 *Arguunt.* 3. Additur in hac historia nouum genus prophetandi, cùm de Susanna, dicitur: *Cumque duceretur ad mortem, suscitauit Dominus Spiritum Sanctum pueri iunioris, cui nomen Daniel &c.*; qui quidem modus non est admittendus, cùm tribus tantum Prophetiæ generibus, sit Prophetatum antiquitùs, scilicet, somnio, visione, & *Angelica* specie; falsò ergò quartum superadditur genus, nempè ex Diuino afflatu, & inspiratione.

60 *Respondetur*; quòd hoc argumentum, ex Iulio *Africano* sunt mutuati Protestantes. Dicimus tamen, ex Origene, negando, in scripturis non dari illud quartum genus prophetandi, scil. ex Afflatu diuino. Etenim Iacob, Somnio prophetauit, cũ vidit scalam; Visione, dum adhuc vigilans hominem vidit, cum quo luctabatur, vsque ad auroram; Instinctu & afflatu prophetico, cùm benedicens filijs, dixit: *Congregamini vt annunciem quæ euentura sunt vobis in nouissimis.*

61 Arguunt 4. Ea quæ narrantur cap. 14, pugnant cum ijs, quæ cap. 6. dicuntur. hic enim asseritur Danielẽ vna tantùm nocte fuisse in leonum lacu, ibi sex diebus.

62 *Respondetur* ex Athanasio in *Synopsi* lib. 22, quod bis Daniel fuit in lacum leonum immissus, primò sub Dario, Babylone; secundò sub Cyro. *Athanasio* subscribit *Ambrosius* in psal. 118. dicendo: *Daniel Propheta secundò in lacum missus leonum &c.* Igitur Daniel cap. 6. à Dario ob edicti Regij contemptum, intra dies triginta prohibitos, Deum adorans, vna tantùm nocte fuit in lacu leonum detentus, indeque postero die liberatus est. Cap. vero. 14; ob destructum Belem, & interfectũ Draconem, à Cyro Rege (qui cum Dario duobus annis, & post ipsum viginti duos regnauit) in eodem lacu iniectus est. Nihil ergo concludit *Argumentum.*

63 *Arguunt* 5. Incredibile videtur, *Abacuch* in sublime elatum vnà cum parato prandio, ex Iudæa, in Caldæam statim conuolasse; Idque tùm ex locorum distantia, tùm ex corporis grauitate, quæ deorsum tẽdit, colligi potest.

64 Respondetur inquirendo ab *Aduersarijs*, quo iure denegant *Angelo* lucis facultatem, ac potestatem hanc supra corporalem naturam, quantum ad motum localem, quam tenebrarum Angelo tribuunt? Nonnè ipsi concedunt, *Dæmoni* facultatem fuisse collatam in momento temporis asportandi Christum *Dominum* è deserto in montem, & in Templi pinnaculum? *Dicent.* Ita. *A* fortiori igitur, debet & hoc *Angelo* bono concedi, cùm hic, præter natiuam virtutem *Angelicam*, nouam, & superadditã virtutem habuit Creatoris. *Hinc D. Ambros.* enarrat. 1. in Genes. ad *Horatianum*, dixit: *Accipe etiam, quod supra hominis substantiam Moyses in ima ambulauit mari; In summo Apostoli, Abacuch sine pennis volauit* &c. Quod autem illud corpus ex Cincinno sit detentum ne caderet, nec capilli auellerẽtur, hoc virtuti Creatoris tribuendum est.

65 *Arguunt.* 6. cont. omnes tres has partes, seu cap. *Daniclis.* Iosephus

Seueriſſimus geſtorum hominum egregiorum ſcriptor, nihil meminit eorum de quibus ad præſens eſt cõtrouerſia. Item, de ijsdem capitibus Patres dubitarũt, etenim Iulius africanus apud Euſebium lib. 3. hiſtor. cap. 30. ſcribens ad Origenem de Suſannæ hiſtoria, dixit; *Miror autem quemadmodum te latuerit hanc libri partem eſſe adulterinam; nam hæc pars eſt alioqui ſcriptum elegans, & lepidum; ſed eſſe nouum, & confictum oſtenditur, & multis modis conuincitur.* Et S. Hieronym. præfat in Danielem dicit: *Liber Danielis apud Hebræos, nec Suſannæ habet hiſtoriam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis, Draconiſque fabulas*, ergo tria hæc capita Danielis, non ſunt diuinitus inſpirata.

66 Reſpondetur quod eſtò Ioſephus, horum capitulorum non meminerit, nõ tamen ea reijcit. Expreſsè enim fatetur, ſe multa prætermiſiſſe eorum, quæ in Hebræorum annalibus erant deſcripta, inter quæ erat Suſannæ hiſtoria; ſicut nec meminit libri Iob, qui tamen à Proteſtantibus, inter canonicos recenſetur. Et tria illa capita non recenſuit ex eo, quia gentis ſuæ texens encomia, noluit enarrare ea (vt erat factũ Suſannæ) quæ Præsbyterorum, & Iudicum continebant vituperium; Antiquiores Iudæos in hoc imitatus, qui, vt dicit Orig. epiſt. ad Iuliũ Africanum, hanc hiſtoriam è Sacro textu truncarunt, *non eſt mirum* (ait ipſe) *ſi veram hiſtoriam Suſannæ, cui parauerunt inſidias impudici ſeniores, ij, qui non longe aberant ab inſtituto Præsbyterorum illorum ſuffurati ſunt, & ſubtraxerunt ex Scripturis.* Extabant ergo in textu hebræo hæc tria capita ex Origene. Hinc etiã euincimus, quòd eſtò Iulius *Africanus*, oppoſitum ſenſerit, Origenes tamen eum ad oppoſitum ſentiendum robuſtiſſimis rationibus conuicit. Præterquam quod, non aſſertiuè ſed tantùm inquirendo tanquam de re dubia ad Origenem ſcripſit Iulius.

67 *Ad* auctoritatem *Hieronymi* dicimus, quod tùm ipſe, tùm alij Patres ab ipſo adducti, intelligunt, has partes non eſſe in canone Hebræorum, non item in noſtro, vt ex verbis eiuſdem Hieronymi lib. 2. aduerſus Ruffinum cap. 9. perſpectum eſſe poterit, dicit enim ibi: *Me non negaſſe eum Prephetam* (.s. Danielem) *Quem ſtatim in fronte prologi Prophetam eſſe confeſſus ſum: ſed quid Hebræi dicerent, & quibus argumentis ſuam niterentur probare ſententiam voluiſſe monſtrare.* Poſtremò, ſi in illis tribus Capitulis enarrata, fabulas dicat Hieronymus, non per hoc ea quæ inibi narrantur ſunt ficta, ſed verè vera; Etenim non ſolùm quæ fictas, ſed ea quæ veras cõtinent narrationes, fabulæ dicũtur, vt patet de illis duobus diſcipulis de quibus dicitur Lucæ 1. *Dum fabularẽtur, & ſecum quærerent.* Hinc Clemens *Alexandrinus* apud Euſebium lib. 3. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 23. narrans quoddam Ioannis Euangeliſtæ factum, dixit: *Audito fabulam, non fabulam*, ideſt, factum verum, & non fabuloſum, ſeù fictum.

LECTIO IX.

De ſeptem poſtremis Capitibus libri Eſter, è Sacro Canone à Proteſtantibus detruncatis.

1 PRoteſtantes vniuerſi, ex ſuo quiſque orbis angulo, ſe Verbum Dei Scriptũ poſſidere, vociferatur. *Atqui*, cùm vnum ſit Verbum, ſimplex, & indiuiduum. vtpotè veritas; quo iure ab omnibus poſſideri poterit, cùm ſint inter ſe diuiſi, in recipiendis eiuſdem Verbi partibus, & ſententijs? *In* hac vltima de libris Canonicis veteris teſtamenti lectione, ſeptem poſteriora Eſtheris Capita à Proteſtantibus detruncata

Digitized by Google

cata reperio. Quo iure. Nescio. Videamus.

Mendacium Protestantium.

2 LVtherus totius verè Religionis iuuersor, in colloqui. Conuiualibus cap. de Sacra Scriptura, loquens cap.60.fol.380. de duobus lib.Machabæorum,& Esther,dixit: *Ego isti libro, & libro Esther adeò infensus sum; vt optarem neutrum eorum extare*. Sequitur eum Brentius. qui in *A*polog.Confess.Vuittembergensis,posteriora septem huius libri capita, inter Apochrypha collocat. Lutheranis manus prębent Caluinistęs Vuhitakerus disp.de Sac.Scriptura, Iunius, Antonius Faius in suo Enchirid. disp.23.vbi eadem Estheris Capita,multis argumentis oppugnat; & alij.

VERITAS CATHOLICA.

Septem posteriora Estheris Capita, verè Canonica sunt, & Diuina.

3 PRobatur generalibus Protestantium Principijs inhęrendo. ex totius Antiquitatis vnanimi consensu. Primo auctoritate Summorum Pontificum. Alexander 1. cap. 13. Esther, tanquam Diuinum testimonium citat epist. 1. dùm ait: *Si Trinitas non est, cur Mardochæus orando: Domine Deus Omnipotens omnia in tua sunt potestate, dixit? Si Vnitas non est, quare in tua posuit, & non in vestra signauit?* Innocentius 1. epist. ad Exuperi. Tolos. cap.7. Librum Esther, quo ad omnes eius partes, inter Canonicos historiales enumerat, per hæc verba: *Qui verò libri recipiantur in Canone, sequens annexus ostendit. Genesis Exodus &c. Item historiarum, Iob liber vnus Tobiæ vnus, Esther vnus* &c. Gelasius in Concil. Romano 70. Episcoporum idem præstat, vnà cum alijs post ipsum.

4 Probatur 2. auctoritate Sacrorum Concil.Concilium Laodicenum celebratum anno *D*omini 320. sub Sylvestro, vel vt alij volunt, sub Liberio Summo Pontifice, cap. 59. librum Esther quo ad omnes sui partes, inter Canonicos recenset. Idem decreuit Concilium Carthaginense 3.cap. 47. vt vidimus in præcedentibus, idque fideli successione concilia posteriora, scilicet Florentinũ, & Tridentinum acceperunt, ac sub anathemate ab omnibus fidelibus suscipi mandarunt.

5 *D*icit Vuhitakerus. Concilium Carthaginense,fuit Prouinciale,paucorum tantum Episcoporum; non ergò decreto illius parendum.

6 Sed cõtra est;Nam,iuxta supputationẽ Balsamonis,in prędicto Charthaginensi Cõcilio,ducenti septemdecim *E*pi scopi cõuenerũt;qui si pauci videntur Vuhitakero; quid dicet de Conuenticulis, & pseudoconcilijs suorum Conteligionistarum, vbi nunquam trigesimus Ministrorum numerus exceditur? Nulla illis profecto Fides erit adhibenda.Et tamen Protestantes, eorum Acta, in veræ Fidei, ac Religionis iacturam, mandant seruari,atque ita imperitas plebeorum animas fascinant, & decipiunt. Dato tamen, & non concesso quod pauci fuerint Episcopi, qui in Carthaginensi Concilio cõuenerunt; multis tamen (Caluino teste lib. 3. Inst. cap.3 §.10) præponderat Augustinus,qui inibi consedit vnà cum alijs coniudicans, quando extra Concilium,tanta est sola eius auctoritas, vt nullus nisi disperate pertinax, ei audeat refragari. Videatur Caluinus loco citato.

7 Præterea Concilium hoc Carthaginense, vnà cum omnibus suis *A*ctis, & decretis, fuit ab vniuersali Ecclesia susceptum, & in Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio 3. approbatum; in quo, plusquã mille biscentum Episcopi conuenerunt

runt anno 1215. Quare, Dist. 20. Leo Papa 4. cap. de Libellis, inter Canones, quibus in Ecclesiasticis iudicijs vtimur, Concilij Carthaginensis decreta numerantur.

8 Prob. 3. Auctoritate Veterum. Origines epist. ad Iulium Africanum his cõtrouersis Esteris partibus, præclarum testimonium defert, his verbis: *In multis quoque alijs Sanctis libris inuenimus, alicubi plus esse apud nos, quàm apud Hebræos, alicubi autem minùs. Exempli causa, vt in libro Ester neque Mardochæi, neque Ester preces, quæ legentes possunt ædificare, habentur apud Hebræos; sed neque Epistolæ, neque quæ ab Aman scripta est, de euersione gentis Iudæorum, neque Mardochæi ex nomine Regis Artaxerxis gentẽ à morte liberans. Apud 70. autem, & apud Theodotionem ea sunt.* Et infra: *Vide ergo ne imprudentes, & inscientes abrogemus, quæ habentur passim in Ecclesia, & legem statuamus fraternitati, vt deponant quidem sacros qui apud eos feruntur libros, assentiantur autem Hebræis.* Videatur idẽ in psal. 1. ad cap. 12. epist. ad Roman; & lib. 3. de Principijs cap. 2.

9 S. Hieronymus epist. 8. ad Demetriadem de seruanda virginitate, in rem nostram, ait: *Estuabat Christi tyruncula, ederat ornatum suum, & cũ Ester loquebatur ad Dominum: Tu nosti, quòd oderim insigne capitis mei, hoc est, Diadema, quo vtebatur Regina, & tanta ducum immunditia velut pannũ menstruatæ, &c.*

10 S. Paulinus Nolanus natali. 8. pangit.

Et maledictus Aman, Sancta prece perditus Hesther,
Qui bene pœnarum versa vice, quæ malè Sanctis
Miscuerat, solus bibit impius, & cruce iusta,
Quam populo Domini præfixerat, ipse pependit.

11 His Patribus, ex Græcis subscribũt Eusebius Cesariẽsis in Chronicis Oliampide 94; Athanasius exhortatione ad Monachos, Cyrillus Hierosolym. Cateche. 4. de libris veteris testamenti, Epiphan. lib. de ponderibus, & mensuris, Chrysostomus homil. 3. ad popul. Antioch; Cassianus Collat. 1. cap. 19. Damascenus lib. 4. Orthodoxe fidei cap. 16. Ex Latinis Hilarius præfat. in psal. 1; Pacianus ad Sympronianum epist. 2. Ambrosius ad psal. 36; Ruffinus in Symbol. Apostol; Augustinus lib. 2. de doctr. Christia. cap. 8. & epist. 199. quę est ad Ediciam, & lib. de grat. & lib. Arbitr. cap. 21. & alij.

12 Nec subsistit aduersariorum calumnia, si dicant non valere argumentum à non distributo, ad distributum, scilicet Patres librum Esther inter Canonicos annumerarunt, ergo omnes eius partes, dissimili idiomate scriptæ, sunt Canonicæ. Nam, Patres predicti, in specie, ex his capitibus controuersis, testimonia sumunt ad confirmanda fidei dogmata: quare, D. Augustinus cont. Pelagium lib. de grat. & libero arbitrio cap. 21. probat efficaciam diuinæ gratiæ ex cap. 16. Esther, *& conuertit Deus, & transtulit indignationem eius (*scil. Assueri*) in lenitatem.* Idem fecit *D.* Prosper de Promission. & predictionibus part. 2. cap. 38; Petrus Damianus, probat Diuinã Omnipotentiam ex illo, *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit resistere voluntati tuæ;* Ester cap. 23. Cæteri, Cætera fidei dogmata, ex locis hactenus controuersis, tamquam Sacris, & Diuinis probant. Et per hæc patet responsio ad alium Hunnij Lutherani Cauillum; quandoquidem, non ex sola, & simplici citatione à patribus facta, colligimus, hæc Estheris capita esse diuina; sed quia, ex suppositione quòd sint diuina, assumantur à Patribus ad probandum fidei dogmata.

13 Prob.

Digitized by Google

13 Prob:4. ex praxi Ecclesiæ vniuersalis, quæ feria 4. post 2. Domini. Quadragesimæ in Missa recitat lectionem desumptam ex cap. 13. Esther. Ex eodem capite accipitur lectio in Missa contra Paganos. Et in Offertorio Missæ 22. post Pentecosten recitatur ex capite 14. Estheris Oratio; vnde Rupertus Abbas lib. 18. de Victoria Verbi Dei cap. 12. dixit, *Sacer Ecclesiæ Chorus per singulos annos statutis diebus declamat ante Dominum in persona iustorum. Euerte cor eius in odium repugnantium nobis &c.* Esther cap. 14. Ergo stante decreto Concil. Laodiceni, & Carthag. hæc capita sunt diuina.

14 Prob. 5. ex specialibus principijs, & confessionibus Protestantium. Vetus est Protestantium cantilena, hi libri non sunt Hebraicè cõscripti ergo non sunt Canonici, sic sæpe Vuitakerus, Iunius, Faius, & alij Nouatores, cantillant. Tunc sic ex eorum principijs, specialitèr contra Lutherum: Sed librum Esther Hebræi habent in Canone, ergo victus est Lutherus qui librum Esther gentilitiam superstitionem, ac Iudaismum sapere dicebat, eumque non extare optabat. Maior patet ex sepæ repetitis argumentis nouatorum. Conseq: benè deducitur. Minor est ex ipsissimis Lutheri verbis deprompta lib. suo attitulato, de seruo arbitrio cont. Erasmum, vbi sic dicit: *Esther librum Iudæi habent in Canone digniorẽ omnibus &c.* Præterea, Drusius Caluinianus in cap. 3. Esther fol. 93. sic inquit: *Nescio quam rectè fiat ab hominibus eruditis, qui additionibus Esther falsi crimen imponunt ex loco tã dubio, & controuerso.* (Loquitur de illo perdifficili loco, quomodo Amã fuerit Macedo) sentit ergo iste Protestans, quod non rectè faciunt sui conreligionistæ, qui crimen falsi imponunt additionibus, seu his capitibus Esther. Lutherus etiam in præfatio suæ versionis, palinodiam canit, librum hunc, vt canonicum suscipiendo, sed sine fructu, cùm in eadem hæreat salebra, partes has controuersas reijciendo.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

15 ARguunt 1. Antonius Faius disp. 23. concluſ. 2. quòd argumẽtum ex Vuitakero hausit, desumptũ ex auctoritate Hieronymi. *Esthere (ait) fragmentum à cap. 10. ad finem vsque, quo sit habendum numero, optimè docet Hieronymus in libro Esther Quæ sequuntur (inquit) scripta reperi in editione vulgata, quæ græcorũ lingua, & literis continetur, & interim post finem libri istius hoc capitulum ferebatur, quod iuxtà nostram consuetudinem obelo prænotauimus, ideſt, interprete Dionysio Carthusiano, ad inueniẽdum quòd ista sequentia non sunt authentica, seu canonica: sed transfodiuntur, hoc est, ab Hebræis non recipiuntur, imò tanquam superflua abscinduntur à Canone Scripturarum.* Hæc Faius ex Vuitakero.

16 Respondetur, quòd Faius, Hieronymum à longe salutauit; quem si legisset in epist. ad Augustinum quæ extat tom. 2. operum Augustini epist. 11. perspexisset profectò, quid apud Hieronymum significet, notare obelo: ibi enim ista scribit: *Quod autem in alijs quæris Epistolis, cur mea priùs in libris Canonicis interpretatio asteriscos habeat, & virgulas prænotatas: & postea aliam translationem absque his signis ediderim: pace tua dixerim, videris mihi non intelligere quod quæsisti: illa enim interpretatio 70. interpretum est, & vbicumque virgula, ideſt, obeli sunt, significatur, quòd 70. plus dixerint, quàm habetur in Hebræo: vbi autem asteriſci, ideſt, stellæ prælucentes, ex Theodotionis editione ab Origene additum est, & ibi Græca trãstulimus; & hic de ipso Hebraico quod intelligebamus expressimus.* Mentitur ergo

ergo Faius dùm dicit, obelum apud Hieronymum significare, & denotare Scripturam non authenticam, neque Canonicam; quia, vt ex eodē Hieron. visum est, tantùm significat, vel Græcum textum, vel additionē in textu Hebræo, Canonici ambo.

17 Arguit secūdò Faius Concl. 3. Has Esthēris partes non esse Canonicas, patet, *ex rerum narratione perturbata, & frustra iterata.*

18 Respondetur; in Scripturis nihil perturbatum, aut fruſtra iteratum esse, dum eadem veritas, vt dilucidiùs, & meliùs explicetur, iterum repetitur: *M*ulta apud nos Euangelistæ repetunt, atque eandem historiam pluries referunt, quę narrationem haud perturbant, neque frustra iterantur. Excidunt multoties exemplaria, & iterum reperiuntur, & eo ordine, licèt præpostero, quo reperiūtur, edūtur: & hęc qualis qualis varietas, Scripturarum Sacrarum reuerentiam indicat, vt melius eadem repetere iudicetur, quàm quòd ex ijs aliquid pereat. Si verò in hoc libro aliquarum rerum transpositió delicatas Protestantium aures offendit, cur non ad Græcam versionem se ipsos transferunt; vbi omnia suis locis optimè collocata reperiuntur, quæ nostra vulgata editio, non leuibus de causis, seorsim in totius libri finem reijcere maluit? In Græca namq; editione caput vndecimum, & duodecimum, in libri initio collocantur: caput quartumdecimum, quintumdecimum, & sextumdecimum in medium librum inseruntur: caput verò decimum in fine voluminis locatur.

19 *A*rguit 3. Vuhitakerus. Cap. 12. versu 6. Aman Mardochæo iratus esse dicitur propter Eunuchos, quos Mardochæus accusauit, quosq; læsæ Maiestatis reos, & Mardochæi iudicio damnatos, Rex pœna capitali affecit. Sed incredibile est, Amanum tantis honoribus, ac dignitate à Rege affectum, Eunuchorum proditioni fauisse, & in historia nihil tale reperitur, sed longè alia huius offensionis, & iræ causa narratur cap. 3. ergò in his capitibus vera non narrantur. Igitur non sunt Canonici.

20 Respondetur, ex hoc argumento euidentissimè colligi Vuhitakeri inscitiam, qui impossibile estimat, id quod in dies fieri oculis proprijs cernimus, ac vel manibus attrectamus. Familiaris est *A*ulicis, vt in Prophanis etiam historijs legimus, contrà Reges, & Principes ingratitudo. Et vt ait Quintus Curtius 4. de gestis Alexandri: *Homines cum se permiscuere fortunæ, etiam naturam deſtituunt*, Ambitione, gloria, vel auaritia stimulante, ex qua, teste *D. A*mbrosio in *A*pol. *D*auid cap. 4. *Septem nequitiæ procreantur, scilicet, proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietudo, violentia, & contra misericordiam induratio*, omnia hæc, in Aman Regis *A*ulico à secretis, concurrerunt, vt ex cap. 6. huius libri perspectum est; & licet *A*man, ob sibi non delatam reuerentiam, & obsequium cap. 3. Machabæo iratum, legamus; hoc tamen, haud pugnare dicimus cum his quæ capite 12. narrantur, vtrumq: Amani iram accendit contrà Mardochæum, & cultus *A*mano non exhibitus, & Eunuchorum accusatio.

21 Arguit 4. Vuhitakerus. *A*lia in hoc libro reperitur contradictio, nam cap. 1. 5. & 7. iste auctor ait. *Quando Esther in Regis conspectum venit, sic illam Regem iracundè intuitum esse, vt ea metu concideret.* Contra cap. 3. v. 2. gratissima omninò Regi venisse dicitur.

22 Respondetur. Quòd ob insolitum Reginæ accessum, potuit indignari *A*ssuerus, vt refertur cap. 12., sed postmodum Assueri cor, fuit diuina virtute in lenitatem conuersus, & sic sereno vultu, ac placidissi-

Digitized by Google

mis oculis Reginam intuitus est, vt scribitur cap. 3., Quare *D. Augustin.* lib. 1. cont. duas epist. Pelagian. cap. 20. inquit, quòd Deus, *occultissima. & efficacissima potestate conuertit, & transtulit (*scilicet cor Assueri*) ab indignatione ad lenitatem, hoc est de voluntate lædendi, ad voluntatem fauendi, qui secundùm illud Apostoli, Deus enim est, qui operatur in vobis velle, & perficere &c*, Et ab eo tempore, Vuhitakero respondens Sanctus Pater *Augustinus*, subdit: *Nunquid homines Dei qui hæc scripserunt, imò ipse Spiritus Dei (*à Spiritu Sancto hæc sunt dictata, per homines Dei scripta*) quo auctore per ipsum scripta sunt, oppugnauit liberum hominis arbitrium?* Atque hoc sufficiat pro responsione ad Vuhitakeri nænias.

23 *Arguunt* communitèr 5. Hæc Estheris fragmenta, non sunt Hebraicè scripta. Ergò non sunt Canonica.

24 Respondetur. Quod hæc vetus Hæreticorum susurratio, in præcedentibus lectionibus est reiecta. Neque enim Ecclesia à Indæis Sacrorum voluminum auctoritatem, sed tantùm veritatem venatur; nec quid de ijs, Synagoga senserit; sed quid Synagoga tradiderit, curat. Nobis sufficit, quòd Hieronymus capita illa, in Græca vetustissima editione inuenerit, quæ sanè editio, aliundè originem habere non potuit, quàm ab ipso Archetypo Hebræo. Atque, id ipsum, præclarè confirmat, quòd Iosephus lib. 11. antiquitatum cap. 6., Assueri epistolas citat; cùm is, lib. 10. cap. 12. eum tantùm laborem se præstiturum pollicetur, quòd Hebraicos libros in Græcum sit versurus: neque is aliquid addere, aut ex his detrahere velle promittit, vt supra prob. 3. Vndè validum profectò argumentum contrà *Aduersarios* colligimus, hæc capita olim in Hebræis codicibus fuisse; Eo, vel maximè quòd Illustrissimus P. Frat. Angelus Rocca Episcopus Tagastensis, & Sacrarij Summi Pontificis Præfectus in Commentar. de Bibliotheca Vaticana, testatur, hodie, apud suos PP. *Augustinianos Bononiæ*, extare inuolutum Archetypum Esther, Hebraico sermone descriptum, cum omnibus capitibus controuersis.

25 *Arguit* 6. Vuhitakerus, & alij. Sixtus Senensis Papista, idem prorsus de postremis capitibus Estheris iudicauit, quòd scilicet sint suppositicia, & lacinioſa etiam post Concilium Tridentinum, quod solùm de veris partibus (ait) non autem lacinioſis, & suppositicijs decreuit.

26 Respondetur, quod stante determinatione Concilij statuentis, integros libros, *cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt*, recipiendos esse, nullo modo potest Sixti sententia sustineri, maximè cum hæc capita controuersa in Ecclesia legantur, vt vidimus; Imò si valeret Sixti distinctio de partibus veris, & lacinioſis, daretur occasio multis alijs Partibus Sacrorum librorum eludendi, exempli gratia, historiæ Adulteræ, sudore Christi sanguineo &c., posset enim quis dicere, has partes non esse Canonicas, & Concilium definiuisse de veris, non de suppositicijs partibus recipiendis. Errauit ergò Sixtus in docendo. At deberent Protestantes Sixtum imitari filium obedientię Synodo Tridentino humilitèr obsequentem, non in lapsu humano, aliter quàm res se habet ab intelligentia Synodi eundem nõ pertinacitèr, sed ignorantèr recedentem, fugillare: vbi enim in lapsu Sixtus hominem se ostendit, sic in obsequio verè filium pacis, & vnitatis se declarauit Tridentinæ Synodi decreta inconcussè recipiendo.

27 Hæc, vel nulla certè sufficient, de libris Canonicis Veteris Testamenti.

IN-

Digitized by Google

INSTRVCTIO II.

De Supremo Scholæ Veritatis Orthodoxæ Magistro Deo, qui loquutus est nobis in Filio.

IDEST

DE VERBO DEI SCRIPTO NOVI TESTAMENTI.

HÆretici, Antichristi præcursores anteambulonesque, nedum Sacros Veteris testamenti libros è Sacro Scripturarum Albo reijciunt, vt hactenus vidimus; sed & Nouum testamentum pessum--dare contendunt: vt sic, omnia suo sensu metiendo, in deuia, abrupto Euangelij iugo, præcipites effrenesque, insanientium more, rapiantur; pro libidine, Sacros ritus, & cæremonias abolendo, iuge sacrificium è medio tollendo, Sanctissimos illibatosque mores subuertendo; & quòd valdè mirandum, dùm doctrinam à Christo Traditam, quæ Nouo continetur testamento, lacerare gestiunt, ipsum à Christianis, Christum, totis auferre neruis contendunt: Sicque, halitu venenum afflantes, Christi Ecclesiæ vastitatem inferre conantur, sed perperam; nam, vt hic dicemus, eam hæreticorum naturam esse deprehendimus; vt quæ ipsis in Scripturis non placent, statim, vel peruertant, vel abscindant; indèque se ipsos confundant. Sit ergo.

LECTIO I.

De libro Apocalipsis, è Sacro Canone à Protestantibus detruncato.

1 PAri impietatis gressu Noui ac Veteris Testamẽti libros, dilaniant Protestantes; vnde hi iniusti, & hallucinati censores, in huius secundæ Instructionis vestibulo B. Ioannis *Apostoli* Apocalypsim conuitijs lacerant, & de Sacrorum voluminum medio tollere portendunt. Audite quæso.

Mendacium Protestantium.

2 LVtherus totius impietatis magister importunus, præfatione in lib. Apocalyp. prioris edionis, sic de eodem libro, inquit: *Quæ ego in hoc libello desidero, non sunt vnius generis, vt nec Apostolicum, nec Propheticum esse putem.* Et ibidem postquã dixerat, hunc librũ esse sicut 4. librum Esdre, subdit. *Neque vllo modo deprehendere possum, quod à Spiritu Sãcto confectus sit*; quibus verbis, apertè, ipsum ex Sacris Scripturis eliminare contendit. Lutherum sequutus est Zuuinglius in opere articulorum art. 20. Quibus subscribunt Kemnitius in Exam, sess. 4. Concil. Trid. Brentius in Apolog. Confess. Vuittembergensis cap. de Sac. Scriptura; Ioannes Bodinus in Methodo histor. cap. 7; qui etiam de Caluino dicit, quòd is rogatus, quid dè Apocalypsis libro sentiret, respondit, *se penitus ignorare quid velit tam obscurus scriptor, & quòd quis, qualisque fuerit, non constet inter eruditos.* Hæc sunt mendacia Protestantium.

VERITAS CATHOLICA.

Liber Apocalypſis D.Ioannis, vere Canonicus eſt atque Diuinus.

3 PRobatur Generalibus Proteſtantium principijs inhærẽdo, ex totius Antiquitatis vnanimi conſenſu. Primo auctoritate Summorum Pontificum, qui ex hoc libro, tanquàm verè Canonico, deſumunt teſtimonia, Sixtus 3. lib. de Caſtitate, ex hoc libro tanquam verè Canonico, teſtimonium deſumit ex cap. 15. *Hi ſunt qui cum mulieribus nõ ſunt coinquinati.* Leo Magnus epiſt. 52 cap. 5. citat illud ex cap. 3. *Tene quod habes.* Zacharias epiſt. 11. deſumit illud teſtimonium ex cap. 9. *Qui vicit, faciam illum columnam in templo meo.* Preterquam quod, Innocentius primus epiſtola ſæpe cit. ad Exuperium Toloſanum, librum Apocalypſis inter Canonicos recenſet, dùm ait. *Item noui teſtameuti euangelia 4. &c. Apocalypſis Ioannis.* Gelaſius idem fatetur loc. ſupra. cit. Romani ergo Pontifices. hunc librũ vt verè Canonicum habent.

4 Prob. 2. Auctoritatibus Conciliorum. Concil. Carthaginenſe 3. can. 47. *Apocalypſim* inter Canonicas Scripturas recenſet. Cõcil. *Ancyranum* anno Domi. 314. in Galatia celebratum, & à Generali Nicena ſynodo approbatum, can. vltimo, ex hoc libro teſtimonium ſumit; & citatur ſub nomine Ioannis. In Concilio Nicæno 2. & in Concilio Romano ſub Gælaſio 1. inter Sacros, & Canonicos libros annumeratur.

5 Præterea, Concilium Toletanum 4. generale, celebratum anno 633. cui præfuit. S. Iſidorus, (citatur hoc Concilium poſt priora quinque ſæcula celebratum; nam, ibi priorum ſæculorum Pontificum, & Conciliorum auctoritates expenduntur) ca. 46, ſic dicit: *Apocalypſis librum multorum Conciliorũ auctoritate & Synodica Sanctorum Præſulum Romanorum decreta, Ioannis Euangeliſtæ eſſe præſcribunt; & inter diuinos libros recipiendum eſſe conſtituunt*; quin, & ibi ab hoc veritatis tramite deuiantes, excommunicationis ſententia ferit. Idque vniuerſa poſteriora Concilia, vſque ad Tridentinum celebrata, ſanxerunt.

6 Probatur 3. Auctoritate Veterùm Patrum. Vir Apoſtolicorum tẽporum, & martyr inuictus Dionyſius cap. 3. de Eccleſiaſt. hierarch; loquens de libro Apocalypſis, eum *Archanam, & myſticam dilecti diſcipuli viſionem* appellat: & in lib. de Diuinis nominibus cap. 2., ex eodem lib. cap. 1. teſtimonium ſumit. In eodem libro, *Ioannem prophetaſſe*, ſcribit Iuſtinus Apoſtolorum diſcipulus, & Martyr glorioſus in ſuo dialogo cum Triphone. *Nicolaitas, per hunc librum fuiſſe manifeſtatos qui nam eſſent*, ac eorum hereſim profligatam Irenæus agnouit lib. 1. cap. 27. Clemens Alexandrin. lib. 2. Pedagogi cap. 19; & lib. 6. Stromat. cap. 5. Origenes lib. 1. Periarchon, & homil. 1. in Exod., Didymus Alexandr. lib. 5. de vnica ſubſtantia Trinitatis, Ephrem Syrus de apparitionibus crucis in tempore Iudicij, Epiphanius hæres. contra Alogos, Ioannes Chryſoſtomus de natiuit. S. Ioannis Baptiſtæ, Nilus de oratione cap. 69; Procopius Gazeus in cap. 47. Iſaiæ, & alij Patres Græci, ex libro Apocalypſis, tanquã verè Canonico, & Diuino, teſtimonia protulerunt. Athanaſius in Synopſi, Nanzianzenus orat. 35. ad probandam Filij conſubſtantialitatem aduersus Arium, ex Apocalypſis auctoritate, tela ſumpſerunt. Cyrillus Alexandrinus lib. 6. de adoratione, & Spiritu, hunc librum Ioannis, *Patrum iudicio fuiſſe comprobatum affirmat.* Andreas Cretenſis in com-

Digitized by Google

commentario huius libri, de eiusdē auctoritate differens, ait, eum multos, *Gregorio Theologo, Cyrillo Alexandrino vetustiores, scilicet, Papiam, & Irenæum, Methodium, & Hippolitum diuinum, fideque dignum esse non uno loco tradidisse.*

7 Ex Latinis, Tertullianus de Præscriptionibus cap. 46. *Nicolaitarum hæresim Apocalypsis Domini grauissimæ sententiæ auctoritate fuisse damnatam*, docet: & ibidem cap. 33., & lib. 3. cap. 13. lib. 4. cap. 5. contra Marcionem; Cyprianus epist. 63., & de Exhortatione ad Martyrium, & De disciplina, & habitu Virginum; Hilarius prologo in psal., & in psal. 3.; Ambrosius in psal. 41., & lib. 1. de Pœnitentia cap. 9., Pacianus 1. contrà Nestorium, Ruffinus in Symbolum Apostolorum, Augustin. serm. 181. de temp., & *De Doctrina* Christiana lib. 2. cap. 8., & de Virginitate cap. 27., Prosper de Promissiouibus par. 1. cap. 38., & par. 2. cap. 12., Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 27. & lib. 2. ad Trasimundum cap. 15. & alij ex hoc libro Apocalypsis veluti diuina testimonia producunt: Quarè D. Hieronymus epist. 129. ait: *Nos Apocalypsim Ioannis suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed cæterorum Scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque huius vtuntur testimonijs, non vt interdum de Apochryphis facere solent.* Igitur, ex Patribus constat, librum Apocalypsis esse Ioannis *Apostoli*, & inter Diuinas Scripturas, accenseri.

8 Probatur 4. Ratione. *Vetus* Testamentum continet libros Historicos, Legales, Paranæticos, & Propheticos, ex quibus omnibus adequatè conflatur; ergo Nouum Testamentum debet continere Libros legales, vt sunt Euangelici; Historicos, vt sunt *Acta* Apostolorum, & eadem Euangelia; Paranæticos nempè libros Epistolarum; & Propheticos; Sed non potest assignari alius liber Propheticus Canonicus Noui Testamenti, nisi Apocalypsis Ioannis, ergò liber Apoc. est liber Propheticus Canonicus Noui Testamēti. Vel si negent *Aduersarij*, assignent quisnam iste liber Propheticus sit.

9 Probatur 5. ex specialibus *Aduersariorum Principijs*, & Confessione. Bulligerus in *Apocal.* cap. 1. serm. 1. Lutherum sugillat, quod Apocalypsim è Canone detruncauit, dùm ait: *Martinus Lutherus hunc librum aspera quadam præfatione primæ suæ Noui Testamenti versionis Germanicè iugulauit, ob quam eius censuram, plerique Docti, & Pij ei infensi fuere.*

10 Centuriatores Magdeburgenses cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 56. Luthero vale dixerunt, librumq; Apocalypsis. vt verè *Diuinum*, & Canonicum receperunt.

11 Nuperi Lutheri Sectatores, *Hùnnius*, & alij, rubore perfusi, se ipsos excusantes, suum præceptorē erroris incusant, dùm dicunt, fuisse Lutheri personalem errorem, librū *Apoc.* è Sacro Canone detruncare, postmodum à Luthero correptum. Sed & Pepone insulsius est Hunnij effugium; dicentis; In libris Lutheri, non reperiri Apocalypsis negationem: nam textus adductus in Mendacio, manifestus est, expressissimèq; continetur in antiquis editionibus Lutheranis, præcipuè in editione Norimbergensi apud Iodocum Gutnecht anno 1527. Vel, si, (vt dicunt Lutherani) errorem suum correxit Lutherus, iàm de Luthe ri palinodia triumphamus, eumq; falsitatis arguimus, dùm iactat, se certo certiorem esse, suam doctrinam habere de Cœlo; etenim si error erat, (vt ait Hunnius) librum Apocal. vt commentitium repudiare, non poterat è Cœlo error iste prodire, sed à Diabolo omnium errorum Satore.

12 Caluinus, & Caluinistæ passim, hunc librum tanquàm authenticum, & Canonicum suscipiunt, & ferè

ferè innumeris Commentarijs (licet extortis interpretationibus) exponunt.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

13 ARguunt 1. Protestãtes. Multi peruetusti, & Catholici Scriptores, inter quos Caius Catholicus Scriptor in Dialogo disp. suarum cap. 28.; Vel huius libri auctorem faciunt Cherintum: vel dubitarunt, nùm esset Ioannis Euangelistę partus, an potiùs cuiusdam Ioannis cognomento Theologi, eiusdem Euangelistę discipuli. Eò magis quòd in Græcis exemplaribus habetur: *Reuelatio B. Ioannis Theologi.* Ita Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 4. histor. cap. 24. & 26.

14 Respondetur, quòd si Caij verba diligentiùs inspexisset Aduersarius, proculdubio vidisset, eum, haud asseueraſſe, Cherintum huius libri Apocalypsis fuisse Auctorem; sed solummodò dixisse, ex Apostoli Magni (scilicet Ioannis Euangelistæ) reuelationibus, falsò, & perperam intellectis, hæresim suam orbi inuexisse Cherintum. Et si (vt dicitur in argumento) de Auctore Apocalypsis dubitatum est à Dionysio num .s. is esset Ioannes Apostolus, an alius Ioannes; hoc non tollit, quin liber iste diuinus sit, & Canonicus; cùm, vt ex eodem Dionisio in 3. Prob. vidimus, canonicus sit ac diuinus. Attamen, cùm tunc, ad huc non esset causa ista Ecclesiæ iudicio definita; potuit licitè de Auctore dubitari: modo verò propter Ecclesiæ decretum, & Conciliorum posteriorum sanxiones, nullus remanet ambigendi locus. Neque (vt somniat Aduersarius) alius fuit Ioannes cognomẽto Theologus, & alius Ioannes Euangelista; & enim, extat S. Dionysij Areopagitæ epist. 10. cum hac inscriptione: *Ioanni Theologo, & Euangelistæ in Pathmos insula relegato.* Intus verò leguntur hæc. *Nos autem nulla procella nulla aduersitas priuabit Ioannis clarissimo radio, id quidem consecuturos memoria, ac renouatione tua verissimæ Theologiæ.* Consulatur de hoc Metaphrastes apud Oecumenium in Ioannem. Idem sentiunt Athanasius orat. cont Idola, Cyrillus 3. de Trinit. & August. tract. 36. in Ioann. Addo, quod Eusebius lib. 3. hist. cap. 19. clarissimis verbis, hunc librum Ioanni Euãgelistæ tribuit.

15 Arguunt 2. In cap. 2. huius libri insigne mendacium describitur, dum inibi legitur. *Et Angelo Thyatirę Ecclesię Scribe.* At in Thyatira quæ est Mysie Ciuitas, nulla fuit Ecclesia viuente Ioanne Apostolo, ergo non poterat ad eam, quæ non extabat, Ecclesiam scribere.

16 Respondetur ex Ephip. hæres. si quòd Prophetia, futura respicit; & Ioannes, nõ ad fundatam ibi iam, sed ad fundandam, & dilatandam Ecclesiam direxit epistolas, eamque particularem Ecclesiam, erraturam predixit post tempora Apostolorum, idque, eiusdem Apostoli testimonio comprobatur: Etenim anno 95. post Christi Ascensionem hæresi Phygastarum est polluta per falsas prophetissas Priscillam, & Maximillã, quæ, sub nomine Iezabelis sunt à Ioanne descriptæ.

17 Arguunt 3. In hoc libro continentur Cherinti profligatissimi hæretici errores, scilicet terrenæ Hierusalem instauratio, vt legitur cap. 2. *Ostendit mihi Ciuitatem Sanctam Hierusalem nouam &c.* Permittitur ciborum satietas, & poculorũ abundantia, ibidem, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Et cap. 7. *Non* esurient neque sitient *amplius* &c. *Et deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Et cap. 19. *Venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius preparauit se.* Rursus cap. 20. adstruitur Tempus Regni Christi duraturum per mille annos, ibi, *Et vidi*

ani-

animas decollatorum propter testimonium Iesu &c. & vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis; cæteri verò mortuorum non vixerunt, donec consumerentur mille anni; qui fuit error Chialistarum, tale Regnum statuentium, ab Ecclesia vniuersali damnatorum.

18 Respondetur, omnia enumerata in argumento, secundùm allegoryam, & spiritualem sensum, de Cœlesti Hierusalem, & gaudijs illius felicissimæ mansionis esse interpretanda; de qua Ciuitate, ibidem cap. 21. dicitur: *Non vidi in ea templum, quia Dominus Deus Omnipotens, & Agnus templum illius erant.* Non verò de Ciuitate terrena, deque cibis, & potibus iudaico modo, cum Cherinto, intelligenda. Vndè, dixit Epiphanius hæresi 51. *Quæ in lege, ac Prophetis obscura erant, & in ænigmate dicta, ea Dominus dispensauit, vt per Spiritum Sanctum ad nostram salutem seruo suo Ioanni reuelarentur, quæ illic obscura erant; hic enim spiritualia, ac manifesta prædicens, spiritualitèr autem nobis eadem dispensauit.*

19 Ad illud, quòd subditur, de Regno mille annorum; dicimus, quòd Regnum illud mille annorum, intelligitur de Regno, tùm Ecclesiæ militantis, tùm triumphantis; vndè Ioannis verba id tantùm euincunt, quòd scilicet regnant cum Christo Iusti, & Electi, per annos mille, qui mille anni, significant temporum vniuersitatem, ideſt, semper regnabunt, siuè ante communem resurrectionem corporum, siuè post resurrectionem, siuè stante Ecclesia militante, siuè ea tanquam victrix in Cœlo coronata post vniuersale iudicium.

20 *Animæ* verò Martyrum propter testimonium Iesu interfectorũ, estò corporibus adhùc non sint vnitæ, regnant tamen cum Christo in cœlesti gloria, dùm mille isti anni militantis Ecclesiæ vsque ad extremum Iudicij diem decurrunt, sicùt & semper regnabunt, quando erunt vnitæ, & sociatæ corporibus. Dicimus itaque, nunc Ecclesiam cum Christo regnare in viris, & in mortuis. Et cùm scribitur, huiusmodi Regnum post primam resurrectionem fore; intelligitur, non de resurrectione corporum, quam expectamus in vltimo vniuersali iudicio; sed, de præsenti resurrectione quotidiana spirituali animarum; per quam, homines dono gratiæ in dies à peccatis resurgunt. Videatur D. Augustinus lib. 20. de Ciuit. cap. 7. & D. Thomas 4. cont. Gent. cap. 87. ex quibus hanc resposionem collegimus.

21 Arguunt 4. ex styli diuersitate. Nam (dicunt) in Ioannis Euangelio, eiusque Epistolis, nulla vox barbara, nullus imperitus, rudisq; sermo reperitur. In isto verò Apocalypsis libro, (Auctor quisquis est) improprio sermone; & lingua minùs limata vtitur; Insuper modis planè barbaris loquitur, & quandoque solœcizare videtur. Non ergò est Ioan. *Apost.*

22 Respondetur, demirando istos minutiarum pensiculatores, qui tanti faciunt styli diuersitatem, ex qua tamen nõ nisi infirmum potest deduci argumentum. Nec, vt puto, latet *Aduersarios*, & quidem eruditos, quòd alio, historiæ sint describendæ, stylo; alio Epistolæ; alio prędictiones, & Prophetiæ. Non enim *Diuina* eloquia sunt sub Grammaticorum ferula redigenda; vel eorumdem regulis metienda: Sufficit enim, si per illa, Diuini sensus manifestentur. Quarè D. Gregorio indigum aliquando visum est, Diuina eloquia sub regulis Donati restringere. Videatur eius Epistola ad Leandrum cap. 5. in expositione Iob.

23 *Arguunt* 5. specialiter Lutherus. *Apostoli* non occupantur circà visiones, sed apertis verbis vaticinantur,

Digitized by Google

nantur, vt prestarunt Petrus, Paulus, & ipse met Christus Dominus in Euangelio. Nam (ait) Lutherus. *Apostolici muneris est clarè, & sine imaginibus, aut visionibus de Christo eiusque rebus, loqui.* Ergo liber hic, non est Apostolicus. Rursus, quia nullus Propheta in veteri testamento, per totū librum visionibus, & imaginibus vtitur, sicut in hoc libello inspicitur. Ergo, nec est propheticus.

24 Respondetur Lutherum Apostolicum munus ignorare, cùm tamen (si Dijs placet) Apostolus censeatur à suis. Non enim visiones, & prædictiones Apostolico muneri sūt contraria; etenim, Apostoli primitias spiritus, ad Ecclesię vtilitates acceperunt; inter quas, etiam ipse reuelationes recensentur vt ex 1. Corinth. cap. 14. perspectum est; quibus iuxta diuersorum temporum exigentias, vtebantur. At quia debebant Euangelistę Christi Domini gesta recensere;, & Petrus, Paulus, Ioannes, Iacobus, & Iudas Paranęticas epistolas scribebant Ecclesijs; visio Prophetica, haud erat illis necessaria. Cęterum, Reliquum erat, futuras Ecclesię persecutiones, & pressuras manifestare; quę non nisi profetica reuelatione, in visionibus consistente, cognosci poterant; & hoc prestitit Ioannes in hoc libello Apocalypsis. Vndè, velit, nolit Lutherus, libellum istum vt Propheticum debet recipere. Differt autem libri huius prophetia, à Prophetia testamenti veteris; nam, vt ait Haimo præfat. in Apocalyp; *quod illi cernebant à longè venturum, hoc iste (scilicet Ioannes) iàm ex parte maxima factum, & in præsenti faciendum ostendit.*

25 Arguit 6. idem Lutherus. In primo, & vltimo huius libri capitulo, dicitur: *Beatus qui audit, & qui legit verba prophetiæ libris huius, & seruat ea &c.* At, vt manifestum est, nullus intelligit quid sibi velit Prophętia hæc: ergo ad quid?

26 Respondetur quòd nos vtique fatemur cum Hieronymo in prologo galeato, librum istum obscuros continere sensus, atque *tot habere Sacramenta quot verba; & in verbis singulis multiplices claudere sensus;* Hoc autem rationabiliter factū est. Primò, quia cùm rerum futurarum (præcipuè quæ circa sæculi finem euenturæ sunt) mysterium liber iste contineat, haud mirum si obscurus sit; sicut, & aliæ prophætiæ aliorum Prophetarum, ante euētum etiam erant obscurissimæ, & remanserunt clausæ vsque ad statutum, tempus ex Daniele. Secundò, ne Sacra Mysteria darentur Canibus, quapropter, & ipse Christus Dominus, semper in parabolis, & non sine parabolis, loquebatur. Attamen, multa captu facillima in eodem libro reperimus, quæ pertinent ad detestationem hæresum, correctionem morum, Pastorum, & Præsulum vigilantiam, Ecclesię persecutiones &c. quę vt ait Beda; Deus in hoc libro, *verbis, & figuris, dignatus est reuelare.*

LECTIO II.

De Epist. D. Pauli ad Hebræos, è Sacro Canone à Protestantibus erasa.

1 FIdes auita, antiquitatis fotrix, & custos; Doctoris Gentium epistolam ad Hebręos, tamquam Canonicam, ac verè Dei eloquia continentem suscepit, ac suscipit. Contradicunt Hostes, innouandi auiditate furentes, eamque varijs criminationibus gestiunt exauctorare. Audite.

Mendacium Protestantium.

2 LVtherus in posteriori editione Noui Testamenti hanc Pauli epistolā à Canonicis scripturis se-

seperat, per hęc verba: *Hactenus Canonicos, & præcipuos scripturæ libros habuimus. Qui sequuntur, non eandem, quam nunc, semper obtinuere auctoritatem.* Addit hanc Epistolam non esse Pauli, nec alterius Apostoli; eò quòd multa contineat Apostolicæ doctrinæ contraria. Illum sequuntur sui, Brentius in Confess. Vuittemberg. cap. de Sac. Scrip. Magdeburg. cent. 1. lib. 2. cap. 4. Kemnitius in examine Concil. sess. 4. & alij vsque ad Hunnium Lutheranum; Ex Caluinistis, Iunius, & Vrhitakerus negant hanc epist. esse D. Pauli; concedunt tamen eam esse Diuinam, & Canonicam.

VERITAS CATHOLICA.

D. Pauli Epistola ad Hebræos, verè Canonica est, atque Diuina Scriptura.

3 PRobatur generalibus Principijs Protestantium inhærendo, ex Scriptura, & totius Antiquitatis vnanimi consensu. Primò Accedat contrà delicatum militem Lutherum, acerrimus veræ Fidei aduersus omnes hæreses propugnator Petrus Apostolus; Is enim, in secunda sua epistola cap. 3. de Epistola D. Pauli ad Hebræos, illustre fert testimonium, dùm ait: *Et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini, sicut & charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Omnes ad vnum antiqui Patres, habent pro comperto, Petrum, suam hanc secundam, sicut & primam Epistolam ad fideles, qui erant ex Circumcisione, seù ad Hebræos Christi fideles, direxisse, cùm ipse dicat in initio primæ, *Petrus Apostolus Iesu Christi electis aduenis dispersionis Ponti &c.*, & in secunda cap. 3. primam supponens, ait: *Hanc ecce vobis charissimi secundam scribo Epistolam.* Liquet igitur, Epistolam ad Hebræos, ex Petri testimonio, esse Pauli, & Canonicam, cùm ad eosdem Hebræos, tàm Petri, quàm Pauli Epistolæ fuerint transmissæ.

4 Respondebit forsan Aduersarius, & dicet; quòd Sanctus Petrus illos, ad quos scribit, aduenas vocat; quòd vocabulum *aduenæ* non potest competere Iudæis dispersis per Pontum &c. Ad Gentiles ergò scripsit, non ad Hebræos.

5 Contrà, nàm Iudæi illi conuersi, sicùt spiritualitèr dicebantur Electi ex vocatione ad Christum, ita, corporalitèr, dicebantur aduenæ ex persecutione propter Christum, è patrio solo pulsi: & sicuti Gentiles propter conuersionem ad Christum dicebantur, non hospites, & aduenæ, sed ciues Sanctorum, & domestici Dei; ita etiam Iudæi ex eadem conuersione dicebantur ciues, & non aduenæ. Quia tamen extrà patriam dispersi manebant, apud exteras nationes erant aduenæ, & non ciues.

6 Probatur 2. auctoritate Romanorum Pontificum. Nam, Clemens 1. epist. 1. ex cap. 11. huius Epistolæ ad Hebræos, Euaristus epist. 2. ex cap. 4. eiusdem, Higinius ex cap. 2., Soter ex cap. 1. Vigilius epist. ad Auxanium ex cap. 5., Gregorius 1. lib. 9. Moral. cap. 10., & alij posteriorum sęculorum Pontifices, ex hac Epistola D. Pauli ad Hebræos testimonia tanquam Diuina, & Canonica produxerunt, ac D. Pauli partum agnouerunt. Suffragatur Innocentius 1., sæpè citatus, Epistola ad Exuperium Tolosanum cap. 47., qui illam inter Canonicas Scripturas accenset, dicendo: *Noui Testamenti libri: Euangeliorũ libri quatuor. Pauli Apostoli Epistolæ quatuordecim, Ad Romanos vna, &c. Ad Hebræos vna.* Sed & Gelasius libros Canonicos recensens in Concil. 70. Episcoporum, ait: *Pauli Epistolæ numero quatuordecim &c. Ad Hebræos vna &c.* Constat ex testimonio Summorum Pontificum primorum quinque sæculorũ,

Digitized by Google

Epistolam Pauli ad Hebræos esse Canonicum, ac eiusdem Pauli partum.

7 Probatur tertiò *Auctoritatibus* Conciliorum. Concilium Laodicenum cap. 58. Inter quatuordecim epistolas Canonicas *D.* Pauli, hanc ad Hebræos recenset; Idem statuit Concil. Carthaginense 3. quin & Aranxicanum, ex *D.* Paulo ad *Hebræos* testimonium sumit, dicendo: *Fidem quam in ipsorum laudem prædicat Apostolus Paulus ad Hebræos 11; Non per bonum naturæ, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam.* Et, vt ait *D.* Thomas in Prolog. huius epist; Concilium Nicænum, primum, hanc epist. vt Canonicam videtur habere, vt colligitur ex illis verbis: *Ante Concilium Nicænum quidam dubitarunt an epistola hæc esset D. Pauli.* Igitur Concil. hoc, statuit epist. hanc & Pauli, & Canonicam esse; Rursus, in eodem magno Concilio in quadam responsione Episcoporum data per Leontinum cuidam Phylosopho contradicenti, citatur illud ad Hebræ. cap. 4. *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio anciptti &c.* Item, Concil. Ephesinum in declaratione primi Anathematismi Cyrilli, citat illud Hebræ. cap. 2. *Nequaquàm enim Angelos apprehendit: sed semen Abrahæ apprehendit &c.* Concil. Constantinopolitanum *Actione* prima assumit illud testimonium ad Hebr. cap. 13. *Obedite præpositis vestris.* Idque posteriora Concilia, vsque ad Tridentinum, statuerunt.

8 Probatur quartò *Auctoritate* Veterum Patrum, Iustinus Martyr q. 99. dicit de Iephte quòd *in epistola ad Hebræos ab Apostolo in piorum recensetur Catalogo.* Clemens *Alexandrin.* lib. Hypotyposeon, inquit: *Manifestè est Pauli hæc epistola, scripta quidē Hebræo sermone tanquàm Hebræis, sed à Luca in Græcum interpretata.*

9 Origenes apud Eusebium lib. 6. histor. cap. 19. ait, quod *non temerè veteres eam* (epistolam ad Hebr.) *Pauli esse tradiderunt.* Et homil. 6. in Exod. & homilia 7. in numer. ex cap. 7. & 9. huius epistolæ testimonia desumit.

10 Athanasius Dialogo 3. de Trinit. ait: *ex quo annunciatum est Euangelium Christi, credita est epistola ad Hebræos esse Apostoli Pauli.*

11 Didymus Alexandrinus lib. 1. de Spiritu Sancto, inquit: *Paulus, in Epistola quam ad Hebræos scripsit, de psalmorum volumine testimonium proferens, à Spiritu Sancto id dictum esse commemorat.*

12 Basilius de Spiritu Sancto cap. 6. dicit: *Et Paulus Spiritu Sancto afflatus testificatus est de Christo, quod est in dextera Dei, & Patris &c.* ad Hebræ. cap. 1. Nanziāzenus carmi. de Script. libris, inquit: *Deinceps bis septem Pauli numerato libellos.*

13 Nissenus orat. 2. de Christi resurrectione, ait: *Quapropter etiam Paulus Hebraiss scribens dicebat: non enim in manufacta Sancta Iesus introiuit. Hebræ. cap. 9.*

14 Epiphanius hæresi. 59. dicit: *Et propterea etiam per ipsum Apostolum hic rursus dixit, eum verò qui paululum imminutus est infra Angelos &c. Hebr. 2*

15 Chrysost. in commētar. epist. ad Hebræ. hanc epist. vt Pauli partū agnoscit, & subdit, *Papè quanta est Apostolicæ sapientia, imò verò nō Pauli, sed Spiritus Sācti est admirāda gratia?*

16 Hilarius in psalm. 129. Ambrosius lib. 4. de Sacram. cap. 1. Eucherius de quæstion. Noui Testamēti, Ruffinus in Symbolo Apostolorum, Prosper de Promission. & prædiction. par. 2. cap. 7. Vigilius Tridētinus lib. 5. cont. Euthychetem, Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 9. & lib. 2. ad Trasimundum cap. 8. Omnesque ferè Patres primorum sex sæculorum, Epistolam hanc cōtrouersam ad Hebræos, & à Paulo scriptam, & Canonicam esse fatentur, & ad firmandas res fidei, eiusdē testimonia producunt.

17 Hie-

Digitized by Google

17 Hieronym.epist.129. ad *Dardanum* postquam dixit, hanc epistolam ad Hebræos ab omnibus Ecclesijs, vt Pauli partum, susceptam fuisse, refert quorundam Latinorum oppositam sententiam, & subdit, pari ratione hos argui debere, quia Ioannis Apycalypsim suscipiunt; Postea, quid ipse sentiat aperit, his verbis: *Et tamen nos vtraque suscipimus, nequaquàm huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerũque vtriusque abutuntur testimonijs, non vt interdùm de Apochryphis facere solent (quippè qui & gentilium litterarum rarò vtuntur exemplis) sed quas Canonicis, & Ecclesiasticis.*

18 D.Augustinus lib.2. de Doctr. Christiana cap. 8. Canonem Scripturarũ attexens, & epistolas D.Pauli numerans, ait: *Ad Romanos vnam &c. ad Hebræos vnam*, Idem sentit lib. de peccatorum meritis, & remissione ca p.27; eiusque epist. testimonia sæpè citat. Hoc idem vniuersi fatentur.

19 Probatur 5. ratione Oecumenij in Argumento eiusdem epistolæ, cuius verba sunt hæc: *Testatur in sequentibus Epistola quoque, quòd Pauli sit, ex eo quòd dicit, etiam afflictionum, quæ ex vinculis meis contigerũt, participes fuistis: & cùm dicit, Magis præcemini, quò celerius restituar vobis. Præterea, cùm ait, Fratrem nostrũ Timotheum dimisi, cum quo, si celeriùs venerit; videbo vos: At certum est, (subiungit Oecumenius) quòd nemo præter Paulum dimiserat Timotheum in ministerium, atque hunc celeriùs expectans suum, ac illius pollicetur illis aduentum quemadmodum frequentèr facere solet.* Hæc ille, & nos.

20 Probatur 6. specialibus principijs, & testimonijs Protestantium inhærendo. Vuhitakerus lib. cont. Bellarmin. Controu. 16. cap. 1. exprimens suorum hac de re sententiam ait: *De auctoritate nullius libri, qui pertinent ad nouum testamentum dubitamus, nec verò de auctore, præterquam Epistolæ ad Hebræos.* Sed postea de ea subiungit: *Cum auctorem huius epistolæ Spiritum Sanctum intelligimus, superuacaneum est, tam anxiæ, ac curiosè de calamo querere.* Sequitur postea ibidem: *Si Lutherus aut qui Lutherum sequuti sunt, nonnulli aliter senserunt, aut scripserunt, de quibusdam libris noui testamenti; nihil ista res ad nos pertinet, qui in hac re Lutherum nec sequimur, nec defendimus.* Sentit ergo Vuhitak. quod hæc Pauli epist. ad Hebræos Canonica, & diuina sit.

21 Hunnius ex Lutheri propagine, qui Summorum Pontificum, & Conciliorum auctoritatibus, & testimonijs, nõ morari alibi fassus est; immemor eorum que dixerat contra epistolam hanc controuersam, & Luthero vale dicens, in impressione Francofurti apud Ioannem Spies anno 1586. in Exegesi epist. ad Hebræos sic ait: *Quanquam in primitiua Ecclesia dubitatum fuit per quem ex Apostolis, vel Apostolorum discipulis hæc epistola esset scripta: tamen ipsius rei, ac materiæ sublimitas, & tractationis modus, atque ratio luculentèr arguit eam à Spiritu Dei dictatam, inspiratamque esse cùm nullus sit in nouo testamento liber, in quo Christi officium, & Sacerdotium solidiùs docetur, & splendidùs illustratur.* Et paucis interiectis, subiungit: *Nihil igitur vspiã in hac epistola est, quòd non ad Apostolicam veritatem pulcherrimo consensu quadret. Porro sufficiat nobis, quòd eam à Spiritu Sancto profectam scimus, etiam si de mediato auctore non perinde constet, quemadmodùm neque certò nobis constat, quibus Auctoribus libri Regum, & Paralippomenon conscripti sint, nec tamen eorundem auctoritati quidquam detrahitur.*

22 Sed & Franciscus Iunius Caluin. in hanc epist; ait: *Equidem & sententias & verba Pauli esse non dubitauerim: stylum verò respectu eorum variari, ad quos scribebatur &c.* Hæc Protestantes secum pugnantes: qui.

Digitized by Google

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

23 ARguunt 1. Multi Patres hanc ad Hebræos epistolam vt Canonicam, & verè Diuinã suscipiunt, de Auctore tamen, an sit Paulus, dubitant. Signanter Hieronimus comment. in epist. ad Titum cap. 2. ait: *Relege ad Hebræos epistolam Pauli, siue cuiuscunque alterius eam esse putas, quia inter Ecclesiasticas iam recepta est.* Igitur, estò concedatur, epistolam hanc esse Canonicã, licet tamen de Auctore dubitare.

24 Respondetur; quòd quamuis ab aliquibus fuerit de Auctore dubitatum; tamen, Antiquitas vniuersa, eam vt Pauli partum agnoscit, quæ licet primùm fuerit Hebraicè scripta; fuit postmodum (Eusebio lib. 3. cap. 32. & Clemente Alexandrino apud eundem, lib. 6. cap. 11. testibus) à Clemente, vel Luca in Græcum sermonem translata. Quod si dicere velimus, eam Græcè primũ fuisse descriptam. Tunc etiam Pauli partum esse, (id epistolæ sensu, eloquutione, ac dispositione indicante) fatendum est; maximè, cùm solita Pauli subscriptione sit notata, vt dicemus; qui cùm etiam Græcè alias scripsisset epistolas, Græcè quoque ad Hebræos scripsisse nõ iudicamus incongruum. Et estò Hieronymus alijque Patres de auctore dubitauerint olim, (vt asseritur ab aduersarijs) cùm de Traditione haud certò constabat; hodie, ex vnanimi Patrũ consensu, & ex Conciliorum, Ecclesiæque Catholicæ declaratione, patet, non esse de auctore ambigendum; maximè, cùm à Spiritu Sancto noscatur esse dictata. Præterea, ex verbis Hieronymi non colligitur intentum ab Aduersario, sed potius oppositum; etenim illo in loco dicit, eam esse epistolam Pauli, licet is, ad quem scribit, an Pauli sit? dubitet. Eò vel maximè, quia Hieron. epist. 129: ad Dardanum mentem suam declarans, epistolam ad Hebræos Pauli partum esse dicit, vt vidimus in 4. Prob. prope finem.

25 Arguunt 2. Hunnius, qui nuper in vltima probatione hanc ad Heb. epist. & Canonicam, & Pauli esse dicebat: modo spiritu vertiginis aggitatus, aliorum Protestantiũ Argumentum sub hac forma proponit. Omnes Pauli Epistolæ fuerunt peculiari signo notatę, quo cognoscęretur à Paulo fuisse transmissas, & conscriptas; sed Epistola ad Hebræos non fuit tali signo notata, ergo nõ est Pauli partus. Maior prop. pat. ex illo 2. ad Tessalonicen. cap. 3. *Salutatio mea manu Pauli, quòd est signum in omni epistola.*

26 Respondetur cum D. Anselmo, quòd ly *signum in omni epistola*, sunt verba illa, *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis*, vt textus ipse declarat; & tunc ly *Gratia cum omnibus*. Ad Coloss. *Gratia vobiscum*. 2. Timoth. &c. quia reperitur in fine cuiuscunque epistolæ, correspondet ad ly *signum in omni epistola*, quod potest adhùc vniuersitatem designare. Quod si nolimus cũ eodẽ Anselmo ly *signum in omni epistola*, significare multitudinem, sed significare vniuersitatem, ideſt, quòd non in vnaquaque epistola, sed in multis signum illud *manu mea* sit appositum, vt patet ex epist. ad Philemonem, & ad Galatas 6; tunc etiã benè dicimus.

27 Arguunt tertiò & est commune Protestantium argumentũ. Huius epistolæ Auctor splendidiori stylo scribit, quàm Paulus in cæteris epistolis scripserat, aut loquutus fuerat. Igitur non est Pauli.

28 Respondet Origenes in psal. 1. non esse mirum, si elegantior in hac epistola, quàm in cęteris appareat Paulus, cùm quisque elegantiùs in sua quàm in aliena, & peregrina lingua loquatur; Apostolus autem

sua

sua naturali lingua Hebraica, hanc scripsit Epistolam, vt communior fert sententia.

29 Si tamen dicatur, cum Græcè scripsisse, respondemus non esse mirum, si sublimiora tractando, elegantiorem Epistolam scripserit, Spiritu Sancto ita dictante, & suggerente. Quod si ex elegantia styli rectè colligeretur hanc Epistolam Pauli ad Hebræos, non esse Pauli, sed alterius Auctoris; similitèr ex ornatiori stylo libri Iob, Pentatheuci stylum excedente, colligeremus illum à Moyse, haud fuisse descriptum, cùm tamen vtrumque à Moyse scriptum testatur Antiquitas ex Hieronymo. Præterea, stylus ornatior Actuum Apostolorum, Euangelio Lucæ; Lucæ Euangelium non infirmat, aut obscurat. Et vt Caietanus ipse fatetur, infirmum est argumentum ex stylo desumptum, idque in operibus D. Gregorij exemplificat, nam si quis Regestum huius Sancti Pontificis, cum alijs eius operibus conferat, diceret Regestum non esse Gregorij.

30 Arguunt 4. Magdeburgenses centur. 1. lib. 2. cap. 4. colum. 55. & Lutherus in procem. in hanc epist. Asseritur in cap. 6. huius Epistolæ, quòd semel ad Christum conuersi, si labantur iterùm, etiam per seriam pœnitentiam, non possunt recuperari, & iterùm in gratiam redire. Et cap. 10. scribitur, non relinqui hostiam pro peccato ijs, qui voluntariè peccant post acceptam veritatis notitiam. Et cap. 12. dicitur, quòd Esau, non inuenit locum pœnitentiæ: Quæ omnia sunt Catholicæ Fidei dissona. Ergò &c.

31 Respondet ad hæc D. Ambrosius lib. 2. de Pœnitent. cap. 3., & D. Augustin. quem citat, & sequitur D. Thomas Comment. huius loci ad Hebræos, quòd Apostolus ibi non dicit, impossibile est pœnitere, sed *renouari*, seù baptizari: ad Titũ enim cap. 3. Baptismus, *renouatio*, appellatur; idque, ex antecedentibus Apostoli verbis ibidem manifestatur: ait namque, *Impossibile est illos, qui semel illuminati*, ideſt, semel Baptizati sunt *rursus renouari ad pœnitentiam*, ideſt, Baptizari nam Baptismus reiterari nequit, qui tamen à Veteribus *illuminatio* appellatur; quare, ibidem huius rei ratio assignatur, dùm mox subiungitur: *Rursus crucifigentes sibi met ipsis filium Dei*: Nam Baptismus, vt ait D. Thomas ibidem, est imago mortis Christi *consepulti cum Christo &c.* qui ergò iterùm baptizantur, rursus Christum crucifigunt.

32 Quod si velimus dicere, hoc de pœnitentia dictum esse; tunc respondet Ambrosius, vel quicunque sit illius libri auctor, quòd ly *impossibile*, se tenet ex parte nostra, & ex proprijs viribus naturalibus, non verò ex parte Dei, cui nihil est impossibile, & hoc est conforme his quæ Matthei cap. 29. dicuntur, *Quæ Impossibilia sunt homini, possibilia sunt apud Deum &c.*

33 Ad illud, quòd adducitur ex cap. 10., Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iàm non relinquitur pro peccatis hostia, dicimus cum Theodoreto, quòd per illa verba *non prohibuit pœnitentiam, sed dixit non esse secundam hostiam*: semel enim pro nobis immolatus est Christus. *Antè reparationem* (ait D. Thom.) *relinquebatur hostia ista, quæ expectabatur: Sed iàm nùnc non expectatur alia mors eius; (scilicet Christi) Vndè notandum est, quod consulto dixit: volantariè peccantibus*, ideſt, *ij qui sunt in voluntate permanendi in peccato* (inquit idem D. Thom.) ijs non prodest hostia, quam Christus obtulit, cùm hęc tantummodò ijs prosit, quos peccatorum pœnitet.

34 Ad id quòd sequitur ex cap. 12. de Esau dicendum est, quòd non inuenit locum pœnitentiæ, adhuc flen-

flendo, apud Patrem ſuum; quia nullo modo poterat recuperare hæreditatem, quæ irrecuperabilis erat, ſicùt nec peccator poteſt ſemel amiſſam innocentiam, vel virginitatem recuperare. Quòd verò, nec apud Deum locum inuenerit pœnitentiæ adhùc flendo, hoc ex eo factum eſt; quia, vt ait Theodoretus, non fleuit agendo pœnitentiam, ſed fœlicitatis fratris inuidendo; nõ enim fleuit peccatum ſuum, ſed proſperum fratris ſui ſucceſſum, vt colligitur ex cap. 27. Geneſis dùm dicit: *Venient dies luctus Patris mei, occidam Iacob fratrem meum.*

35 Arguunt 5. communi argumento. Multi Patres, vt Cyprianus, Arnobius, & Lactantius nunquàm ex hac Epiſtola ad Hebræos ſumpſerunt teſtimonia, ad probanda Eccleſiaſtica dogmata. Ergò non eſt Canonica.

36 Dices, quòd hoc argumentũ nihil probat, cùm ſit negatiuum, ſufficit enim Patres illos, nec contradicere, nec negare illam eſſe Diuinam Scripturam.

37 Hæc reſponſio non ſubſiſtit, nam Euſebius cap. 33. & 22. dicit: *Epiſtolæ ad Hebræos à nonnullis, & maximè in Romana Eccleſia contradici.* Et Hieronymus in cap. 6. Eſaiæ, ait: *Quod eam latina conſuetudo non recipit.* Idemque in cap. 9. repetit; ſed, ex Caluino, *Hieronymum vacti ſumus regulam diſcretionis Canonicorum librorum.* Igitur epiſt. hæc, non eſt Canonica, neque diuinitus dictata.

38 Reſpondetur, ſufficere, vt dictum eſt, quòd Patres illi non contradicant, & alij innumeri fermè Eccleſiæ Proceres, ac Doctores ex ea teſtimonia proferant, vt vidimus in 4. Probat. Ad inſtantiam; ridiculum eſt, quòd inibi dicitur: Nunquàm enim Euſebius, ac Hieronymus dixerunt, nec dicere potuerunt, ab vniuerſa Eccleſia Latina Romana huic Epiſtolæ fuiſſe contradictũ, cùm ferè vniuerſi doctiſſimi Patres latini (vt viſum eſt, quos etiam, & ipſi referunt) antè ipſos, eam vt Canonicam, & Pauli partum agnoſcant. Voluerunt tamen dicere, aliquos extitiſſe in Eccleſia Romana indoctos, nulliuſque litteraturæ homines, qui Epiſtolæ huius auctoritatem conati ſunt, (ſed perperam) inficiare, quos ipſi confutant, & reprehendunt, vt videre eſt apud Euſebium ipſum lib. 3. cap. 32. vbi expreſsè dicit, *Quòd Paulus Epiſtolam ad Hebræos erudiendos, patrio ſermone conſcripſit.* Videatur D. Hieron. epiſt. cit. ſup. ad Dardanum, & epiſt. ad Eugenium, vbi apertè fatetur, Epiſtolam hanc controuerſam, & Canonicam, & Pauli partum eſſe; cæterum, priuatus Doctor, non poteſt Eccleſiæ iuribus, ac decretis infallibilibus præiudicare.

39 Arguunt 6. In initio huius Epiſtolæ filius Dei vocatur ſplendor, & imago ſubſtantiæ Patris, quòd quidem eſt cõtrà Fidem. Nam cùm, nec ſplendor, nec imago ſint ſubſtantia, ſequeretur filium eſſe à Patris ſubſtantia diuerſum. Præterea ibidem, Filius dicitur creatura, & effectus, vt denotant verba illa: *Tantò meliùs Angelis effectus, quantò differẽtius præ illis nomen hæreditauit*; quòd non poteſt aſſeuerari abſque præiudicio Catholicæ Fidei.

40 Reſpondetur, quòd cum Filius dicitur ſplendor Patris, nihil Fidei noſtræ pronunciatur incongruum; Etenim Filius, dicitur ſplendor, ad ſignificandam cum patre coæternitatem; quia, ſplendor, nunquàm à luce, imò à Patre luminum, ſepatatur; quare, dùm Coæternus Patri demonſtratur, vnius ſubſtantiæ eſſe cum Patre perdocetur, videatur Oecumenius ad locum cit. Apoſtoli. Dicitur etiam Filius figura &c., ait Chryſoſt., vt omnimoda ſimilitudo, & propria exemplaris imago oſtendatur, quomodò, in perſona ſua per

per se ipsum quoque Filius subsistat: nam, vt ait. D. Thom. ibi, similitudo attenditur *ne dum in representando, sed etiam in essendo*, & hoc modo Filius dicitur imago Patris; Quare Genes. cap. 5. habetur, quòd genuit Adã filium *ad imaginem, & similitudinem suam*. Ad illud quòd additur, *Tantò melior Angelis effectus*, dicimus cum eodem D. Thoma, quòd hoc non refertur ad Diuinam personam secundùm quam non dicitur factus, sed genitus, sed ad vnionem humanæ naturę ad Diuinam personam, secũdùm quàm, dicitur factus, in quantùm per illius vnionis factionem, eo peruenit, vt esset melior Angelis.

41 Arguit septimò Caietanus vir alias de Romana Ecclesia benemeritus, (qui, Erasmi nouitatibus nondum detectis, vt est humanæ fragilitatis conditio, deceptus, asseruit epistolam ad Hebræos, non esse Pauli, tamen sine pertinacia.) sic: In caput nonum huius epistolæ dicitur, in Arca fœderis Iudæorum fuisse vrnã quandam auream cum manna, & Virgam Aaron quæ fronduerat: & tamen lib. 3. Regum cap. 8. dicitur, in Arca fœderis non fuisse aliud, nisi tabulas lapideas, quas Moyses in Oreb. reposuerat in ea.

42 Respondet ad hoc argumentum Abulensis, qui in cap. 8. lib. 3. Reg. quæst. 6. dicit. Quòd in Arca erãt quidem solùm tabulæ, cæterum in Arcæ diuisione, scilicet, in latere Arcæ, erant, Virga Aaron; & Manna: Nec latus hoc fictitiũ est, quia Deuteronom. cap. 31. habetur, *Tollite librum istum, & ponite illum in latere Arcæ*. Hinc dicimus, quòd in loco 3. Reg. Arca accipitur strictè, & sic, ibi solùm tabulę erant. In loco verò ad Hebręos cap. 9. fit sermo de Arca latius accepta, prout etiam comprębendit & Arcę latus, & sic nulla est contradictio.

LECTIO III.

De Epistola D. Iacobi Apostoli, è Sacro Canone à Protestantibus abscissa.

1 FVit olim Simonis Magi infandum, horribilèque flagitium, operum bonorum necessitatem denegare. Restitit erranti Iacobus ille diuinus, epistolam hanc suã, bonorum operum necessitatem, aliaque præclara Christianę Religionis exercitia, maximopere commendãtem, scribendo; profluuio, carnis libertate defluenti, aggerem opponendo; murumque, & antemurale fidei Hostium incursui obijciendo, teste Irenęo lib. 1. cap. 20; & Augustino, loco infra citando. Hoc idem in causa est, cur à fidei perduellibus nostri ęui, epistola hęc, tot illudatur mendacijs, tot impetatur conuicijs. Audite.

Mendacium Protestantium.

2 LVtherus ad cap. 22. Genes. inquit: *Per opera enim tanquã per fructus cognoscitur Fides, & Iustitia. Non autem sequitur, vt Iacobus, delirat, igitur fructus iustificat. Faciant igitur è medio aduersary cum suo Iacobo, quem toties nobis obiciunt.* Et idem iterum in sua Germanica versione, primę editionis, prefatione ad nouũ testamentum ait: *D. Iacobi verè straminea est epistola, si ad alias* (scilicet Petri, & Pauli) *comparetur*. Rursus in Captiuit. Babylon. cap. de extrema vnctione, inquit, eam. *Non esse Apostoli, nec Apostolico spiritu dignam valdè probabiliter asserunt*. Et Flaccus Illyricus in sua prefat. asserit, graues causas adduxisse suum Præceptorẽ Lutherum, vt epistolam hanc tanquàm nõ Apostolicam minimeque Canonicam Scripturã reijcere posset. Idem sentiunt Kemnitius in exam. Concil. sess. 4; Brentius in Apologia

Digitized by Google

logia Confeſs. Vuittemberg. cap. de Sac. Scriptura, Magdeburgenſ. lib. 1. Centur. 2. cap. 4. Vitus Theodorus in Summarijs Bibliorum, Ioannes Bugenhagius Pomeranus in cap. 3. Ionæ, ait; In ea eſſe quædam Ebionitis ſimilia; Muſculus ex Caluini Caſtris in locis communibus dicit, in ea multa eſſe veritati fidei cõtraria, Lectius lib. 1. prę ſcription. Theolog. negat. 10. cont. Preſidem Fabrum, hanc epiſtolam negat eſſe diuinam. Hunnius Lutheranus ſimilitèr epiſt. hanc è Canone reijcit; vna cum Eraſmo & alijs.

VERITAS CATHOLICA.

D. Iacobi Apoſtoli Epiſtola, verè Canonica eſt atque Diuinitùs inſpirata.

3 PRobat. Generalibus Principijs Proteſtantium inhærẽdo, ex totius Antiquitatis vnanimi conſenſu, & 1. auctoritate Sũmorum Põtificum. Clemens Romanus lib. 2. Conſtit. Apoſtolicarum cap. 8. Epiſtolæ huius teſtimonium tanquam Dinum aſſumit, dum ait: *Si cui igitur conuitium propter mendacium fiat, beatus erit. Ait enim Scriptura: Vir reprobus, non tentatur à Deo. Iacobi* 1.

Pontifices' epiſtolam Iacobi inter Canonicas Scripturas annumerant.

4 *Anacletus* 1. epiſt. 1. ex cap. 2. huius Epiſtolæ Iacobi, *Alexander* 1. epiſt. 2. ex cap. 5; *Vrbanus* 1. epiſtola ad omnes Epiſcopos ex cap. 2. Sixtus 3. in *Tractatu* de Malis doctoribus, & operibus Fidei ex cap. 1. 2. & 3. Leo Magnus ſerm. 2. de Quadrag. cap. 4. ex cap. 1. Gelaſius aduerſus Pelagium ex capite 1. eiuſdem epiſtolæ, vtpote diuinæ, & in Canonem locatæ, teſtimonia deſumpſerunt.

5 Sed & Innocentius 1. epiſt. ad Exuperium *Toloſanum*, epiſtolam Iacobi inter Canonicas Scripturas recenſet; & epiſt. ad Decennium Eugubinum cap. 8. Extremæ vnctionis Sacramentum confirmat ex cap. 2. eiuſdem epiſtolæ, ijs verbis; *Infirmatur quis in vobis. inducat &c.* Et Gelaſius Papa aduerſus Pelagium, citat illud ex cap. 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem &c.* Et, vt ſup. dictum eſt hic *Inſtr.* 1. Lect. 1. in Concilio 70. Epiſcoporum, epiſtolam hanc, recenſet in Canone. *Hoc ipſum* Poſteriorum ſęculorum Pontifices prę ſtiterunt, atque epiſtolam Iacobi, Canonicã ab omnibus haberi mandarunt.

6 Probatur ſecundò *Auctoritate* Sacrorum Conciliorum. Nam Concil. Carthaginenenſe 3. & Nicęnum, cum reliquis ſupra recẽſitis, hanc *D.* Iacobi Epiſtolam in Canone recipiunt. His addimus, quòd Conciliũ Mileuitanum, celebratum anno 416. ſub Innocẽtio cont. Pelagium, ex cap. 3. huius epiſtolę ſumit illud teſtimonium: *In multis offendimus omnes*, ad probandum, diſtinctionem peccati venialis à mortali; Conciliũ *Arauſicanum* 2. anno 463. ſub Leone celebratum cap. 25. ad probandam contra Pelagianos diuini auxilij neceſſitatem, affert illud teſtimonium Iacobi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Concil. Pariſienſe, celebratum ſub Ioanne 3. anno 559. cap. 13. *Sumit illud: Agite nunc diuites.* Concil. Cabilonenſe, ſub Pelagio. 3. anno 582. celebratum cap. 33. citat illud, *Confitemini alterutrum peccata veſtra*; ad probandam confeſſionem auricularem. Sic & alia Concilia, vſque ad Tridentinum, ex hac epiſtola Iacobi aduerſus erumpentes hęreſes, teſtimonia Diuina protulerunt.

Concilia, eãdem tanquã Dei verbum ſuſcipiunt.

7 Probatur tertiò Auctoritate Veterum Prtrum. *Agmen* ducat diuinus ille Martyr Ignatius, qui epiſtola ſua ad Epheſios, illud teſtimonium ex cap. 4. huius epiſtolę, tanquàm diuinum aſſumit, *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autẽ dat gratiam.*

8 Dio-

Digitized by Google

8 Dionysius *Areopagita* iuxta interpretationem Maximi commẽtatoris, ex hac epistola assumit illud. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum &c.*

9 Origenes homil. 3. in Exod. citat illud ex cap. 4. *Resistite autem Diabolo, & fugiet à vobis*; & homil. 8. illud ex cap. 1. *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis.* Eusebius apud Damascen. lib. 1. Paralell. cap. 9. assumit illud ex cap. 1. *Nemo cùm tentatur dicat quia à Deo tentatur.* Antonius Erçmita epist. 1. ex cap. 1. eiusdem epistolæ, Athanasius epistola de Nicæna Synodo, & epist. ad Episcop. Africe ex cap. 1. Ephrem de vita Spirituali cap. 91. ex cap. 2. & lib. de pœnit. & conuersione ex cap. 4. Basilius in Asceticis ex cap. 2. Gregorius Nãzianz. orat. 28. Chrysostomus serm. adhortatorio in Eucharis. ex cap. 2. Cyrillus Alexandrinus in cap. 4. Ioann. ex cap. 2. Pelusiota lib. 1. epist. 93. ex cap. 3. huius epistolæ Iacobi Apostoli, vna cum alij Græcis Patribus testimonia acceperunt.

10 Consensiunt Patres latini. Nã Tertullianus lib. de orat. cap. 8, Ambrosius de Quadraginta duabus Mansionibus Mans. 18, Hieronymus lib. 1. cont. Iouini. cap. 24; Chromatius ad cap. 5. Matth. Arnobius Romanus in psal. 32; Fulgentius lib. 1. ad Monimum, & Petrus Damianus epist. 5. ex capite 1. epistolæ Iacobi sumunt auctoritates; similitèr Cyprianus lib. ad Nouat. quòd lapsis venia non est denegãda ex cap. 4. adducit illud. *Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam*; Augustinus epist. 29. quæ est ad Hieronymum, Saluianus lib. 3. de prouidentia, Eucherius in 4. lib. Reg: Anselmus Centuarienſis in cap. 3. epist. ad Rom. ex capite 2. epistolę controuersę sicuti, & alij Patres latini, pro fidei dogmatibus stabiliendis, testimonia desumpserunt, eamque vt verè diuinam & Canonicam susceperunt. Longum esset recensere omnes, hæc sufficiãt.

11 Probatur 4. specialibus Protestantium principijs, & testimonijs inhærendo. Erasmus, qui peruersa sua Bibliorum versione, omnibus erroribus viam strauit, luctuosamque de libris Canonicis tragœdiã innouauit, sic de epistola Iacobi scripsit: *Spiritum Sanctum eius auctorem osculemur.* Martinus Luther suæ doctrinæ supra traditæ immemor, diuerso loquitur idiomate in præfatione huius epistolæ; etenim ibi, eã multis ornat encomijs; ac bonam, instituendisque moribus vtilem esse dicit: *Vt qui volet, in Canonicarum Scripturarum numero habeat.* Indè Franciscus Gummarus in suo Anticostero cap. 9. fol. 488. asserit, *Lutherum priorem suam sententiam retractasse.* Beza, & Vuitakerus lib. 1. q. 1. cap. 16.; & contra inuictum Christi martyrem Campianum, illã vt Canonicam suscipiunt. Bullingerus, in Argumento huius epistolæ, inquit: *Nostro sæculo mirè vtilis est laborat enim ijsdem morbis, propter quos D. Iacobus eã edidit.* Ad necessitatẽ bonorum operum respicit. Et iterum idem Bullinger. *Nimis (ait) quidem procaciter Epistolam D. Iacobi quidam contempserunt, tractaruntque scurrilitèr, cui pepercissent meritò vel propter antiquitatem, vel propter salubria, quæ in ipsa continentur, vitæ præcepta.* Caluinus pro eadẽ epistola sic scripsit: *Ego quia nullam eius repudiandæ causam satis iustam video, libentèr eam sine controuersia amplector.* Hæc illi pro nobis.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

12 ARguit primo Erasmus. Epistola hæc, non Christiano, sed Ethnico more descripta est, non Iesum Christum, non gratiã, non spiritum spirat vt reliquæ Apo-

ſtolicæ epiſtolæ ſpirãt; nec ſcriptor ſe *Apoſtolum* nominat, ſed tantùm ſeruum Chriſti ſe attitulat, dum ait: *Iacobus Dei, ac Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruus.* Et licet in aliquibus latinis codicibus reperiatur ly *Apoſtolus*, non tamen reperitur in Græcis: ergo non eſt Canonica.

14 Reſpondetur; quòd neſciunt Romano-Catholici vndè probet, & deducat Hæreticus audax, epiſtolã hanc controuerſam, nec Chriſtum redolere, nec ſpiritus gratiam. Contrarium certè, experiẽtia duce, oculis cernimus, manibus attrectamus. Nec hæretico viro ſpiritu vertiginis agitato, omni teſtimonio deſtituto, credendum eſt. Quòd vero Iacobus, ſe non attitulauit Apoſtolum: fortaſſis hoc fecit vt deferret Apoſtolo Petro, qui erat *Apoſtolus* eorum, qui ex circumciſione crediderant; eoſdemque volens conſolari diſperſos, à titulo Apoſtolico voluit abſtinere, ſicut cùm Oecumenio dicemus inf. de Ioanne, qui, in ſuis epiſtolis, noluit ſe *Apoſtolum* attitulare, vt Paulo deferret.

15 Nec eſt firma argumentatio: Iacobus non ſe attitulauit *Apoſtolum*; ergo Iacobus, non eſt epiſtolæ huius auctor, nec illa eſt canonica; nam, ſi quid valeret hæc conſequentia, neceſſarium eſſet, ex Albo canonicarum epiſtolarum, eradere, epiſtolam ad Philippenſes, ad Theſſalonicenſes, ad Philemonem &c. in quibus Paulus, ſe non attitulauit *Apoſtolum*. At garriat ad libitum *Aduerſarius*; nàm, vt ait Siſtus Senẽſis, vetuſtiſſimi latinorum Codices, multaque Græca exemplaria, in ſalutatione huius epiſtolæ, *Apoſtoli* nomen habuerunt; & ſi nomen hoc, in aliquibus deeſt, caſu, vel hæreticorũ malitia, inter vſum, ac eraſum eſt.

16 *Arguit* ſecundò Lutherus in poſteriori editione. Huius epiſtolæ auctor Chriſtianos inſtruere intendit; & in tàm prolixa inſtructione, nihil meminit de Paſſione, Reſurrectione, & de Chriſti ſpiritu; nihil docet de Chriſto; ſed loquitur de cõmuni fide in Chriſtum: ſolùm vrget legem, & opera legis: omnia inordinatè miſcet, atque confundit; & volens illis occurrere, qui in fide ſine operibus ſpem ponebant, nimius fuit ad hoc perficiendum, infirmis viribus. Igitur non eſt Apoſt. &c.

17 *Reſp. Argumẽtũ* hoc, ex multis mendacijs à Luthero conſarcinatũ, fuiſſe diluitum à Iunio Caluiniſta, dicente, impia eſſe epitera illa, ac falſitates *Aduerſariorum*. Et certè falsũ eſt, Iacobum hic nihil loquutum fuiſſe de Chriſto; nam cap. 5. meminit Paſſionis, dùm ait: *Addixiſtis, & occidiſtis iuſtum, & non reſtitit vobis:* Meminit ibi Iudicij nouiſſimi dicẽdo: *Patientes igitur eſtote fratres vſque ad aduentum Domini &c.* Et iterum; *ecce Iudex ante ianuam aſſiſtit.* Meminitque Spiritus Chriſti, qui nobis per Sacramenta tribuitur, dùm & de Sacramento extremæ vnctionis, clariſſimè loquitur ibidem, dicens: *Infirmatur quis in vobis &c.* Et de lege Euangelica, quæ principaliter conſiſtit in Spiritu Chriſti, ait: *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quòd poteſt ſaluare animas veſtras &c.* quæ omnia acerbiſſimè viuum Lutheri cordis færiũt. Igitur, falſum eſt quòd epiſtola hæc, ſolùm inculcet legem & opera legis. Et adhuc ſi tantùm ea vrgeret Iacobus, non per hoc è Canone eſſet obliteranda eius epiſtola: nam, etiam ipſis *Aduerſarijs* fatentibus, Prouerbia, & Eccleſiaſtes, inter Sacros Codices recenſentur, & tamẽ in illis præcipuè de moribus agitur. Propugnat autem in hac epiſt. Iacobus quàm vehementiſſimè bonorũ operum neceſſitatem, quia hic fuit huius edendæ epiſtolæ finis, contra hæreſes tunc temporis exortas, ſola fide contentas, vt diſertiſſimis verbis teſtatur Auguſtinus lib. de fide, & operibus cap. 14. *Quoniam* (ait)

ergo

Digitized by Google

ergò hæc opinio fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Epistolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, contrà eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementèr astruant, Fidem sine operibus, nihil prodesse: sicùt etiam ipse Paulus non quamlibet Fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planèque Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt. Legat autem Lutherus æquis oculis Iacobi Epistolam, & videbit ibi necessitatem bonorum operum fortissimis rationibus propugnari. At oculis ægris, odiosa lux veritatis.

18 *Arguit* 3. Lutherus. *Hæc Epistola* Maledictionem legis veteris, iam per Christum solutam, iterùm fidelibus tentat imponere, dùm cap. 2. dicit: *Qui in vno offendit, factus est omnium reus*; quod si verum esset, falsò Christus dixisset Matt. cap. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Rursus, cum dicit cap. 3. *In multis offendimus omnes*, per omnem vitam nos facit reos vniuersæ legis, vt post illam, non nisi à vita æterna excludi, superfit. Quod quidē falsū est.

19 Respondetur ex D. Augustino serm. 4. de temp. quòd ly *in vno offenderit.* Nō intelligitur quomodocūq: sed de offensione mortali contra Charitatem; *Non est aliud* (ait) *illud vnum, nisi quòd Apostolus dixit, quòd omnis lex, in vno sermone completur, Diliges Dominum Deum tuum &c.* Omnium enim rei efficimur, dùm contra Charitatem facimus, vt dicit idem Augustin. epist. 29. ad Hieronym. *Faciendo* (inquit) *contra eam, ex qua omnia pendent.* Vel, vt ait D. Thomas par. 3. q. 73. art. 1. ad primum, quia incurrit pœnæ reatum, faciendo contrà Deum, omnium Præceptorum Auctorem quem contemnit, ex cuius contemptu proueniunt vniuersorum peccatorum reatus; per quòd non tollitur, quin Christi iugum sit suauissimum, ac charitatis, & amoris, Nec videtur lex vetus instaurari.

20 *Ad* illud quòd additur, scilicet, *In multis offendimus omnes.* Dicimus quòd non loquitur de mortalibus, sed de venialibus culpis, de quibus Prouerb. 24. dicitur; *Septies enim cadet Iustus, & resurget &c.*, pro quibus humilitèr, & veracitèr Deo dicunt Sancti Matt. 6. *Dimitte nobis debita nostra*, vt passim *D. Augustinus* cum Concil. Mileuit. cap. 7. fatetur.

21 *Arguit* 4. Lutherus. Phrasis huius Epistolæ non refert grauitatē, & Maiestatem Apostolicam, quia præponit illam vocē salutationis Gentilibus consuetam, cap. 1., *Iacobus Dei, & Domini Nostri Iesu Christi seruus duodecim tribus, quæ sunt in dispersione, Salutem.* Ergò nō est inter Canonicas tecensenda.

22 Respondetur, negando assumptum. Experientia namque docet, vniuersique Patres prædicant, Epistolam hanc grauitatem, Maiestatemque spirare Apostolicam, Apostoloque Spiritu dignam, (vt ex Protestantibus ipsis etiam vidimus) & dùm Iacobus ibi seruum Dei, & Domini Nostri Iesu Christi se appellat, nihil grauiùs, ac religiosiùs dici poterat. Quòd autem ijs, ad quos scribit, Salutem dicat, non Gentilitium, sed Apostolicum Spiritum redolet, cùm æternam, nō temporalem Gentilium salutem præcetur.

23 *Arguunt* 5. Hic multa asseruntur, quæ dictis Apostoli Pauli aduersantur; Vocat enim Iacobus cap. 1. legem veterem, *legem perfectam libertatis*, cùm tamen Paulus ad Galat. 5. eam vocauerit *legem, Iugum seruitutis.* Igitur epist. hæc non potest esse *Apostolica.*

24 Respondetur, quòd nescio qua fronte asserunt Aduersarij, Iacobum loqui de lege veteri: Verba eius sunt hæc cap. 1. *Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic Beatus in facto suo erit,* Vbi quæsò hic lex ve-

Digitized by Google

eus? Loquitur ergò de lege noua, & gratiæ; Paulus verò de lege Veteri: illa est amoris, ista, (vt ait D. Augustinus de natu. & gratia cap. 57.) est timoris, *timorem incutit, non tribuit charitatem*, & propterea illa, scilicet lex noua, quia non est timoris, sed charitatis, dicitur lex libertatis.

25 *Arguunt 6.* In hac epist. cap. 2. dicitur *Abraham iustificatum ex operibus*, cùm tamen D. Paulus ad Roman. cap. 4. dicat: *Non ex operibus Abraham iustificatum, sed ex fide*, vt habetur Genes. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Igitur epist. hæc, non est Apostolica, cum ab analogia Fidei, & Apostolo Paulo discedat.

26 Respondetur. Quòd Paulus loquitur de prima iustificatione, quæ fit absque præcedentia meritorum: Iacobus verò de augmento iustificationis, & gratiæ, quæ habetur virture operum meritoriorũ, vt est opus, & actus assensus Fidei eius, qui iam est in gratia constitutus, & sic omnia consonant.

27 Instat Hunnius; Responsio hęc, est nugatoria; & hoc commentum, euertit historiam Geneseos, (in capitibus ante caput 15.) enarratam; nàm, tùnc Abraham iustificatus est, cum vocatus, vt egrederetur de terra sua, & cognatione sua; egressus est: Quarè capite 15. non est iustificatus, sed pronunciatus, & declaratus iustus sola fide, sine operibus.

28 At, vt video, Lutheranus iste delirat. Vndè enim probat, tùnc Abraham esse iustificatum, quando vocatus est, vt egrederetur de terra sua, & postea cap. 15. Geneseos tantùm esse pronunciatum, & declaratum iustum? Vnum scio, quòd D. Paulus memorans factum in hoc capite 15. enarratum, dicit, quod *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*; Et quòd ibi (vt ipse fatetur Aduersarius) de vera iustificatione loquatur; nam, vt constat ex textu, Apostoli intentũ erat, de vera, & prima iustificatione tractare, ad quam euincendam, testimonium illud ex cap. 5 Geneseos sumpsit, Iacobus verò loquitur de augumẽto. Responsio ergò data, nec nugatoria est, nec commentũ illud, euertit historiam.

29 Arguunt 7. In hac Epistola, controuersa, citantur testimonia desumpta ex Petro, & Paulo: igitur huius Epistolæ Auctor, fuit illis auctoritate, & ætate posterior: *At* certum est Iacobum Apostolum illis fuisse auctoritate parem, & ætate coæuum, ergò non est Iacobi.

30 Respondetur. Quòd nùnc scio verè, quòd spiritu ducantur vestigini Protestantes. An non vident in hoc, quòd vnus, atque idem Spiritus Sanctus, (vt notum faceret se vnicum, atque eundem horum omnium *Auctorem* esse) similes, atque easdem, quandòq; sententias, diuersis *Apostolis*, ac Prophetis inspiranerit? Legant cap. 2. Isaiæ. & cap. 4. Micheæ, & reperient insignem de Christo Domino Prophetiam, non solùm similibus, sed & iisdem ferè verbis descriptam. *In* vtroque enim Propheta sic legimus: *Et erit in nouissimis diebus præparatus Mons domus Domini.* Et tamen, Isaias, & Micheas eodem vixerũt tempore, cùm vterq; initio sui libri se scripsisse testetur in diebus Ioatham, & *Achaz*, & Ezechiæ Regum Iuda. Verùm puto, Aduersarios indè esse deceptos; quod ad marginem libri, è regione verborum Iacobi, loca quædam Petri, & Pauli viderint annotari. At hoc etiã videmus in marginibus Epistolarum Pauli notari quædam loca ex Epistolis Petri, & aliorum Apostolorum: Et ad marginem prioris epist. Petri, & primæ Ioannis, plurima loca Pauli annotantur, nec per hoc, Epistolæ istæ in dubium reuocantur ab *Aduersarijs*. Iniquo ergò iure, Iacobi epistolam reijciunt, ex hoc capite.

31 *Ar-*

Digitized by Google

31 Arguit 8. Lectius Caluinista, Lutheranorum partes cont. Præsidem Fabrũ defendendas suscipiens lib. 1. præscrip. Theologicarum negat. 10. air: *Sed cur Luthero uni impingis, quod ante eum graues alij in Ecclesia viri censuerunt? Sic enim de ea Eusebius lib. 2. eccles. histor. cap. 22. in fine. Velim omnes scire eam esse adulterinam.* Ergò hæc Epistola ex Eusebio, &c.

32 Respondetur demirando viri impudentiam, ac infidelitatem in Patrum testimonijs recitandis. Primùm, citat cap. 22. Eusebij, in quo, nec de Iacobo, nec de eius Epistola aliquid legitur. Quæ, de hac Epistola controuersa, scribit Eusebius, habentur cap. 23., cuius verba sunt sequentia: *Hactenùs de Iacobo, cuius illa habetur Epistola, quæ prima scribitur inter eas, quæ Catholicæ appellantur. Sciendum tamen est, quòd à nonnullis non recipiatur, nec facilè, quis antiquorum meminerit eius. Nos tamen scimus etiam istam cum ceteris ab omnibus penè Ecclesijs recipi.* Hęc Eusebius ibi, impress. Basileę 1539. dùm Lutheri hęresis maximè grassaretur. Quòd ab aliquibus olim sit de hac Epistola dubitatum, (vt innuit Eusebius) hoc fuit, antequam Concilia, & Pontifices aliquid certum de ea statuissent, vt quo ad nos declararetur Canonica, quę in se, & in actu primo diuina continebit eloquia.

LECTIO IV.

De Secunda Epistola D. Petri, è Sacro Canone à Protestantibus reiecta.

1 PRotestantes, peruersi seductores Orbis, vt cuilibet foramini nasum figant, secundam D. Petri Apostoli Epistolam, (Sanctum, atque Diuinum Spiritum redolentem) reijciunt. Audite.

Mendacium Protestantium.

2 GErmanorum Pseudopatriarcha Lutherus in Germanicis suis Biblijs; Secundam Petri Apostoli Epistolam, nec in Sacrorum voluminum Albo, nec esse Petri Apostoli, (sed incerti cuiusdam Auctoris, qui ingenij sui partus, nominis alieni splendore voluit illustrare) sustinet. Sequuntur eum Brentius in Apolog. Confess. Vuittembergensis cap. de Scriptura, Kemnitius in exam. cap. vlt. sess. 4. Centuriatores, Aretius, Bullingerus, & alij.

VERITAS CATHOLICA.

Secunda Epistola D. Petri, verè Petrum habet Auctorem, & inter Canonicas Scripturas est recensenda.

3 PRobatur generalibus principijs Protestantium inhærendo, ex totius Antiquitatis vnanimi consensu. Primo auctoritate Romanorum Põtificum, qui ex hac epistola citarunt testimonia. *Anacletus* epist. 3. citat illud ex cap. 3. *Propter quod Charissimi hæc expectantes satagite immaculati, & inuiolati, ei inueniri in pace.* Pontifices, 2. epist. Petri in Canone locant.

4 Cornelius Papa epist. 2. citat illud ex eodem 3. cap. *Vnus dies apud Dominum, sicut mille anni.*

5 Leo Papa primus epist. 102. ad Præsbyteros Alexandriæ, citat illud ex hac epist. cap. 3. *Non tardat Dominus promissionem suam, sed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire &c.*

6 Pelagius secundus (anno 579. D. Gregorij Magni prædecessor) epist. 1. citat. illud ex cap. 3. *Si quid patimini propter iustitiam, beati.* His adde supra recensitos Pontifices qui hãc epistolã inter Canonicas Scripturas numerarunt, vt Innocent. Gelas. &c.

7 Prob. 2.

Digitized by Google

Concilia declarant 2. Petri esse canonicam.

7 Probatur secundò Auctorit. Sacrorum Conciliorum supra recensitorũ, à quibus epistola hæc 2. D. Petri, in sacro librorum Canone collocatur. Concil. enim Laodicenum c. 58. hanc epistolam, cum alijs, in Canone recenset, dum ait: *Epistolæ Catholicæ septem, nempè Iacobi vna, Petri duæ, Ioann. 3. Iudæ vna.* Illis tamen adde Concilium Parisiense anno 559. celebratum, lib. 1. cap. 9. vbi citat illud epist. 2. Petri cap. 2. *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ.*

Patres 2. Petri epist. vt diuinam recipiunt.

8 Probatur tertiò *Auctoritate* Veterum Patrum Græcorum. Sãctus Athanasius, Gregorius Nanzianz. Damascenus, & alij qui Sac. Script. Catalogum attexuerunt, secundam Apostoli Petri Epistolam, inter Canonicas Scripturas enumerant. Et alij Patres, pro Catholicis dogmatibus, & fidei litibus sopiendis, ex hac 2. Petri epistola, tanquam verè diuina, testimonia producunt. Iustinus Martyr dial. cum Triphone ex cap. 3. eiusdem epistolæ, Hippolytus de Conseruatione sæculi ex cap. 3. Origenes in Leuit. ex cap. 4. (qui etiam homil. 7. in Iesum Naue, ait; *Petrus enim duarum Epistolarum suarum personat tubis.*) Athanasius Orat. 2. cõtra Arianos ex cap. 1; Ephrem Syrus lib. de varijs tormentis Inferni ex cap. 1. Cyrillus epistola ad Præsbyteros, &c. in solitudine vitam agentes, ex cap. 1. Isidorus Pelusiota 1. ep. 92. Theodoretus in 3. orat. Danielis ex cap. 2. Procopius Gazeus, & Ischius lib. 2. in Leuit. ex cap. 1. Damascenus in Paralellis lib. 1. cap. 6. ex cap. 2. Ioãnes Hierosolym. de instit. Monachorum cap. 10. ex cap. 1. epistolæ 2. Petri testimonia, tanquam verè diuina protulerũt, sicut & multi alij Patres Græci. Vnde Cyrillus Hierosolymitanus Cathec. 4. dixit: *Noui Testamenti Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ Epistolas suscipe.*

9 Accinunt Patres Latini; Nam Philastrius, *Augustinus*, Cassiodorus, Isidorus, Rabanus, & alij, Catalogum Canonicorum librorum constituentes, hanc 2. Petri Epistolam, inter *Diuinas* Scripturas accensuerunt. *Sed* & alij, vt Vigilius Tridentinus lib. 5. cont. Euthychetem, Fulgentius ad Trasimundum Regem lib. 2. cap. 2. & lib. 2. de remissione peccatorum cap. 2. Eucherius lib. 3. Reg. cap. 22. Eligius homil. 8. ex hac Epistola testimonium desumpserũt. Similiter Cyprianus epist. 68. alludẽs ad testimoniũ ex cap. 2. huius epist. ait: *Apostolorum voce in nouissimis tẽporibus prædictos illusores ostendit.* Ambros. in cap. 1. epist. ad Philippenses cit. illud, *vt sitis consortes diuinæ naturæ.* Hieronym. lib. 1. aduersus Iouinianum cap. 15. illud, *Venient in nouissimis diebus illusores seducentes.* Et ad Paulinum de *Diuinæ* historiæ libris, inquit: *Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas Epistolas ediderunt breues in verbis* (audite Lutherani) *longas in sententijs.* Augustinus lib. de fide, & operibus cap. 22. cit. illud ex cap. 2. *Hi sunt fontes sine aqua &c. quibus caligo tenebrarum reseruata est.* & lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 33. assumit illud, quod *Deus Angelis non pepercit.* Prosper de promiss. & prædicationibus p. 3. cap. 10. illud, *non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia.*

10 Probatur quartò, ratione euidentissima Venerabilis *Bedæ*, & *D.* Gregorij homil. 18. in Ezechielem. In hac secunda Petri epistola cap. 1. scriptum est; *Voce delapsa ad eum huiusce modi à magnifica gloria, hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* De illa transfiguratione loquitur, quæ contigerat in Monte Sancto Tabor, vt patet per hæc verba quæ ibi sequuntur. *Et hanc vocem nos audiuimus, cum essemus cum ipso in Monte Sancto*, subiũgit Gregorius, *legant itaque Euangelium, & protinus cognoscent, quia cùm vox ista de Cælo venit, Petrus Apostolus*

cum

cum Domino stetit: ipse ergo hanc epistolam scripsit, qui hanc vocem in monte de Domino audiit.

11 Probatur quintò ex specialibus Protestãtiũ principijs, & cõfessionibus. Martinus Lutherus præfat. epist. ad Hebræos, inter alios libros quos tanquam Canonicos acceptat, hanc epistolam 2. Petri recẽset. Caluinistica Synagoga in Possiacẽsi Cõfessione art. 3. generalem censuram Aretij, Bullingeri, & Vuitakeri de libris Canonicis acceptat; Hi Protestantes hæc duo ibi inconfesso habent: *Quos libros noui testamenti Canonicos esse statuunt Papistæ, hos Ecclesia nostra omnes, & solos recipit. Quos Tridentina Synodus Noui Testamenti libros recensuit, hos Ecclesia nostra omnes, & solos recipit.* Hæc specialiter Bulling. se ipsum iugulans. Et Vuhitak. lib. cont. Bellarmin. Contrau. 16. c. lib. 1. nomine omniũ suorum ait: *De auctoritate nullius libri, qui pertineat ad nouum testamẽtum dubitamus, nec verò de auctore.*

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

12 ARguit primò Erasmus. Hæc 2. epistola ex diuersitate styli non videtur esse Apostoli Petri, si cum prima epistola conferatur.

13 Respondetur eodem modo quo supra lect. 2. ad 3; quòd non licet ex styli diuersitate, Auctoris diuersitatem inferre, vt compertum est. Hæc autem ratio non minus aptè inferret hanc secundam, quàm primam Petri epistolam non esse Canonicam; etenim stylus primæ à secunda, & stylus secundæ a prima, deprehenduntur æquali modo diuersi, vt autem ait Hieronymus epist. ad Hedibiam, huius styli diuersitas, ex diuersitate interpretum, quos Petrus adhibuit, ortum habuit.

14 Arguit 2. Aretius. In Syriacis Biblijs, hæc epistola non reperitur ergo &c.

15 Respondetur quòd splendidè mentitur Aretius; nam, epistola hæc controuersa, in Syriacis Biblijs reperitur, vt ait Caietanus; & è Syriaco, transtulit in latinum Idioma Balthasar Ezelius, quam Syri, Alexandrini, Æthiopes, Maronitæ vt canonicam suscipiunt; eamque S. Ephrem Syrus vt verè diuinam citat in serm. ad pietatis certamen; & sermone cõt. impudicos; & Paranæsi 9. & 41.

16 Arguunt 3. Dydimus antiquissimus Scriptor in fine sui commentarij in hanc epist; ait; illam ab hæreticis adulteratam ex illis verbis cap. 1. huius epist: *Cæli erant prius. & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus perijt.* Hæc verba, cũ probent dogma illorum Hæreticorum, plures mundos, mundorumque creationes statuentium, ab ijs fingi potuerunt. Præterea, in eadem epist. subditur, *Cæli autem, qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt igni reseruati.* Et infra, *Aduenient autem dies Domini vt fur, in quo cæli magno impetu transient.* Quæ probant cælos esse corruptibiles, cùm tamen natura sua incorruptibiles sint.

17 Respondetur; Deceptum fuisse Dydimum, nec eius auctoritas tanti facienda est, vt sententiæ Sanctæ Matris Ecclesię possit prejudicare, maxime cùm is vt Origenista, fuerit in quinta Synodo cùm Euagrio, & alijs eiusdem sectę damnatus. Ad probationem adulterationis per illa verba. *Cæli erant prius &c.* adducta in Argumento: dicimus, non sequi errorem illorum Hęreticorum; nam vt ait Augustinus lib. 20. de Ciuit. cap. 18. ibi *Cæli* nomine, intelligitur aer (iuxta Scripturę morem) Vndè, hac expositione suppositа, sic verba illa explicant Beda, Oecumenius, & alij; Cœlos, ideſt, aerem, & terram, quo ad accomodatam statui

Digitized by Google

tui viuentium disposition, esse *de aqua*, quia ab aquis segregata, & denudata sunt, & *per aquam*, quia aer per aquam, tanquam per materiam fit humidus; sicut, & terra, per eandem tanquam per gluten. Humidũ enim, est omnium sublunarium alimentum, proportione tamen seruata. Et quòd hæc fuerit D. Petri intẽtio, vt Cœlum pro aere acciperetur, patet ex verbis quæ adducuntur in argumento ex eadem epistola ibidem, vbi de ijsdem Cœlis loquens, ait, hos esse repositos in die *iudicij ad peregrinas impressiones*; At certum est aerem, & non cœlos propriè dictos esse dictis impressionibus expositos, cùm sint huiusmodi impressionis incapaces. Et ita ex cõtextu eiusdem epistolæ, soluitur argumentum veritasque solutionis fit manifesta.

LECTIO V.

De Epistola Iudæ Apostoli, è Sacro Canone à Protestantibus eliminata.

1 IVdæ Apostoli Epistolam, quam vt Catholicam, & Canonicam perpetuus Ecclesiæ consensus agnouit, Protestãtes atro carbone signarunt. Audite.

Mendacium Protestantium.

2 LVtherus, qui iam extinctũ omnium hæresum ex Orco reuocauit incendium, præfat. in epist. Iacobi, de eadem, inquit: *Et si hanc Epistolam non improbo, non tamen opus est, vt in Canonem referatur, ex qua fidei Sacramenta probentur.* Eũ sequũtur sui, Brentius in cõfess. Vuittẽberg. cap. de Sac. Script. Centuriat. Magdeburgenses lib. 1. cent. 2. cap. 4. de Scrip. Noui Testam. Kemnitius in exam. Concil. sess. 4. & alij,

VERITAS CATHOLICA.

Iudæ Apostoli Epistola, Canonica est atque Diuina.

3 PRobatur primò generalibus Protestantium principijs inhærendo, ex totius Antiquitatis vnanimi consensu. Primò *Auctoritate Summorum Pontificum*, qui suis decretis mandarunt hanc epistolam, vna cum cæteris (iam suprà propugnatis) vt Canonicas recipi; Præcipuè Innocentij primi epist. ad exuperium Tolosanum, vbi ait: Item Noui Testamenti, *Epistolæ Petri duæ, Epistola Iudæ, Epistola Iacobi, Epistolæ Ioannis tres, &c.* & Gelasij in Concil. 70. Episcopor. qui hanc eandem epistolam in Canone recensuit. Item, ex eadem, multi Pontific. testimonia sumunt.

4 Probatur 2. *Auctoritate* Conciliorum. Concilium Laodicenum cap. 58. hanc epistolam controuersam, vnà cum alijs in Sacrarũ Scripturarum Catalogo enumerant. *Epistola*, inquit, *Catholicæ septem, Iacobi vna, Petri duæ, Ioannis tres. Iudæ vna.* Quod, & Concilium Carthaginense 3. facit, & reliqua Concilia frequentèr.

5 Probatur tertiò *Auctoritate* Veterum Patrum, qui ex epistola controuersa sumpserunt testimonia. Sufficiat ex multis paucos referre. Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromat, inquit: *Existimo Iudam Propheticè dixisse in epistola similiter quidam hi quoque somniantes &c.* Vndè Eusebius lib. 6. cap. 11. dixit: *Clemens in suis scriptis vtitur testimonijs Iudæ.*

6 Origenes in cap. 5. ad Rom. citat illud; *Angelos quoque, qui non seruauerunt principatum suum, sed dereliquerunt domicilium &c.*

7 Ephrem Syrus lib. de ijs, qui animas ad impudicitiam alliciunt, cùm dicant nil mali esse, (ait, Iudã, epistolam scripsisse; *plenã efficacibus ver-*

Digitized by Google

verbis gratiæ cœlestis. Contra eosdem integram hanc Epistolam, citat Epiphanius cont. Gnosticos hæres. 26. *Ostendit (ait) Spiritus Sanctus per vocem Iudæ, quod ad brutorum similitudinem corrumpantur, & corrũpant &c.*

8 Palladius Diaconus Dialog. de vita D. Chrysost. cit. illud: *Hi sunt in epulis suis maculæ conuiuantes, sine timore semet ipsos pascentes, nubes sine aqua &c.*

9 Cyrillus Alexandrin. ad Reginas, assumit illud: *Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.*

10 Tertullianus de habitu Muliebri cap. 3., dicit: *Eo accedit, quod Enoch apud Apostolum Iudam testimonium possidet.*

11 Ambrosius in cap. 6. Lucæ citat illud, *Impert tibi Dominus.*

12 Hieronym. ad Pammachium de erroribus Ioann. Hierosolymitani cap. 45. cit. illud: *Angelos quoq; qui non seruauerunt suum principatũ &c.*

13 Augustinus de fide, & operibus cap. 25. cit. illud: *Ij sunt (vt ipse vertit) qui in dilectionibus vestris maculati, epulantur.* Hi etiã Catalogum Sacrarum Scripturarum texentes, hanc Epistolam in Canone reponunt.

14 Probatur 4. Specialibus Principijs, & testimonijs Protestantium inhærendo. Lutherus in Germanica versione editionis primæ, antè annũ 1545. qui fuit penultimus suæ nequissimæ vitæ (quod in sequentibus editionibus, à Lutheranis, tamquàm falsum, fuit ab operibus Lutheri erasum) ait: *Quod Epistola Iacobi straminea est, si ad alias Apostolorum Epistolas comparetur*, Ergò alię Epistolæ inter quas est ista Iudæ, non est straminea, neque è Canone eradenda; eò magis, quòd ipse Lutherus in præfat. huius epist. Iudę, eam laudat, imò & Commentarijs exponit. Eandem Apostolicam, & authenticam habet Caluinus in expositione eiusdem, sequuntur eum Lambertus Danęus lib. 1. cont. Bellarmin. cap. 18. Beza, Iunius, Vuhitakerus, Bullingerus, & alij, vt vidimus in precedenti lect. prob. 5.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

15 Arguunt 1. Protestantes. *Auctor huius epistolæ non est Apostolus, sed Apostolorum discipulus*, vt constat ex modo loquendi: Scribit enim sic, *Memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini Nostri Iesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in nouissimo tempore venient illusores &c.* Ergò epistola hæc, non est Canonica.

16 Respondetur vtique Iudam post alios scripsisse, haud tamen iudicandum est illum, per prædicta verba, se excluisse ab Apostolorum numero, sicut nec *D.* Paulus per illa verba ad Hebræos 13. *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt Verbum Dei*, se exemit à numero Apostolorum. *Iudas epistolam scripsit post alios Apostolos.*

17 *Arguunt* 2. De hac epistola, à veteribus dubitatum est, vt constat ex Eusebio, & Hieronymo; Ergò &c.

18 *Respondetur*, quod hæc epistola propter minus notam traditionem; inter *Deutero-Canonicas Scripturas*, (ab aliquibus tantùm) est collocata. Accedentibus postea Conciliorum Sanxionibus: ab Ecclesia vniuersali, vt Canonica est recepta.

19 *Arguunt* 3. Iudas in Perside prædicauit; ergò si scripsisset epistolam hanc, vtique non Græcè, sed Persicè scripsisset.

20 *Respondetur*. Argumentum planè esse ridiculum; Nec enim Matthæus in Æthyopia degens Æthyopicè, Nec Petrus apud Romanos latinè scripserunt. Incongruum enim erat, (ait Rogerius de lib. Canon. cap. 30.) *Apostolos* eo idiomate scribere, quo, vtebantur nationes illæ, apud quas commorabantur:

Digitized by Google

litteræ namque, ea lingua sunt scribendæ ad absentes, qua loquuntur illi ad quos mittuntur, vt ab illis intelligantur. Scripsit autem Græcè, quia hoc idioma erat in Orbe commune.

LECTIO VI.

De secunda, & tertia Epistola D. Ioannis Apostolis, è Sacro Canone à Protestantibus resecata.

1 MIra equidem Nouatorum temeritas, dùm pro arbitrio Scripturas damnant, vel recipiunt, ac Dei Verbum, Religionemq; ipsam, quæ (et ipsis fatentibus) in diuinis eloquijs potissimùm continetur: persequi non desistunt; contra 2. & 3. Ioannis Epistolam, linguas acuendo; Audite.

Mendacium Protestantium.

2 LVtherus apud Sixtũ Senensem lib. 7. hæresi 9. de secunda, & tertia Epistola Ioannis dubitat. Brentius, Erasmus in Commen. Vnà cum Kemnitio in exam. Concil. sess. 4. & Magdeburg. lib. 1. centur. 2. cap. 4. asserunt, has Epistolas, nec esse Ioãnis Apostoli, nec esse Canonicas.

VERITAS CATHOLICA.

Hæ duæ Epistolæ secunda, & tertia. Sunt Ioannis Apostoli, & recensentur in Canone.

3 PRobatur generalibus Protestantium principijs inhærendo, ex totius Antiquitatis vnanimi consensu. Primò ex ijsdem decretis Summorum Pontificum, & Conciliorum, præcipuè Laodiceni, Carthaginensis, & Romani 70. Episcoporum sub Gelasio Papa; & Innocentij 1. epist. sæpè cit. ad Exuperium, ac ex omnibus alijs, qui ex his duabus Epistolis sumpserunt testimonia, ad fidei dogmata comprobanda.

4 Probatur 2. Auctoritate Veterum Patrum. Clemens Alexandrin. in 2. Epistolam Ioannis, Ioanni eam tribuit, dicens: *Secunda Ioannis Epistola, quæ est ad Virgines scripta, simplicissima est.*

5 Origenes lib. 1. Commetar. in Matth., Ioannem Apostolum tres epistolas scripsisse; recenset, Alexander Alexandri. apud Euseb. lib. 6. cap. 8. ait: *Epistola ad Ecclesiæ Ministros de Arianis docet, non cùm hæreticis communicandum esse, sicut præcipit B. Ioannes, vel ne Aue dicamus.* Athanasius epist. 39. tres epistolas Ioannis agnoscit.

6 Theophylus Alexandrinus epist. ad Hieronymum ex epist. 2. Ioann. sumit iliud: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum.* Idem testimoniũ tanquàm Ioannis citant Chrysosto. homil. 19. cap. 7. Matt., Cyrillus lib. 8. de adoratione in spiritu, & veritate, & lib. 14., & Isichius Hierosolymit. lib. 7. in Leuiticum cap. 25.

7 Lucifer Caralitanus lib. de non conueniendo cum hæretic. ad Constantiũ Imperatorem, adducit illud testimonium ex epist. 2. Ioann. *Rogo te Domine non tanquàm mandatum nouum scribens tibi &c.*

8 Ruffinus in explicatione Symboli tres agnoscit Ioannis epistolas. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. tres epistolas Iõannis in Canone recenset. Vincentius Lyrinensis cont. prophan. vocum nouit. cap. 63. affert illud ex epist. 2. Ioannis: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert.* Idem alij.

Protestantes 3. Ioannis Epistolas Canonicas esse docent.

9 Probatur 3. Specialibus Principijs, & testimonijs Ptotestantium inhærendo. Lutherus præfatione in primam Ioannis de omnibus eius tribus epistolis loquens, ait: *In his epistolis Apostolicũ esse spiritum:* Easq;

cum

Digitized by Google

cum cæteris epistolis Canonicis collocat. *Tunc sic*, contra Erasmum, Kemnitium, & Centuriatores; Sed hi Lutherani plenis buccis fatentur, Lutheri doctrinam esse de Cœlo delapsam, eumque, si placet superis, vt quintum Euangelistam suscipiunt, ergo cum is asserat, his duabus epistolis controuersis *Apostolicum inesse spiritum*, easque esse cum Canonicis Scripturis recensendas; vt Apostolicas, & Canonicas debēt easdem suscipere, & venerari.

10 Præterea Hunnius Lutheranus progenie, hic inquit: *Ioannis Epistolæ duæ posteriores planè videtur Euāgelistæ Ioānis exaratæ stylo, & de secunda quidē res tā clara est, vt meo iudicio negari nō possit: siquidē penè singula, quæ in ea occurrunt totidem fermè verbis in prima canonica monstrari queant.* Hæc illi.

11 Arguunt Erasmus, Kemnitius, & Centuriatores. Harum epistolarum Auctor, Præsbyterum, seù Seniorem se nuncupat: igitur non Ioannes *Apostolus*, sed quidam Ioannes Præsbyter harum epistolarum est Auctor. *Adde* quod Papias apud Eusebium lib. 3. cap. 24. & 25. & Hieronymus in Catalog. Ioann. & Papiæ, duos recēnset Ioannes Epheſi commorantes, *Apostolum* vnum, *Præsbyterum* alterum, ex quo facilè possumus deducere, huius Epistolæ *Auctorem*, potius fuisse *Ioannem Præsbyterum* quàm *Apostolum*.

Ioan. Euangelis. fuit Auctor epist. non Ioā. Presbiter.

12 Respondetur cum D. *Ambrosio* in psalm. 36. quòd cùm Ioannes, ex humilitate, refugeret *Apostoli* titulum sibi vendicare, Senioris, seù Præsbyteri titulum sibi adsciuit. Et vt ait Oecumenius, se ab *Apostolico* titulo abstinuit, vt Paulo deferret, qui primus in *Asia* Euangelium promulgauit. *Ad* illud quòd additur ex Papia, & Hieronymo, dicimus, quòd nihil aliud ex eorum testimonio deducitur, nisi quòd Epheſi duo fuerint Ioannes, (& certè poterant esse cētum) vterque autem epistolas scripserit? *Tacet. At* accedente omniū Patrū consensu, stantibusque Decretis Ecclesiæ, dicendū est, eas Epistolas à Ioanne *Apostolo* fuisse conscriptas, non tamen à *Ioanne Præsbytero*.

13 *Amicabilitèr* agant mecum Protestantes, & euidentissimè ostēdam, quòd neque si multiplices funes, nec si multa iuga bouum admoueantur, consequentia illa ab eis intenta, ex illo antecedente vsquàm trahi, vel colligi poterit. *Inquiunt ipsi: Duo* Ioannes fuerunt eodem tēpore Epheſi; *Apostolus* vnus, Præsbyter alius, vt Papias, & Hieronymus testantur; ergo Ioānes Præsbyter, fuit harum epistolarum Auctor. *A* Propositione copulatiua determinata, ad disiunctiuam quasi determinatam, non valet argumentum; vt si dicatur, duo sunt pedes necessarij ad ambulandum, dexter, & sinister; ergo pes qui deambulando impegit, fuit dexter; nego consequentiam; hoc enim non est arguere, sed diuinare.

Duo Ioannes recensentur Epheſi.

12 Vel dicendum, vnum eundēque fuisse Ioannem *Apostolum*, & Præsbyterum appellatum; *Etenim*, vt ait Hieronymus epist. 85. & recitatur C. legimus dist. 93. Maiores ætate & auctoritate, in Ecclesia, Præsbyteri, seù Seniores appellabantur. Vel tandem dicendum est, cum Oecumenio, quod D. *Ioannes Apostolus*, tunc (cùm has scripsit epistolas, verè Senior erat, & ideò Seniorem se nuncupauit.

LECTIO VII.

De Historia Sudoris Sanguinei Christi Domini Lucæ 22. Mulieris Adulteræ Ioann. 8. & vltimo cap. Marci è Sacro Canone à Protestantibus obliteratis.

1 HOc tandem expectabamus, vt Protestantes, qui specioso Euangelicorum titulo glo-

Digitized by Google

riantur, sacra ipsa Euangelia, vel proculcarent omninò, vel ex parte corroderent. Illud tamen Deo, (eò fortasse consilio,) permittente præstiterunt, vt omnium oculis exponatur, qui sint è libera liberi, ex ancilla serui, ex adultera nothi, ex Euangelio Euangelici. Audite.

Mendacium Protestantium.

Protestantes tria Capita Euangelij corrodunt.

2 TRia illa Sacrorum Euangeliorum fragmẽta in titulo recensita, tanquàm supposititia è Sac. Canone obliterant Anabaptistæ apud Senensem lib. 7. hæres. 3. 4. & 5. Specialitèr tamen Theodorus Beza in annotat. ad Nouum Testamentum anno 1556. ad cap. 8. Ioann. Historiam mulieris adulteræ miserè abeo capite obtruncat, dicẽdo. *Ad me quod attinet, non dissimulo mihi meritò suspectum esse, quòd veteres illi tanto consensu, vel reiecerunt, vel ignorauerunt. Deindè quòd narrat, Iesum solum &c.* Quibus verbis perfidiam suam non dissimulat Beza; dubius quippè in fide, est infidelis.

VERITAS CATHOLICA.

Tres iste Euangeliorum particulæ, verè Canonicæ sunt ac Diuinæ.

Historia Sudoris Christi Sanguinei Canonica ex Pont. & pp.

3 PRobatur generalibus Protestantium principijs inhęrendo, ex totius antiquitatis consensu;

4 Probatur primò, Sanguinei Christi sudoris historiam esse Canonicam; nam eam, 6. Synodus Generalis Constantinopolitana, celebrata anno 680. vt diuinam agnoscit: & licet hoc Cõcil. sit post priora quinque sæcula à Protestantibus exigita, antiquissimum tamen est, illudque non inuitus recipit Caluinus, vt videbimus infra. Similitèr, Chrysost. sermon. *Pater si possibile est*, qui extat in eadem 6. Synodo Constantinopolitana Actio 10. Dionysius Areopagita cap. 4. de cælesti hierarch. de Angeli confortatione meminit: Iustinus Martyr Dialogo cum Tryphone, Sanguineum Christi sudorem commemorat, sic Hippolytus in ps. 2. Ammonius Alexandrin. in Armonia; Athanasius de beatitudine filij cap. 6. negauit, Christum manducasse, & bibisse, & sanguinem sudasse, anathema dicit. Nanzianzen. orat. 4. de Theolog. Epiphan. in Ancorato; Hieronym. lib. 2. cont. pelag. cap. 6. Ruffinus ad psalm. 54. Augustinus de consensu Euangelistarum lib. 3. cap. 4. Philyppus Præsbyter lib. 1. in Iob: Prosper epigrammate 69. & alij.

5 Probatur iterum eadem historia ex Protestantium confessione. Caluinus enim ad suas fouendas impietates, locum istum vt Canonicum assumit; asserẽs enim impius, impie, Christum in horto doluisse, & mestum fuisse, nõ de temporaneæ mortis timore; sed de æternæ horrore, hæc habet: *Mox huius diri, & insoliti horroris certum Argumentum fuisse, sudorem Christi Sanguineum.*

6 Secundo probatur ex totius Antiquitatis vnanimi cõsensu, Adulteræ historiam esse Canonicam. Clemens primus lib. 2. cap. 24. Constitution. Apostolicarum, hanc Adulteræ historiam tanquàm Canonicam Scripturam ex Ioanne depromptam citat. Sic Leo primus serm. 10. de Passione. Gelasius Papa aduersùs Andromachum Senatorẽ. Calixtus Papa epist. 2. (Cæteros Pontifices Roman. prætereo qui longo ordine recensẽri possent.) Concilia item cætera à Laodiceno, & Carthaginensi 3. in quibus sacrorum voluminum Canon editus habetur, idem sentiunt, dum à nullo hæc particula, vel à Ioannis Euangelio fuerit abscissa, vel è Sacro Canone detrũcata.

7 Præterea probatur Auctoritate

Ve-

Digitized by Google

Histor. Adulteræ Canonicam censent pp.

Veterum Patrum, qui historiam adulturæ, vt Canonicam citant. *Ammonius Alexandrinus* in Harmonia Euangel. Athanasius in Synopsi lib. 4. de Euangelio secundùm Ioannẽ; Chrysostom. homil. 60. in Ioann. *Ambros.* lib. 1. posterioris Apologiæ Dauid cap. 1. & lib. 7. epist. 58. Hieronym. in psalm. 38. & 2. cont. Pelag. cap. 7. Ruffinus inuectiua 1. cont. Hieronym. *Augustinus* de adulterinis coniugijs lib. 2. cap. 6. & 7. & in psalm. 50. & tract. 33. in Ioann. vbi ex professo hanc historiam interpretatur; Idacius aduersùs Varimandũ Arrianum; Chrysolog. serm. 115. Eucherius Lugdunẽsis Sabbato post 3. Dominic. Quadragesi. Prosper de vocatione Gentium lib. 1. cap. 8. & alij.

Historia Adulteræ à Protestantibus habetur Canonica.

8 Postremò probatur ex Protestantium Confessione, historiam adulteræ esse Canonicam, Erasmus ad hunc locum Ioann. & si in initio de hac historia dubitauerit, concludit tamen dicendo: *Ex veris igitur hanc historiam adiectam esse, quæ iam auctoritatem habet, non quòd in Apochryphis scripta fuerit, sed quòd eam Papias à suo doctore audiuerit. Quodque hanc Ecclesiæ consensu, vt Euangelio dignam* (audiat Beza suum confessionistam Protestanticum) *Comprobauerit. Proindè nos, quoniam iam vbique recepta est, præsertim apud Latinas, noluimus suo mouere loco, maximè cùm & nos in vno quodam exemplari Græco, partem hanc scriptam reperimus &c.*

Vltimum cap. Marci diuinitus inspiratum ex PP.

9 Tertiò probatur, vltimum caput Marci, verè esse Canonicum, ex totius *Antiquitatis* cõsensu. Clemẽs primus lib. 1. constitutio. Apostol. ic. cap. 1. ex vltim. cap. Marci controuerso tanquàm Canonico, testimonium sumit, dùm citat illud, *signa autem eos, qui crediderint hæc sequentur.* Leo primus epist. 61. ad Theodoretum, citat illud, *qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit.* Cõcilium Carthag. tempore Cypriani sent. 73. alludens ad illa verba, *signa autem eos, qui crediderint* &c. ait: *Christum Apostolis mandasse. Ite in nomine meo, manum imponite, dæmonia expellite.* Concil. Parisiense primum cit. illud *euntes in Mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ:* quẽ locum cit. et etiam Prosper 2. de vocat. Gentium cap. 3. Phylippus Præsbyter ad cap. 37. Iob. *Ambros.* ad cap. 2. Lucæ, & lib. 2. de Spiritu Sancto, & *Arnobius* in psalm. 36. Tertullian. de præscription. cap. 30. dum ait, *Apostolis dedisse Christum, virtutem eandem edendi signa, quæ & ipse,* ad illa verba alluſit, *signa autem eos qui crediderint &c.* Ruffinus verò in psalm. 75. Alcuinus in cap. 6. Ioann. citant illud, *Illi autem profecti prædicauerunt vbique.* Prochorus illud, *& quidem Dominus Iesus postquam loquutus est.* Dionysius Alexandrinus epistola de tẽpore, quo Christus resurrexerit, citat illud, *Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome emerũt aromata &c.* Hoc idẽ testimonium citat Eusebius lib. 10, cap. 8. Athanasius in Synopsi lib. 2. de Euãgel. secundùm Marcum, Cyrillus Hierosolymit. Cateche. 14. Nissenus orat. 2. de Christi resurrectione, Victor *Antiochenus* in cap. 16. Marci, & Theophilactus in cap. 26. eiusdem.

Idem confirmant Protestantes.

10 Rursus, hoc idem probatur ex specialibus principijs, & confessione Protestantium. Caluinus in Ioann; de hac hist. loquẽs, Bezã suũ fidelem *Achatẽ*, his verbis confodit: *Constat, Græcis ignotã fuisse* (aliquibus, nõ omnibus vt vidimus) *Itaq; nõnulli cõperiunt aliunde assutam esse: sed quia semper à Latinis Ecclesijs recepta fuit, & in pluribus vetustis codicibus reperitur, & nihil Apostolico Spiritu indignum continet, non est cur eam in vsum nostrum accomodare recusemus.* Idem fatetur in suis Inst. loquens de hoc cap. Marci controuerso. Lambertus Danæus apud *Andream* Cidonium lib. 1. castigationis Danæanæ cap. 7. de om-

omnibus his tribus partibus hactenus controuersis. ait, *Neminem saltem suorum, de partibus prædictis dubitare.* Sed in hoc, eum medacem facit Theodorus Beza, ex eadem secta Caluini.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

1 ARguunt primò Cont. Histor. Sudoris Sanguinei Lucæ 22; A multis Patribus, fuit dubitatum de auctoritate huius historiæ, cùm in multis exemplaribus non reperiatur.

2 Respondetur ex Hieronymo lib. 1. cont. Pelag. cap. 6. vbi loquens de hac historia, ait: *In multis exẽplaribus tàm Græcis, quàm Latinis eandẽ historiam descriptam reperi.* Eandemque vt Canonicam citarunt, Patres Hieronymo antiquiores, vt vidimus in probatione. *At* mirum non est, si Sancti Patres nihil de hac historia ausi sint determinare, videntes eam in multis corruptis, & mutilatis exẽplaribus non fuisse descriptã. Quare licet, ex hoc, quoad illos, minus notæ traditionis fuerit hæc historia, hoc tamen minimè præiudicat Catholicæ Ecclesiæ, quæ ex numerosioribus, & vetustioribus exemplaribus veritatem exquirens, eam vt diuinam, & Canonicam recipiendam esse mandauit.

Histor. Sudoris Sanguinei in Græcis, & latinis codicibus descripta.

3 *Arguunt* 2. Anabaptistæ, & Beza cont. histor. Adulteræ, ex Eusebio lib. 3. cap. 33. vbi sic dicitur: Papias aliam narrat historiam de muliere, quæ cum multorum criminum apud *Dominum* esset insimulata &c. quam quidem Euangelium secundùm Hebræos complectitur. Et de Hieronymo ait Beza, *Hieronymus quoque 2. cont. Pelagianos dicit hanc historiam in nonnullis codicibus non fuisse descriptam.*

Papias 6. Ioan. discipulus.

4 Respondetur quod non est eadem mulier de qua Ioannes in Euãgelio, loquitur, & Papias, (vt falso putant *Aduersarij;*) Ioannes enim *Adulteræ* meminit, Papias verò loquitur de alia, quæ multorum criminum erat insimulata apud *Dominum*, & de hac loquitur Eusebius apud quem, non habetur ly. *Adultera*, vt patet ex textu Græco secundùm versionem Christoforsoni, qui sic vertit: *Aliam porro Papias narrat historiam de muliere quæ multorum criminum apud Dominum esset insimulata, quam quidem Euangelium secundùm hebræos complectitur*; nulla hic *Adulteræ* mentito. Hæc responsio multis Protestantibus arrisit, vndè Franciscus Iunius de hac distinctione, ait: *Hæc vera certaque distinctio est.* Et Franciscus Nansius Caluinista in notis ad cap. 7. Paraphraseos super Euangel. Sancti Ioannis, ponderat ex versione Chrystoforsoni, mulierẽ illam apud Papiam, non dici adulteram, ac proindè ei, allata distinctio arridet.

Beza decipitur, & decipit. de muliere adultera.

5 Ad illud quod subditur, dicimus quòd verba Hieronymi mala fide citat Beza, & falsò adducit, dicendo, *Hæc historia in multis Codicibus nõ fuit descripta*, sed vera Hieronymi verba sic dicunt, *in Euangelio secundùm Ioannem, in multis, & Græcis, & Latinis Codicibus inuenitur de adultera muliere, quæ accusata est apud Dominum.* Nõ ergo dixit Hieronym. hanc historiam in multis Codicibus non haberi, sed in plurimis tàm Græcis, quàm Latinis Codicibus legi; quod licet verum esset, non tamen benè ex Hieronymi verbis infertur, non enim valet arguere à particulari affirmatiua, ad particularem negatiuam, dicendo, in multis, & Græcis, & Latinis Codicibus inuenitur de adultera, ergo in multis, & Græcis, & Latinis Codicibus non inuenitur de adultera; Idque idem valet, ac si diceretur: historia adulteræ in multis exemplaribus est; ergo in multis exemplaribus non est. Nihil ergo concludit Pedotriba Geneuanus.

6 Ar-

Digitized by Google

6 Arguunt tertiò cont. vltim. cap. Marci. In hoc capite multa Apochrypha videntur inserta, vt patet ex Hieronymo lib. 2. cont. Pelagian. cap. 6. vbi ait *In quibusdam exemplaribus Græcis iuxta Marcum scribitur. Postea cùm accubuissent vndecim Apostoli, apparuit illis Iesus, & exprobrauit incredulitatem, & duritiam cordis eorum &c. & illi satisfaciebant dicentes: Sæculum istud iniquitatis, & incredulitatis substantia est, quæ non sinit per immundos Spiritus, Dei apprehendi virtutem, idcircò iam reuela iustitiam tuã.* Has periodos Apochryphas esse cõstat; Apochryphus est igitur vltim. cap. Marci.

7 Respondetur quòd periodus illa nobis obiecta, esto aliquando, fuerit scripturæ ab aliquibus inserta, tamen Ecclesia Magistra Veritatis, eam, è Sacro illo Marci capite vltimo, sua auctoritate reiecit, & inter Apocrypha relegauit, integro vltimo eiusdem Euangelij capite altè retento, quippè quod Diuinum est, & Canonicum. Quin, & Protestantes, idem vt diuinum suscipiunt, & agnoscunt, præcipuè Caluinus lib. 1. Institut. cap. 17. §. 47. Atque si hæc Protestantibus non sufficiunt de libris Canonicis, nulla certè sufficient.

Digitized by Google

INSTRVCTIO III.

De auctoritate vulgatæ, ac de legitima versione, veraque interpretatione, ac sensu Verbi Dei Scripti.

VErsionum (potissimè hoc tempore volitantium) multitudine, Fidem quodam modo passim in discrimen adduci, Religionemque fermè pessumdari compertum est. Quarè inter pestifera, & deplorabilia, nostri æui, Hæreticorum iurgia, hòc censeo dementatissimum, quòd dicant, Ecclesiam Romanam Verbo *Dei* carere; ac veram Scripturam versionem, interpretationem, Ecclesiamq; simul esse, hoc eorum tempore ortam: Hinc quot capita, tot adulterata Scripturarum exemplaria prælo mandarunt. At Fides Romanocatholica, quæ maior fuit prælio Gentium in persecutione, maior est, & prælo, Hæreticorum in impressione, & quæ Sanguinem vicit, potest etia atramentũ vincere. Vtpotè non sæculi more, sed Christi succensa amoris ardore semper vincere, (vinci nunquam) consueuit: Hoc amore inflammati, veræ Fidei cultores, hoc Charitatis vinculo Romanocatholici colligati, & si toto Orbe diffusi, vno tamen vulgatæ editionis ore, eadem Spiritus Sancti verba loquuntur, adeò vt rectè illis accomodatum fuerit illud; *Erat autem terra labij vnius, ac sermonum eorundem.* Quinque hic contra veritatis hostes stabiliemus primò, inconcussam vulgatæ editionis auctoritatem in rebus Fidei, & morum. Secundo proferemus Iudicium, & sententias Protestantium, quibus versiones proprias inuicem damnant. Tertiò de obscuritate Verbi *Dei* Scripti, eiusq; sensu non omnibus obuio. Quartò de Iure interpretandi Verbum *Dei* Scripti. Quintò quòd Ius interpretandi Verbum Dei Scriptum, Soli Eccles. competat Auctoritatiuè.

LECTIO I.

De inconcussa auctoritate vulgatæ editionis in rebus Fidei, & morum.

1 CHristus Iesus Æternus Amor, ità per amabilem sponsam suam fundauit Ecclesiam, vt in nullo pateretur eam, ab vnitate, & veritate diuelli; (ab vno enim, & à vero, vnus est, idemque recessus) Quapropter, sicùt in ea est vnicum visibile Caput, vnicusq; mos, & cultus; sic, voluit vnico ore suam pronunciari Scripturam, quæ verę Fidei, Religionisque fundamentum esset, & basis. Cùm autem huius Verbi Dei Scripti, (præter antiquas) plurimæ (sed extortę) ortę sint Editiones hoc nostro miserabili sæculo, factum est inter nos, & omnes omninò Protestantes iurgium, quę nam illa sit Scripturarum editio, quæ inconcussam habet auctoritatem in rebus morum, & Fidei, vulgata nè, an alia? Circa quòd Audite.

Mendacium Protestantium.

2 LVtherus (teste Stapylo in Prædicamento doctrinæ Luthericæ) cæteris versionibus spretis, suam tantùm, iactabat, nulli cedere locum; Vndè etiam eius Satrapæ in Synagoga Lipsiensi, cui Melanchthon, Pomeranus, Alexius, & alij ex maledicta illius progenie subscripserunt, cęteris spretis, proprias tantummodò versiones, tanquam authenticas admittunt. 3. Lutherus. Colloquium Lypsiense. Melanchthon. Pomeranus. Alexius.

3 Zuuingliani, nullam paritèr extare versionem authenticam censue-

fuerunt, nisi proprias; Quarè in præfat. editionis Tigurinę, dixerunt, *Quod Maiestas est in solis fontibus, quòd versio fuit libera, & non posse probari Christi Ecclesiam vlli vnquam certæ translationi fuisse alligatam.* Hos sequuti sunt Kemnitius, & alij.

Kemnitius. Caluinus.

4 Ex his lacunis biberunt Caluinus, qui in *Antito.* Concil. Trident. in illud, plaustra conuiciorum effutit, dicendo: *In translationibus præter vnam vulgatam damnandi, vt crassior est insciti, ita magis barbarum edictū.* Caluinum sequuntur Beza præfat. in Iob ad Reginam Angliæ fol. 6. Vuhitakerus controu. 1. q. 2. cap. 7. Iacobus Rex Anglię in præfat. Apolog. excusę 1608. aduersùs *Bull.* Pauli V. Philippus Mornęus in suo Myster. iniquitatis oppositione. 65. fol. 628.

Beza, Vuhitaker. Iacob. Rex Angliæ Mornæus.

Faius.

5 Tandem Antonius Faius disp. 24. Enchiridij, Kemnitij, Caluini, Gregorij maioris, ac Heshusij vires colligit, ac omnes neruos intendit, vt vulgatæ editionis auctoritatem exsibilet. Nec *Aduersariorum* aliquis est, qui vulgatam nō repudiet, & Pedotribica potestate ad Hebraica, & Greca exemplaria non recurrat.

VERITAS CATHOLICA.

Vulgata editio habet inconcussam, & infallibilē auctoritatē ad firmanda Fidei dogmata, & Mores.

Septuaginta quinq; linguę in Orbe.

6 ANtequam probetur hæc veritas, quædam sunt præmittenda, pro captu dicendorum vtilia. Præmitto primo, quòd cùm 72. in Orbe terrarum potissimas linguas esse cōmunior sententia ferat, teste Addone Viennensi in lib. de sex mundi ætatibus, Scripturę tamen Sacrę Noui Testamenti, tribus tantū linguis sunt traditæ, nimirum Hebræa, Græca, & Latina, Mattheus enim (vt ait Hieronymus) Euangelium suum Hebraica lingua conscripsit; Lucas, & Ioannes Greca; Marcus Latina, quamuis idem postea, Euangelium in Grecam transtulerit, Damaso de vita S. Petri, & Origene lib. 1. in Matt. apud Eusеb. lib. 6. hist. cap. 18. testibus. Libros verò veteris Testamenti totidem, sed non ijsdem linguis fuisse conscriptos, Hieronymus, tradit in prologo Galeato: nam Tobias, Iudith, Daniel, & Esdras Chaldeo sunt sermone conscripti. Idque factum esse puto, ex eo, quòd Hebręi, qui vsque ad captiuitatem Babilonicam, solùm lingua sua Hebręa loqui consueuerant: deducti in Babiloniam, cœperunt obliuiscī linguam propriam, & addiscere alienam, idest, Chaldaicam; At cùm hanc non perfectè omnes pronunciarent, & semper aliquid ex Hebraica retinerent, factum est, vt lingua quędam tertia oriretur ex Hebraica, & Chaldaica mixta, & hanc pro materna, & vulgari Hebręi habuerunt, quę Syriaca, seù Hierosolymitana dicta est, à Regione; Secundus liber Machabæorum Grecè à Hieronymo repertus fuit; Cęteri omnes Hebraicè fuerunt scripti. Hos (opera, & Concilio Ptolomęi Philadelphi Ægyptiorum Regis 350. annis ante Christum) ex Hebræo, & Chaldeo in Græcum à Septuaginta interpretibus translatos fuisse, trita est omnium Doctorum sententia. Post illos verò, qui eosdem libros in Grecum transtulerint; fuerunt: Aquilas, Symmacus, Theodotion, Origenes, Lucianus, Eusebius, & duo alij innominati, quorum interpretationes diuersis locis, & temporibus Origenes inuenit.

Tribus tantum linguis scripturæ Noui Testamenti sunt, editæ, & quibus?

Vetus Testamentū tribus linguis æditum, non tamen ijsdē, & quibus?

Ex lingua Hebraica, & Chaldaica oritur Syriaca. Et quare?

7 Prę ter has Grecas, & alia Latina editio Antiquior, quam Hieronymus antiquam appellat, præfat. in Iob, his verbis: [*Audiant Canes mei, idcircò me in hoc volumine laborasse, non vt interpretationem Antiquam reprehenderem; sed vt illa, quæ in ea obscura sunt, aut omissa, aut certè vitio Scriptorum depravata, manifestiora*

Hieronymus Antiquam interpretationem non comprehendit.

Digitized by Google

nostra interpretatione facerem. Et hanc eandem, idem Hieron. in cap. 49. Isaiæ, vulgatam appellat. *Satis miror* (ait) *quomodo vulgata editio, fortissimum contra Iudæorum perfidiam testimonium, alia interpretatione subuerterit.* Quæ tamen idcircò vulgata dicebatur, quòd ab Ecclesia diuulgata, & probata esset, ac ea Romana Ecclesia, ac Patres communitèr vterentur. Quam Augustinus lib. 2. de Doctr. Christiana cap. 15. Italianam appellauit, & cæteris versionibus, quæ tunc temporis circumferebantur, prætulit, eo quòd esset verborũ tenacior, cum perspicuitate sententiç.

Quæ fuerit olim editio vulgata.

8 Præmitto secundò ex Doctrina D. Augustini, & Hieronymi, hanc vulgatam editionem Latinam, seù Italianam eandem esse cum ea quæ à 70. interpretibus edita, Græcè à Græcis, Latinè à Latinis versa est. Audiamus Augustinum lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 43. dicentem de vulgata: *Hanc tamen, quæ est tanquàm si sola esset, sic recipit Ecclesia, eaque vtuntur Græci populi Christiani, & ex eadẽ, quòd Latinæ Ecclesiæ tenent etiam in Latinam linguam est interpretatum.* Et clariùs lib. 16. de Ciuit. cap. 10. vbi sic ait: *Fiunt anni à diluuio vsque ad Abraham* 1072. *secundùm vulgatam editionem, hoc est* 70. *Interpretum.* Præterea, Hieronymus in epist. quadam ad Principiam, ad Suniam, & Fretellam communem editionem, & vulgatam eam esse, quæ facta est à 70. manifestissimè profitetur dicens: *Cõmunis editio ipsa est, quæ est* 70. Idem repetit, & confirmat in pluribus suæ doctrinæ locis, præcipuè in Esaiam cap. 2. in cap. 4. in cap. 26. in cap. 30. & in cap. 39. Et Augustinus loc. sup. cit. ex lib. 18. de Ciuitate, ampliorib. verbis nostrum intentum roborat, dum ait: *Ex hac interpretatione etiam in Latinam linguam interpretatum est, quòd Ecclesiæ Latinæ tenent.*

Vulgata editio eadem ac Itala.

9 Præmitto tertiò ex eodem Hieronymo in præfat. Euang. & Augustino lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 11. eorum temporibus, adeò Latinas versiones vulgatas Scripturarum præcipuè Noui Testamenti excreuisse, vt tot essent exemplaria, quot Codices; Idque ea ratione factum fuisse, piè putandum est, quòd, cùm illis temporibus Christo proximioribus, (maximè inter Christianos) Pietas, ac Religio vigeret; Christique Domini Sanguis, nuper effusus, feruentiùs in Piorum Cordibus ebulliret, quisque Sacros libros, & præcipuè Nouum Testamentum, cuius solatio frui posset, apud se retinere cupiebat. Et cùm Præli inuẽtio adhuc non esse oborta, indè fiebat, vt quisque ex veteri exemplari, quòd iam ab Apostolorum tempore latinè circumferebatur, Sacros Codices, præcipuè Nouum Testamentum, sibi conscriberet, ac plerique pleraquè non intelligentes, aut rectiùs se facturos existimãtes multa adderent, mutarent, transponerent, subtraherent: vt sensum iusta suam sententiam planiorem redderent, aut Euangeliorum loca inter se æquarent. Testatur hoc totum Hieronymus ipse, præfat. in Euangelistas, vbi sic ait: *Magnus siquidem hic in nostris Codicibus error inoleuit, dum quòd in eadem re alius Euangelista plus dixit, in alio quia minùs putauerint, addiderunt, vel dum eundem sensum alius aliter expressit, ille qui vnum è quatuor primùm legerat, ad eius exemplum cæteros quoquè existimauerit emendandos.* Atque indè accidit, vt tot corrupti Codices per Ecclesiam volitarent. Et tunc Hieronymus, vulgatam illam Latinam, seù Italianam veterem editionem, correxit, vt ipsæ testatur ad Damasũ Præfat. in Euangel. dicendo: *Ita calamum temperauimus, vt ijs tantùm, quæ sensum mutare videbantur correctis, reliqua manere patere mur, vt fuerant.* Et iterum de Scriptoribus Ecclesiast. dixit: *Nouum Testamentum*

Corrup. locorum Scrip vnde orta?

Primi Christiani Noum Test. secum deferebant.

Græ-

Græcè fidei reddidi; ideſt correxi. Colligitur ergo ex his, antè Hieronymi editionem Vetus *Teſtamentum* è Græco iam translatum fuiſſe in Latinum ex *Auguſtino*, & nouum ſimiliter iam in Latinum verſum, à *Hieronymo* fuiſſe emendatum. Vndè fatendum eſt, vulgatam Latinam editionem Noui *Teſtamenti*, antiquiſſimam eſſe; & quantum ad Vetus *Teſtamentum* attinet, certum eſt, ex traductione Italiana antiqua, habuiſſe Eccleſiam *Pſalterium*, Sapientiam, Eccleſiaſticum, libros Machabæorum, cæteros vero Codices habere, ex Hieronimiana translatione ex Hebræo. Quare quantum ad hos eoſdem libros, ante *Hieronymum* latinè translatos, dicendum eſt, Italiam ſecundùm ſubſtantiam, eandem eſſe ac noſtram vulgatam, quæ à *Sac. Concil. Trident.* probata eſt. *Hinc D. Gregor.* præfat. moral. cap. 5. Latinam translationẽ *Hieronymi*, nouam appellat, quam cum alia antiqua Latina translatione, ſe quandoque conferre dicit, per hæc verba: *Nouam tamen translationem differo, ſed vt comprobationis cauſa exigit nunc nouam, nunc veterem per teſtimonia aſſumo, vt quia Sedes Apoſtolica (cui auctore Deo præſideo) vtraque vtitur, mei quoque labor ſtudij ex vtraque fulciatur.* En, quomodo Gregorius vtraque verſione vtitur, ſicut & Apoſtolica Sedes, vtraque vtebatur. Pro quo.

Ante Hieronym. vet. Teſt. ex Græco in Latinum translatum.

10 Præmitto quartò, quòd hoc noſtro æuo illud quoque accidit, quod ſua ætate *Hieronymus* deplorabat. Etenim compertum eſt, apud Proteſtantes nullam certam, ac ſtatutam eſſe Scripturarum verſionem, ſed tot eſſe Scripturas, quot Hæreticorum ingenia. Quòd vt perſpectum fiat, eorum editiones breuitèr adnotabimus, quæ diuerſis auctoribus, & temporibus in Hæreticum orbem prodiere. Fateor plurimas me minimè legiſſe; quas vidi, quædam ſunt Latinæ, quædam vulgares: Vulgares partim Italicæ, partim Gallicæ, partim Germanica lingua editæ ſunt. Ex Germanicis eſt editio *Tygurina*, excuſſa anno 1536. & 1552. apud Chriſtophorum Froſchouerum; alia Baſileæ anno 1556. impreſſa per Nicolaum *Brilinger*. Alia Lutheri a Melanchthone commentata. Ex Gallicis eſt illa excuſſa Londini in *Anglia* anno 1551. apud Thomam Gautier, reuiſam per *Ioannem* Caluinum. *Alia* impreſſa *Geneuæ* apud Conradum *Badium*; *Aliã* anno 1557. per Iacobum *Poulain*. *Aliã* per Stephanum *Anaſtaſium* anno 1562. *Aliam* per Franciſcum Stephanum anno 1567. Aliam per Henricum Stephanum, in qua deſideratur locus impreſſionis; Hæc omnia exemplaria Geneuæ ſunt excuſſa, eſtò locus non apponatur.

Apud Proteſtantes nulla verſio Scrip. ſtabilita.

Eorum vulgares editiones.

11 Ex Latinis exemplaribus, primum eſt, quæ ſine Auctoris nomine Geneuæ excuſſum eſt apud Badium anno 1555. Ab Eraſmo, vel ſub Eraſmi nomine, quinque exemplaria ſunt edita, primum Baſileæ, excuſſum 1538. Secundum, Geneuæ anno 1541. per Robertum Stephanum; Tertium, *Baſileæ* 1556. per Nicolaum Brilinger; Quartum, Tiguri 1563. apud Chriſtophorum Froſchouerum; Quintum, Lipſiæ in Saxonia anno 1578. apud *Ioannem* Steman. Theodorus *Beza* tres edidit Noui *Teſtamenti* verſiones, ex quibus prima, eſt impreſſa Baſileæ 1563 ſecunda Geneuæ 1586. ſub Oliua Roberti Stephani, cui multas adnotationes addidit, tertia Geneuę 1590. apud *Ioannem Torneſium*. *Tygurinorum* vnam tantùm editionem vidi excuſſam anno 1550. per Froſchouerum hæ ſunt latinæ.

Latinæ editiones eorumdem quot, & quæ

12 *Totum* teſtamentum nouum & Vetus Germanicè reddidit Lutherus ex Cochlæo de actibus Lutheri 1522. quæ verſa ſunt etiam in ſermonem *Islãdicum*, & Danicum:

Digitized by Google

hæc Lutheri versio à Melanchone commentata ex lib. cont. Stapyl. à Pomerano fuit adeò iactata, vt optaret festum diem instituendum pro translatione huiusmodi. Castalio similiter, totum Vetus, & Nouum Testamentum, vertit in Latinum, & Gallicum. Totum Vetus Testamentum Latinè vertit Emanuel Tremellius ex indocto Iudæo, impius hæreticus. Apochryphos veteris, vertit Iunius Caluinista. Sebastianus Munsterus vertit omnes libros, quos ipsi Prothocanonicos appellãt. Leo Iudas Tigurinus, cœpit ex Hebræo, integram Bibliorum versionem cudere; sed morte præuentus, opus imperfectum reliquit, quòd tandem fuit absolutum à Theodoro Bibliandro, Petro Colino, & Conrado Pellicano, & hæc editio aliàs Tigurina vocatur. Partem verò Veteris Testamenti, verterunt sequentes Hæretici; Zuuinglius vertit ex Hebræo. Psalterium, Isaiam, & Hieremiam, Bucerus, Vuolfangus Musculus, Caluinus, Bughehangius, Georgius Maior, Henricus Mollerus (cuius versionem in suum psalterium suffuratus est Beza) Iodocus Villichius ex Hebræo psalterium transtulerũt. Prophetas transtulit Oecolẽpadius. Nouum Testamentum ex Græco in latinum transtulit Erasmus, idem præstitit Laurentius Valla. E Syriaco nouam versionem edidit Emanuel Tremellius, quę cum Bezana versione simul circumfertur, Hannoniæ 1603. Franciscus Iunius ex Arabico transtulit acta Apostolorum. Germinarunt, & aliè fermè innumeræ versiones Anglicæ, Polonicæ, & Flandricæ.

13 Vniuersa hęc Protestantium exemplaria si diligentèr spectentur, ac ea inter se accuratè conferantur, ne vnum quidèm cùm altero pacẽ habere, aut simul conuenire reperiemus. Plurima autem huiusmodi editionum prælia, inter Aduersarios indicabimus, Instructione sequenti. Et quæ ambò scripturarum vnitas adinueniri poterit, vbi editionum perpetua dissidia vigent? Tandem cùm ea solum Scripturarum editio vna sit, quæ cum Ecclesiæ editione conspirat: quo pacto tot Hæreticorũ editiones in vnius veritatem poterunt conuenire, quæ agmine instructo omnes aduersùs vnam editionem Catholicæ Ecclesiæ pugnãt?

14 Igitur cùm hoc nostro sæculo tot extarent Scripturarum depranata exemplaria, quot Codices, ac quisque pro arbitrio modulando huic vulgatæ, ac probatæ editioni adderet, & detraheret, eamque peruerteret, immutaret: à Sacrosancta Tridentina Synodo sancitum est, vt vetus, & vulgata editio à mẽdis purgaretur, ac emendatissimè, quoad fieri posset, imprimeretur: neue temporum iniuria, vel impressorum incuria, vel temerè emendantium audacia, tàm fidelis translatio vnquã vitiaretur, cautum fuit, ne vlli liceret eam sinè superiorum approbatione imprimere. Quarè in ea expurganda, ac pristino suo nitori restituenda, Codices manuscripti complures, & vetustiores, Summi Romani Pontificis iussu maxima cum diligentia sunt conquisiti, ac in Vrbem trasportati: ne Apostolica Sedes ad quam potissimùm Generalium Cõciliorum conuocatio, & ipsa Scripturarum puritas, & integritas pertinet, tanto negotio, & publicæ vtilitati deesset: Ideò Vigilantissimi Pastores Vrbis, & Orbis, Pius IV; Pius V. Sixtus V; Gregorius XIV; Innocentius IX; ac tandem Clemens VIII. accersitis aliquot lectissimis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac alijs tùm Sacrarum litterarum, tùm variarum linguarum peritia præstantissimis viris, eã Prouinciam ijs demandarunt, vt Vulgatam editionem latinam, inspectis Hebraicis, Græcisque Bibliorum

Romanorũ Pontificum vigilantia Scriptur. à mendis expurgatur, collatione facta cum antiquis exemplaribus n. 5.

Digitized by Google

rum fontibus, consultis veterum Patrum commentarijs, adhibitis denique antiquissimis Codicibus manuscriptis: accuratissimè castigarent. Quo factum est, vt cæteris omnibus hęc nostra Vulgata latina editio, purior sit atquè candidior. Hęc præmisimus cõtra nostrę Vulgatę editionis obtrectatores. Agamus ergo nunc & Orthodoxam veritatem, quam supra proposuimus, robustissimis firmamentis, ab inimicorum calumnijs vindicemus.

15 Probatur ergo Catholica veritas generalibus Protestantium principijs inhærendo, ex totius *Antiquitatis* consensu. Primo ex antiquo vsu, & praxi Ecclesiæ. Sacrum *Tridentinum* Concilium (*At* verba interrumpit Aduersarius, dicẽs, eum non recipimus, eiusque auctoritate non vrgemur, sistamus, ait, in Antiquitate primorum quinque vel sex sæculorum, vt promisisti, & nos cum primis nostris Ducibus acceptauimus) Huc ibam. Quęso, me patienter audite Domini Protestãtes. Sacrum Tridentinum Concilium Versionum multiplicitatem esse Religionis pestem, totiusque mali fontem prospiciens: cùm solã Vulgatam editionem pro authentica ab omnibus haberi decreuit, non noua iussit, sed inueteratissima, imò ab immemorabili tempore vniuersalitèr à Christiano Orbe seruata, obseruari mandauit. Textus clarus est, (non mentior) Verba Concilij sunt hæc: *Insuper eadem Sacrosancta Synodus considerans non parum vtilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur Sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit innoteſcat. Statuit, & declarat, vt hæc ipsa vetus, & Vulgata editio, quæ longo tot sæculorum vsu* (Videant Aduersarij antiquitatem, & praxim Ecclesiæ vniuersalis (*in ipsa Ecclesia probata est, in publicis, lectionibus, disputationibus, & expositionibus pro authentica habeatur; & vt nemo illam reijcere quouis prætextu audeat, vel præsumat*. Hæc sunt verba Concilij, per quæ antiquissimus vulgatę editionis in Ecclesia vsus inculcatur, & præcipitur, ex qua auctoritate sic formatur ratio. *Et*

16 Probatur secundò ratione. Ea est suscipienda Scripturarũ editio, quæ antiquo, & multorũ sæculorum vsu, à Vetustioribus Patribus, & ab antiqua Ecclesia est probata; Sed hæc non est nisi vulgata, ergo hæc est ab omnibus suscipienda. Maior patet ex ipsa aduersariorum confessione, vsum & praxim Ecclesiæ primorum quinquè vel sex sęculorum suscipientium; idque etiam recta ratio suadet, nam nos ea inuiolabiliter tenere debemus, quæ *Patres nostri annunciauerunt nobis*. Consequentia benè deducitur. Minor probatur primò. Per annos mille, & ducentos, ideſt, à tempore D. Augustini, *Ambrosij*, Gregorij &c. vsque ad hæc nostra tempora successiuè, omnis Ecclesia Latina, hac vna editione vulgata vsa est: Omnes Diuini Verbi declamatores, hanc explanauerũt, & Populis proposuerunt: hanc Patres doctissimis commentarijs illustrarunt, imò hac antiqua Itala, seù vulgata, (à Tertulliani temporibus retenta) authentica demonstratur, quia illa in suis scriptis vtebatur, sicut etiam vti sunt Cyprianus, *Augustinus*, *Ambrosius*, Gregorius, & alij illorum temporũ Patres: ex hac, Concilia vniuersa, præcipuè à Protestantibus acceptata, ad confirmanda fidei dogmata aduersùs Ecclæsiæ, & veritatis hostes, testimonia protulerunt, quòd dici nequit de nuperis, & extortis editionibus Nouatorum: Ergo hæc nostra vulgata editio est illa, quæ antiquo, & multorum sæculorum vsu, à vetustioribus Patribus, & ab Ecclesia antiqua est probata, & con-

se-

sequentèr, inconcussæ est auctoritatis ad probanda fidei dogmata, &c. Quid ad hæc? Vos frontem perfricatis Protestantes?

17 Probatur 3. auctoritate Veterum Patrum, & eadem minor propositio iterum stabilitur. Vel hæc vulgata latina editio, quæ vsu Ecclesiæ est probata, est illa antiqua Itala, (quæ & *communis* dicebatur) vel est Hieronymiana; Si dicatur esse illam primam Italam; hæc, magnum habet testimonium ab Augustino; ac etiam ex Ecclesiæ vsu, & praxi, maximam obtinuit auctoritatem, ipso Augustino lib. 2. de doctrina Christiana dicente: *In ipsis autem interpretationibus Itala* (ideſt latina, nam omnes Itali latini dicebatur à Latio) *Cæteris præferatur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ.* Si est Hieronymiana, iam habet testimonium omnium veterum; nam D. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 43. inquit: *Non defuit temporibus nostris Presbyter Hieronymus homo doctissimus, & trium linguarum peritissimus, qui ex Hebræo in latinum Diuinas Scripturas conuertit, cuius tantum literarum laborem, Hebræi fatentur esse veracem.* Et D. Gregorius lib. 20. Moral. cap. 23. ait; *Hæc noua translatio ex Hebræo nobis Arabicoque eloquio cuncta verius trãsfudisse perhibetur; credendum est, quicquid in ea dicitur; & oportet, vt verba illius nostra expositio subtiliter rimetur.* Idem afferunt eorundem, ac posteriorum sæculorum Patres, præcipuè Isidorus lib. 6. Etymolog. cap. 5. & lib. 1. de Officijs cap. 12. Vgo de S. Victore de Sac. Scrip. & alij. Igitur, ex Antiquis Patribus constat, vulgatam hanc editionem, siuè antiqua illa Itala sit, siuè Hieronymi, continuo vsu, & praxi Ecclesiæ fuisse retentam, vtpotè inconcussæ auctoritatis; ac nũquã interrupta successione, fuisse vsque ad Conc. Trid. tacitè approbatam. Casso ergo labore contra Concil. Trident. obstrépunt Caluinus, Lutherus, Zuuinglius, & alij, dicentes, se opprimi auctoritate prætoria; Meliùs dicerent, cogi se auctoritate Ecclesiæ Catholicæ cui datæ sunt claues veræ intelligentiæ; & vsu inueterato eiusdem, ac Veterum Patrum; ad quæ respiciens Cõcilium, decretum illud edidit, vt ex allatis Concilij verbis liquet.

18 Si verò dicatur hanc nostram vulgatam editionem, ex vtraque, silicet, ex Itala illa antiqua, & Hieronymiana fuisse compactam, rursus habemus quòd intendimus; nam, robur obtinebit maximum in rebus fidei, & morum, cùm sit iam demõstratum, vtramque seorsim summæ fuisse auctoritatis.

19 Probatur quartò, alia ratione. Hieronymus Præfat. in Euangel. Testatur se in *Antiqua* vulgata editione corruptiones tantùm, quæ in Nouo Testamento, ex plurimorum interpretum licentia emerserant, correxisse: reliqua verò intacta reliquisse: ergo ante Hieronymum quędam extabat Vulgata editio, latinè conscripta, quæ communi consensu Ecclesiæ recepta erat, quam cùm Hieronymus incolumen seruat, & ab aliorum corruptionibus expurgat, veram, & authẽticam esse agnoscit. Quam, fuisse *Apostolica* auctoritate probatam, possum venari ex eo, quòd cùm Petrus *Apostolus* 25. annis Romæ sederit, ac Latinis Latinè prædicauerit; Euangelium, ac cæteras Scripturas, tàm noui, quàm veteris Testamenti illis explicauerit: credibile est, illis, Scripturas Latino sermone exaratas permisisse; quibus, post predicationem in fide instruerentur, vt *Dei* legem, ac Fidei Christianæ præcepta haberent, quæ quotidiæ ante illorum oculos versarentur: *Habuerunt* ergo *Scripturam* Latino sermone conscriptam, qua Tertullianus, Cyprianus, & alij illorum primorum temporum *Patres*, vsi

sunt,

Digitized by Google

sunt, ad Hæreses debellandas, ac Populos instruendos; Quæ, si inconcussæ auctoritatis non fuisset, iam Populi non essent instructi, sed decepti; Hæreses potiùs firmatæ, quàm infirmatæ; quòd equidem falsũ est.

20 Probatur quintò, ex specialibus Protestantium Principijs, eorũque confessione. Imprimis vtor simili discursu, quo *D. Pater Augustinus* Iulianum Pelagianum debellauit, qui talis est. Vel Protestantes dicũt, nullam editionem Sac. Scripturæ vitiatam esse, vel aliquam. Si nulla, igitur vulgata editio quo ad omnes sui partes, iuxta Tridentini decretũ, est recipienda. Si aliqua, igitur sicut ipsi dicũt de nostra quòd sit vitiata, ita nos de sua asseueramus. Lis est componenda. Non ex Scriptura, quam solam faciunt litium finiendarum Iudicem; quia de hac controuersia vertitur; non ex Concilio Tridentino quod reijciunt; *Ad* antiquitatis igitur præsidia confugiendum est, & ad Veteres Patres, iuxta Scripturæ dictum, *Interroga Patres tuos, & dicent tibi*; Qui, antequam Patres Tridentini, & ipsi Aduersarij, nascerentur; vulgatam nostram editionem inconcussæ fuisse auctoritatis ostenderunt; Et vt ait Tertullianus lib. cont. Marcionem, *potius contra eorum textus quam contra nostros militat suspicio*; cùm ipsi sint falsarij allegatione, & stylo, iuxtà id quod de Hæreticis, pronunciauit Petrus sua 2. cap. 3. *Scripturas deprauant ad suam, ipsorumque perditionem.*

21 De nostra Vulgata editione quam Romæ accepimus, ex maturiori deliberatione, aduersarij planè honorificum perhibent testimonium; Patriarcha Germanus Martinus Lutherus se ipsum iugulans huius nostræ vulgatæ editionis auctoritatem, cæteris eiectis editionibus, commendat tom. 3. latin. Vuittemberg. præfat. commentarij de nouissimis verbis Dauidis, per hæc verba: *Omnino melius esset, omisso studio hebraicæ linguæ simpliciter retinere illam hactenus receptam, & vsitatam (.s. vulgatam) versionem Bibliorum (quæ tamen maxima ex parte iam per noui testamenti libros explicata, & illustrata est) quàm tot nouas Versiones æmulari (propter pauca quædam loca, vbi aut hebraica lectio alia est, aut quarundam vocum interpretatio non dum certa est) quibus nihil proficitur, nisi quod similitudo, & discrepantia lectionum memoriam legentium turbant, & studium remoratur, ac in multis locis incertiores quàm fuerant dimiserit.*

22 Et ibid. idem, temerarios ausus contra Vulgatam editionem redarguens, ait: *Quare si mihi detur optio, vt aut Augustini, & similium puriorum Scriptorum enarratio, & sẽtentia (hoc est ipsorum Apostolorum) ex scripturis retinenda sit, & simul eo quo, & ipse Augustinus destitutus sit carendũ, quod aliquando à litteris, aut vocibus hebraicis aberrauit, aut Iudæorum certæ, & explicatæ voces (quales tamen nec ipsi per omnia se habere, coguntur fateri) sine Augustini, & veterum scriptorum intelligentia, hic quid potius optaturus sim facile est indicium. Scilicet Iudæis multum valere liceret, iuberet illos vna cum suis Interpretibus, & apicibus litterarum abire, quo digni sint, interim me vitam recepisse. Nam, & si Augustinus ignoret hebraicam vocem* Kikaion *exempli causa, pro qua ipse cucurbitam legit Ionæ 3. &c. in eo, neque vertitur, neque periclitatur eius fides, quæ veram suæ salutis ancoram tenet. Hoc est hunc, qui est veritas, & vita, de quo vaticinantur, & cui testimonium dant (vt dictum est) prophetæ omnes.* Hæc Lutherus.

23 Conradus Pellicanus præfat. in psalm. anno 1533, inquit; *Tanta dexteritate, eruditione, & fide, Hebraicæ, quo ad sensum concordare deprehẽdi-* Pellicanus.

*dimus Vulgatam editionem psalterij, vt eruditissimam, pariterque pijssimã, & verè prophetali spiritu preditum interpretem, Græcum, & Latinum non dubitem; quamquam alicubi dissentiant à punctis hebraicis, quibus nunc Iudæi vtuntur, quæ non fuisse similia ambigere cogor, & quarundam litterarum mutationem factam suspicio sit proferentibus singula diligenter. O veritatem ad confessionem (*ait Auguſt. cont. Donat. cap. 24.*) quouis equuleo, & tormento efficaciorem.* Iniquo ergo iure, vulgatam noſtram, carpſerunt Proteſtantes, in mendacio.

Caluinus. 24 Audite de hac re, & Caluini confeſſionem, qui in Patres Concilij Tridentini, & vulgatam editionem, vt vidimus, ſchommata effutiebat. Is ex Lupo Agnus, (ſemper tamen ſuſpectus,) hæc contra ſuos, pro noſtra vulgata, Præfatione in ſua opuſcula, dicit: *Hæccine eſt diſcendi via? verſare, ac volutare ſcripturas, vt libidini noſtræ ſeruiant? vt ſenſui noſtro ſubijciantur? Quò nihil eſt ſtolidiùs. Peſtem, & certiſſima zizania inimici hominis, quibus vult obcecare verum ſemen.* Taxat is per hæc verba Proteſtantium verſiones.

Beza. 25 Theodorus Beza in Præfat. Noui Teſtamenti anno 1556. Eraſmum, noſtram vulgatam carpentẽ, acritèr reprehendit, dicẽdo: *Vulgatã editionem maxima ex parte amplector, & cæteris omnibus antepono.* Idem Beza in cap. 1. Lucæ multis encomijs ornat Latinum interpretem, dum ait, *Summa Religione ſacros libros interpretatus eſt.*

Carolus Molinæus. 26 Huic manus præbet Carolus Molinęus, ex eodem grege Caluinico, qui in Nouo Teſtamento pag. 30. inquit: *Egerrimè à vulgari, conſuetaque lectione recedo, quam etiam enixè defendere ſoleo.* Vtique contra tuos conreligioniſtas. Inſuper, idem in cap. 17. Lucæ ingenuè ait: *Vulgatam editionem præfero editioni Eraſmi, Bullingeri, Brentij, denique editioni Tygurinæ, etiam Ioannis Caluini, & omnibus alijs.*

Douus. 27 Douus in perſuaſiua ad Anglos recuſantes fol. 19. ait: *Equum eſſe cenſemus, vt eutaxiæ gratia in ſcholis, & pulpitis vna editio Latina in vſu ſit, & quidem ob antiquitatem, vulgatam editionem omnibus cæteris præponamus.* An non hoc idem decreuit Concil. Tridentinum, à quo Proteſtãs iſte verba trãſcripſiſſe putatur?

Couuellus. 28 Idem ſentit Couuellus in Reſponſ. ad Ioannem Burgeſium fol. 94. ante medium, vbi de noſtra vulgata, ſic ſcribit: *In vſu fuit in Eccleſia mille trecentis retro annis, & & verſionem Anglicanam illam eſſe, quæ ad vulgatam proximè accedit.* Igitur, mille trecentis retro annis, hæc noſtra vulgata, erat in vſu in Eccleſia vera Catholica, vt ex Proteſtantiũ confeſſione probatur.

Humfredus. 29 Humfredus de ration. interpretat. lib. 1. fol. 74. inquit: *Proprietati verborum ſatis videtur addictus vetus interpres, & quidem nimis anxiè, hoc tamen interpretem Religione quadam feciſſe, non ignorantia* &c.

Vuitaker. 30 Poſtremò, audiendus eſt Gulielmus Vuitakerus præcipuus noſtræ vulgatæ *Aduerſarius*; Is lib. de Script. auctoritate, ſic ait quæſt. 3. *Non negamus ad Eccleſiam pertinere, vt Scripturas approbet, agnoſcat, recipiat, promulget, & commendet ſuis omnibus, & hoc teſtimonium eſſe verum, & ab omnibus recipi oportere dicimus.* At Eccleſia antiqua primorũ quinque, vel ſex ſæculorum vt vidimus, tùm ex Patribus, tùm ex ſententia tuorum conreligioniſtarum, hanc noſtram vulgatã approbauit, agnouit, recepit, promulgauit, & commendauit ſuis omnibus. Cur ergo Vuitakeræ eam reſpuis?

Idem. 31 Præterea idem Vuitakerus in reſponſion. ad Reginaldi confutationem fol. 235. ſic ait: *Translationes conuenientes cũ originali textu*

ſunt

Digitized by Google

sunt Verbum Dei, quia Verbum Dei non est Idioma, sed doctrina à Prophetis, & Apostolis tradita. Benè est Vuitakere. *At* tu ipse quest. 2. cap. 1. de Scrip. asseris, talem esse nostrã vulgatam editione, dum inibi ais *Patres laudasse hãc editionem, vt elaboratam, ac propterea prælatam alijs editionibus latinis*; Igitur tu te condemnas. Deindè, non nè tu es Vuitakeræ, qui in Respons. ad Guilielmum Minaldũ fol. 241. de vulgata à Hieronymo, iussu Sãctissimi Papæ Damasi, emẽdata; & Græcæ fidei reddita, scripsisti, *Hieronymum veneror, Damasum laudo, opus ipsum pium esse fateor, & Ecclesiæ Dei vtile?* Deprehensus es, iuxta solitum, Vuitakeræ. *At* tua, tuorumque Argumenta, pepone insulsiora, videamus.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

32 ARguit primò, Gulielmus Vuitakerus. Nulla versio latina fuit authentica in Ecclesia latina ante Gregorium Magnum: ergo nequè post illum. Præterea, post Gregorium vsque ad *Tridentinum* Concilium, nullo Ecclesiastico decreto cautum est, vt hæc Vulgaris editio haberetur authentica: ergo nec *Tridentina Synodus* tale decretum promulgare potuit, aut debuit.

33 Respondetur, quòd licet ante Gregorium, nulla Scriptura, & Scripturæ editio fuerit authentica quoad nos, erat tamen authentica secundũ se. Et hoc ideò, quia tunc non dum excreuerant tot versionum corruptarum zizania, ideſt, versiones diuersæ deprauatæ Lutheranorum, Caluinistarum, & aliorum rebellium, sed *erat terra labij vnius, vnicum habens os*. Post Gregorium verò, eodẽ Gregorio teste, & ex proem. lib. Iob. in fine, tacita saltem approbatione Ecclesiæ, Vulgata editio authentica fuit. Vndè puerilitèr ex illo antecedente, deducit consequentiam aduersarius, quòd *Tridẽtina Synodus* nec potuit, nec debuit tale decretũ promulgare. Etenim, quòd erat authenticum secundùm se, & in se, aduenientè Ecclesiæ declaratione, factum est authenticũ quo ad nos. Et quod tacita approbatione, vt authẽticũ circũferebatur, cõciliari decreto maiorẽ optinuit firmitatem. Hæc respõsio est ex tua doctrina Vuitak. desũpta, vt paulò ante retulimus, ex tuis scriptis de *Scriptu. auctorit.* tua quæst. 3. vbi dicebas, *ad Ecclesiam pertinere, vt Scripturas approbet, &c.*

34 *Arguit* secundò idem Vuitak. Ecclesia non habet potestatem declarandi interpretationem alicuius hominis, (quamuis exactam) esse authenticam ergo &c. Præterea, Pontificij dum vulgatam editionẽ latinã authenticã faciũt, faciũt id quod se non posse facere concedunt; quia qui Scripturam authenticam faciũt, ij *Scripturam Canonicam* faciunt, nam sola authentica, est canonica; & vice versa. *Sed* illi, hanc *Scripturã* ex non authentica, fecerunt authenticam, ergo *Scripturam* faciunt Canonicam, quòd non est situm in potestate Ecclesiæ.

35 Respondetur negãdo assumptum. Non enim est verisimile, vt Ecclesia quæ est columna, & firmamẽtum veritatis, verbique Dei diligentissima custos, non habeat intelligẽtiam, & potestatem discernendi verba hominum, à verbis *Dei*; & declarandi, quæ nam versiones sint Verbo Dei consentaneæ, & quæ dissentaneæ, ac deprauationes eiusdem. *At* tu Vuitakeræ dixisti, loco supra cit. de Sac. Script. *Non negamus ad Ecclesiam pertinere, vt Scripturas approbet, agnoscat, recipiat, promulget &c.* Verba tua sunt hæc. Quid dicis? Tacet Misellus. Præterea, nota Vuitakere quod supradiximus, scilicet, aliud esse facere authẽticum in actu primò & secundùm se; aliud in actu secundo & quoad nos, seù declarare: hoc secundũ, & non primũ facit

Digitized by Google

Ecclesia Pontificia. Vltrò enim concedimus, Ecclesiam non posse facere Diuinum, & Authenticum in actu secundo, & quo ad nos, id quòd priùs non erat authenticum in se, & in actu primo; benè verò, posse facere authenticum in actu secundo, & quo ad nos, id quod iam erat authenticum in se, & in actu primo, vt etiam dictum est ad primum Argumentum.

36 *At*, ex eiusdē Vitakeri verbis, possumus hoc telum declinare, simulquè ostendere, illud, potius aduersarij iugulum petere, quàm nostrum, retorquendo Argumentum, sic: Qui Scripturam authenticam faciunt, ij Canonicam Scripturam faciunt (Vuitakeri sunt hęc) Sed Cōcilium Laodicenum, Carthaginense 3; Nicenum Primum, Papa Gelasius in Concil. Roman. 70. Episcoporum, Innocentius Primus ad Exuperium Tolosanum, antè Gregor., has Scripturas Canonicas fecerunt quo ad nos, modo explicato, & Vuitak., Lutherus, Caluinus illorum Cōciliorum, & Pontificum, vtpote primorum quinque sæculorum, decreta recipiunt; ergo ante tempora Gregorij, hæc Scripturarum editio, erat anthentica, quia erat Canonica. Perfica frontem Vuitakere, si quid habes quod his opponas.

37 Arguit 3. Idem Vuitaker. Interpretes, & Tractatores, non semper recitant Verba Scripturæ, prout leguntur in Vulgata; nec Patres antiqui sequuti sunt vnam tantum versionem latinam; ergo nec modò vna habenda est authentica.

38 Respondetur 1. Quòd Scripturarum Interpretes, non de Verbis anxij, sed de sensu solliciti, sicut memoriæ occurrebant, Scripturas citabant: Quare Beza in præfat. Noui Testamen. anno 1565. dicit: *Neque Scriptores existimandum est quoties locum aliquem citarunt, toties vel libros inspexisse, vel singula Verba numerasse.*

39 Resp. 2., Quòd licet secundum Latinorum interpetrū varietatem, esset etiam lectionum varietas: Vulgata tamen Hieronymi lectio, semper vna inuariata permansit.

40 Arguit 4. Idem Protestans. Si Deus permisisset perire Scripturam in Græcis Hebræisque fontibus, in quibus edita fuit ab hominibus diuinitus inspiratis, non satis prouisum esset Ecclesiæ suæ, Fideique nostræ, editionem vulgatam relinquendo; ergo non est Authentica &c.

41 Respondetur. Quòd si per impossibile Cœlum caderet, omnia perimeret animalia; Vetularum prouerbium est. Illa igitur hypotesi, in argumento adducta, admissa; adhuc Deus satis prouidisset Ecclesiæ suæ, Editionem nostram vulgatam relinquendo, quæ licet riuus sit de fōtibus fluens, purior tamen est suo fonte, in quibusdam non purè fluente. Et sic, vtique fontes Scripturarum, anteponimus riuulis, quando constat, fontes ipsos non esse turbatos: De facto Hebraici, & Græci fōtes non perierunt; & definiente Ecclesia, solam vulgatam editionem esse Authenticam, non docuit fontes perijsse, sed virtualiter indigitat, hos fontes, aliosquè codices à Vulgata, vel Iudæorum malitia, vel Hæreticorum industria, vel impressorum incuria esse turbatos, ac turbidè fluere.

42 Testis harum turbationum Hebraici textus est. Hūnius protest. qui lib. 2. cont. Bellarm. cap 2. ait: *Depranationes Hebraici textus sūt manifestè.*

43 Quin, & Lutherus tom. 7. Vuittembergensi lib. de Iudæis eos diabolis comparat, eorumque Synagogam *nidum diabolorum* appellat, & in rem nostram subdit ibidem: *Cauè ò Christianæ Iudæos, quia per iram horrendam Dei, Satanæ traditi sunt: nam, non solùm vero intellectu Scripturæ, sed omni pudore, communi sensu pri-*

Digitized by Google

priuati sunt, & Satan per eos tantum videbit Scripturam, vt de cætero eis in nullo articulo confidere, aut tuto credere possis, etiam si numquam excidat Verbum veri.

44 *Arguit* quintò. Idem. Si quæ esset ratio cur vulgata editio deberet habere auctoritatem, ea esset, quia non est verisimile Ecclesiam per annos 800. vel 900. caruisse Scripturę interpretatione; & in ijs quæ ad mores, & ad fidem pertinēt vulgatam sequendo, verbum hominum coluisse pro Verbo *Dei*: sed hoc nihil est; nam illo tempore Ecclesia, non erat tota Latina, cùm etiā esset & Græca; ergo etiam si Ecclesia Latina errasset, satis erat si Ecclesia Græca, Græcos Codices incorruptos conseruando, esset erroris expers, ne dicatur vniuersam Ecclesiam errasse.

45 Respondetur quòd nullus; modò apud se sit, audebit solā Græcorum Ecclesiam in dies decrescentem, ac Hæreticorum, Schismaticorum, Saracenorumque improbitate, ac Tyrannide conspurcatam, incorrupti Verbi Dei facere seruatricem, & non potiùs Ecclesiam Latinam, quæ, toto eo tempore quo decrescebat illa, per omnes Gentes diffundebatur, sicut & actu diffunditur, illa ferè emortua. Et planè facinus est dicere, Latinam Ecclesiam longo tot sæculorum decursu errasse, non enim hoc meretur fidelissima, & numerosissima Latinorum Ecclesia, vt dicamus, eam tunc incorruptū Verbum *Dei* non habuisse, & errasse, maximè cùm ex *Apostolo*, Romanæ Ecclesiæ Fides annuncietur in vniuerso mundo, eaque sit omnium Ecclesiarum mater, & magistra veritatis; & habeat Summum Pontificē omnium Ecclesiarum Caput, & Pastorem, ad quem spectat de vera, ac authentica versione, ac interpretatione verbi *Dei*, decernere, & declarare.

46 Arguit sexto Idem Caluinista. Hieronymus, qui hanc editionem fecit, aut correxit, non putauit esse authenticam, cùm tamen purior illa extiterit antè, quam nunc: ergo nec nos debemus eam pro authentica habere. Probatur antecedens; Reliquit in potestate lectorum hoc, vel illo modo, interpretari; etenim dubitabat, num exactè esset versa, & intellecta.

47 Respondetur, nego consequētiam; quia, quòd non censuit humiliter de se sentiendo *Hieronymus*, id æquo iure censuit, & decreuit Ecclesia quæ, vt ipsi Nouatores dicunt, habet Spiritum Christi, & infallibilē ctoritatem. Quod si in cuiusque potestate reliquit Hieronymus hoc, vel illo modo interpretari, non poterat ipse determinare de fide, cùm esset particularis homo. *Determinauit* illud Sacra Tridentina Synodus, vestigia veterum sectando, sequendo vestigia gregum, & iuxtà Tabernacula Pastorū veterū, Oues Christi pascendo; cui refragari nefas est.

48 *Arguit* idem septimò. Papistæ confitentur fontes ipsos vtiles esse: ergo solummodò fontes sunt authentici.

49 Respondetur, vtilissimam esse inspectionem fontium. At nunquàm ex hoc concluditur, ergo soli fontes sunt authentici: vel, ergo fontes sunt magis authētici. Satis enim est, quòd vtraque originalia, & exemplaria sint æqualis auctoritatis vbi, non sunt ab Hebræis, vel Græcis, vel Hæreticis vitiata, & vbi concordāt cum Vulgata; quòd si fontes, vt dictū est, aliquādo Hebræorum, Schismaticorum, & Hæreticorum malitia turbati, ac deprauati reperiuntur, ad Vulgatæ Scripturæ puritatem recurrendum est pro vera Scripturarum intelligentia.

50 Quare Lutherus tom. 7. Vuittemb. lib de Iudæis, postquam dixerat Iudæos esse inimicos capitales

Christianorum. *Ergo scias* (ait) *Christiane, & nihil dubita, te post ipsum Diabolum, nullum acerbiorem, & virulentiorem hostem habere, quam verum Iudaum, maximè eum, qui seriò vult esse Iudeus: nam forsan multi sunt inter ipsos epicurei, qui credunt quòd bos, aut anseres credunt*: Addit ad nostrum propositum: *Iudæi sũt summa cæcitate percussi, pleni stultissimis superstitionibus, vbi fidunt signis, Characteribus nominis tetragrammaton. Insuper explicationes eorum Scripturis cõtrarie &c.* & tom. 3. Vuittemb. latino lib. de nouissimis verbis Dauid, de ijsdem, ait: *Nihil certi habent, & vbicumque possunt student, & in vocabulis, & in sententijs quæsita aliqua ambiguitate seù æquiuocatione detorquere dicta ad sua deliria, etiam cum sententiæ in toto contextu ad doctrinam Scriptorum Apostolorum pulchrè congruunt; & propter hoc* (subdit idem) *meritò fit, vt nihil videant, quos iuuat esse cæcos, vt de ijs iam olim prædixit Isaias fore, vt videntes non viderent, neque intelligerent.* Hæc de Hebræis, seù Iudæis Lutherus.

51 Arguit 8. Antonius Faius. Ex illo 2. Petri 1. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*; *colligunt Papistæ bona opera esse necessaria ad salutem, cùm tamen illa sint solum signa; ergo superfluè additum est ab interprete ly bona opera*, ergo &c.

52 Respondetur, quòd auctoritate Prætoria, nullo pænitùs innixus fundamento, verba illa, *per bona opera*, quasi superflua, detruncare nititur Hæreticus audax, cùm tamen illa totius antiquitatis testimonio, tãquàm vera verba textus agnoscantur. *At* si antiquitati, vt par est, non defert iste Nouator, vel suis saltim deferat, & credat; audiat, & suũ Patriarcham Bezam, qui in suis editionibus 1588. & 1605. sic dicit: *Mihi sanè non displicet quòd vulgata editio post verbum, satagite, legit vt per bona opera.* Et sic Faius, bonorum operum hostis euincitur, aperta sui præceptoris confessione, quem debet tota veneratione recipere, cùm ipse arguens, Minister sit Geneuanus.

53 Arguit nonò. Idem Faius. Legit Vulgata Daniel. cap. 4. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum*: At, hæc versio fouet errorem de operibus meritorijs, ergo non potest esse authentica.

54 Respondetur, quòd hoc Missellum argumentulum, vel trium dierum Theologus Romanista refellit. Hoc enim loco, Fai hæresis mirificè iugulatur, & veritas Catholica de merito bonorum operum robustissimè stabilitur. Quòd si locum Danielis adductum corrigendum cẽset, quia hæresim suam pessumdat, corrigendum quoque docet omniũ Saluatorem Iesum Christum, qui & *reddet vnicuique secundũ opera sua, & merces vestra multa est in Cœlo* Matt. 20. dicit: *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Debebat Minister iste Geneuanus aduertere, Danielem ibi non esse loquutum de merito vitæ æternæ, quòd verè meritum appellatur, sed de merito condonationis pœnæ, seù satisfactione, quòd impropriè meritum nuncupatur. At de his fusiùs in Instructione de Iustificatione dicemus.

55 Multa alia loca similia ex nostra vulgata editione, adducit Faius, vt probet, eam nõ esse authenticam. Verùm, quid hæc Fai ferocitas Mõstri despumet, quibusque vnguibus Sacram vulgatam editionem inuadat, ex parte conspeximus: De reliquis, quænam sunt Faie, quæ authẽticum robur huic editioni tribui minimè sinunt? *Errores*, inquit, *grauissimos continet, contra dogmata nostræ Religionis*: Benè est Faie, optimè affirmas, vulgatam editionem doctrinã contra tuæ prætẽsæ Religionis dogmata continere, sed tantùm tuæ, inquam,

Digitized by Google

quam, Caluinianæ, *Apostaticæ* à Caluino ter candenti lilio inusto, excogitatæ, partæ, excitatæ; non verò cõtra Catholicæ, *Apostolicæ*, & veræ Orthodoxæ Religionis asserta. Equidem non dissentio: siquidem à falso aberrare, est verum amplectiri & à nouæ Religionis dogmatibus deficere, est antiquæ, veræque Religionis dogmata profiteri. Et per hæc à multis alijs Protestantium quisquilijs extricamur.

56 Arguit 10. Martinus Kemnitius. Falsò vertit vulgata illud ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est*, cùm potius per ly *Sacramentum*, debuisset reddere; *Mysterium*; vndè ait, *Matrimonium probatur* (à Papistis) *esse vnum ex septem Sacramentis, quia vetus Interpres Ephes. 5. pro Mysterio, reddidit Sacramentum.*

57 Respondetur, quòd nodum scyrpo quærit Aduersarius. *Agimus* hic de versione illius vocis, an scilicet locus ille sit fideliter versus; & non de vsu vocis illius, an scil. ex illa probetur matrimonium esse Sacramentum: Dato tamen quòd vox illa esset ambigua, nihil pro se contra nos proficit Aduersarius, qui nunc de versione tractamus. *At* respondeamus stulto, iuxta stultitiam suã. Id quòd Græcè *Mysterium* sonat, illud idem latinè significat *Sacramentum*; vndè, si vocem Græcam interpres retinuisset id est ly *Mysterium* æquè probasset Pauli intẽtum, apertè docẽtis *Matrimonium* verè & propriè esse Sacramentum. Illa enim eadem voce Patres Græci vtuntur, quando Eucharistiam, & *Baptismũ* vocant Mysterium, quæ nos Latini & ipse Kemnitius, Sacramenta vocamus re, & nomine; Sed *Aduersarij* fatentur *Baptismum*, & Eucharistiam, esse vere, & propriè re, & nomine Sacramenta; ergo eodem modo est ibi accipienda vox illa *Mysterium*, *sicut accipitur pro Baptismo, & Eucharistia, & sic æquè probabimus matrimonium verè, & propriè, re & nomine esse Sacramentum, sicut, & illa verè Sacramenta sunt.*

LECTIO II.

Iudicium, & sententia Protestantium, qua versiones proprias inuicem damnant.

1 AN in nuperis, ferèque innumeris inter se dissidentibus Hæreticorum versionibus? an potius in Vulgata, (quàm diximus) Verbum Dei contineatur, *?* Inimici nostri sint Iudices; Hostes sententiam ferant; quibus, Romano-Catholicorum potest esse suspecta: Hostiũ iudiciũ expectamus, testesq; in hac causa. Aduersarios volumus. Qualem ergo expectabimus Catholici sententiam, vbi inimicus Iudex est, ac testis? nulli dubium, pro nobis causa finietur. Vterque enim veritatis æquuleo torti, velint nolint, pro veritate stabunt. Non enim Veritas veritati detrahit.

2 Primus omnium, contra se, suosque sententiam fert Lutherus omnium Hæreticorum nostri æui fœcundissimus Parens. Is apud Cochlæum lib. de Scrip. Canonicæ auctor. sic de suorum versionibus ait: *Si diutius steterit mundus, iterum necessarium erit, vt propter diuersas scripturæ interpretationes quæ nunc sunt, ad seruandam fidei vnitatem Concily decreta recipiamus.* Igitur Lutherę Concilia sunt recipienda, nam diutius, scilicet, per annos 140. a tua predicatione, stetit mundus, & versionibus, non dum finis.

3 Et idem iterum tom. 3. latino Vuittemberge præfat. in explicat. super nouissima verba Dauidis, sic decernit: *Omnino melius esset, omisso studio Hebraicæ linguæ, simpliciter retinere illam hactenus receptam, & vsitatam versionem Bibliorum (quæ tamẽ maxima ex parte iam per noui testamenti*

menti libros explicata; & illustrata est) quã tot nouas versiones cumulari &c.

4 Rursus idem ibid. *Mundus (ait) est plenus leuibus, & curiosis ingenijs, quos veluti prurientes auribus delectat nouitas (* lugulum tuum petit hoc telum Lutheræ *) quosque facilè fastidium capit sanæ doctrinæ, quare iam patefactum est ostium Satanæ quæuis deliria inuehendi in doctrinam.* De suorum versionibus loquitur vt patet ex textu, & ex is quæ sequuntur: *Profectò, (* subdit *) non est vtilis Ecclesiæ, opera & studium Rabinorum, & Grammatistarum Iudaizantium interpretationes, & sententias in Ecclesiam inuehendi; nam, illi etiam sine studio per se nimis facilè, & pertinaciter hærent, & ipsa litera, seu textus à Iudeis recepta superstitiosa obseruatio, & aliorum interpretum auctoritas, & exempla facilè caliginẽ obfundunt, vt interim amissa vera sententia, & intellectu de Christo, vbi nõ oportuit Iudaicæ imaginationes, nobis incautis obrepant; quẽadmodum omnibus interpretibus video euenisse, nullo, ac ne me quidem excepto.* Ita ne Luthere? Dij meliora. Subdit mox de vulgata noui testamẽti, *quid Papæ cœtus quæri potuit sibi deesse, quòd ad integram lectionem Scripturarum attinet? an non librorum noui testamenti; (nam de veteri nunc non dico) certam, perspicuam, ac luce clariorem lectionẽ habuerunt. Quid nunc nostris nouarum sectarum Sacramentariorum, Anabaptistarum auctoribus deest? an non, & hi certè in noui testamenti libris doctrinam Euangelij certò, & clarissimè traditam clamant, quam tamen se non intelligere, ac tenere ipsi satis ostendunt? an verò propter vniuscuiusque insani, & à Satana exagitati cerebri furores, & somnia, etiam noui testamenti versionem, quæ ad illius Sacramentarij, aut Anabaptistæ, fanaticum sensum edendam fuisse, aut esse iudicabimus: quis hic futurus esset modus, vel numerus nouarum versionum.*

5 Idem Lutherus de hac mira multitudine, varietate, & fœcunda ista interpretationũ genitura, scripsit sequentia verba, quæ tanquam oraculum inter Lutheri Apocalypses à Georgio Vualdero Lutherano prędicante titulo de lib. Scrip. sic descripta sũt. *Nostra ætate tot sunt Bibliorum versiones, vt temporis successione tàm multa fortasse sint Biblia, quam multi sæculi in Hebraica lingua Magistros sese profitebũtur, vbi nec finis nec modus erit.*

6 Facultas Theologica Academię Tubigensis in approbatione libro- Facul. Theol. Tubing.
rum Osiandrinorum, sic ait: *Multi hoc nostro litteratissimo sæculo in conuersionibus Bibliorum, & eorundem interpretum sedulam, & non contemnendam operam nauarunt, sed eam tamen, in qua lector non satis æquus desiderare posset. Nam dum illi nouas conuersiones afferunt, videntur studiosis Theologiæ Veterem illam, & vsitatam velle manibus excutere. Nonnulli inuertendo obscuram diligentiã Hebræorum &c. non modo gratias, sed fructum studij sui propemodum omnem amittunt. Sunt etiam non pauci, qui destituti solidiore cognitione Hebraicæ linguæ, & ignari proprietatis, & elegantiæ, interpretationes in medium afferunt, aut prodigiosas, aut certè non satis instituto conuenientes.*

7 His subscripsit Ioannes Caluinus in præfat. in sua opuscula, dicendo: *Tandem (quod est caput mali) dum obstinatè tueri pergunt, quod semel temere effutiuerunt, tunc oracula Dei cõsulunt, ex quibus errores suorum patrocinia quærunt. Ibi Deus bone, quid non inuertunt? Quid non deprauant, atque corrumpunt, vt ad sensum suum non dico inflectant: sed vi incuruent? scilicet verè dixit Poeta. Furor arma ministrat. Heccine est discendi via? versare, & volatare Scripturas, vt libidini nostræ seruiant? vt sensui nostro subijciantur? quo nihil est stolidius. O sonticam pestem? & certissima Zizania inimici hominis; quibus vult obcæcare ve-* Caluinus.

rum

Digitized by Google

rum semen. Et adhuc miramur, vndè tot sectæ inter eos, (dicas inter nos) qui primum nomen Euangelio dederãt, ac renascenti verbo. Taxat is Protestantium versiones, ac nostram vulgatam firmat, dum illas infirmat.

8 Vt autem Vniuerso pateat Orbi, quantum in exponendis Sacris Scripturis, varij sint Protestantes, sit pro exemplo vnius tantùm versiculi psal. 109. translatio, seu versio. Vbi enim nostra vulgata legit: *Tecũ principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum, ex vtero ante Luciferum genui te.* vt refert Cochlæus libro de Nouis Translationibus Euãgelicorum, Lutherus in Psalterio Germanico legit: *Post victoriam tuã offeret tibi spontaneæ populus tuus in Sãcto decore, filij tui nascentur tibi sicut ros ex aurora.*

9 Bucerus vertit: *Populus tuus aderit spontaneus in die, quo virtutem tuã declarabis in Vrbe, sancto splendore insigni, vt ros matutinus aderit ab vtero iuuentus tua.*

10 Pomeranus transfert: *Tecum, principatus in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum &c.*

11 Pellicanus: *Populus tuus oblectationes liberales in die virtutis tuæ, in decoribus sanctitatis; ex Vtero auroræ tibi ros generationis tuæ.*

12 Munsterus legit: *Populus tuus spontanearum est voluntatum in die exercitus tui, in magnificentijs sanctitatis ab vtero auroræ est tibi ros natiuitatis.* Hæc ex Cochlæo.

13 Iunius, & Tremellius vertunt: *Populus tuus populus voluntarius, dic copiarum tuarum, in decoris locis sanctitatis: inde ab vtero, tibi aderit ros viuenti accuratissimè.*

14 Castalio legit: *Tuæ copiæ voluntariæ erunt, qua die expeditionem cum sacra maiestate facies: ex vtero auroræ habebis rorem tuæ iuuentutis.*

15 Zuuinglius in suo Psalter. legit: *Populus autem tuus in die triumphi tui offeret cum sancta pompa.*

16 Leo Iudas in Biblijs tigurinis vertit: *Habes promptissimum populum cum educet nouas copias: tibi etiam est ros generationis tuæ in summo decore, & sanctitate ex vtero auroræ.*

17 Musculus transfert: *Populus tuus spontaneus in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctitatis: ex vtero, veluti ex aurora tibi ros iuuentutis tuæ.*

18 Caluinus vertit: *Populus tuus cum volũtarijs oblationibus in die exercitus tui in pulchritudine sanctitatis: ex vtero ab aurora tibi ros adolescẽtiæ tuæ.* Sic illi pro suo arbitratu modulantur.

19 Risisti lector? Iure quidem. *At maiora, & execrabiliora audias.* Eos hæc dementia cœpit; vt eorum aliqui, Paganorum, & Ethnicorum, more Scripturas vertant; sit exemplum in versione Castalionis in qua passim obseruabis Sem paganam interpretationem. Videbis ibi Pro nomine Dei Omnipotentis, & Patris Domini nostri Iesu Christi, *Iouem Ducem armipotentem, Grandæuum ac cælicolam.* Eiusdem ardentissimam Charitatẽ vocat, *Cupidinem*; Et Angelos eius, *Iouis Genios*; Dei sedem, *Augustale Iouis*; Dei templum, *fanum Iouis*; Sanctum Israel, *Augustũ Israelitarum*; Prophetas Dei; *Vates* atquè *fatidicos Iouis* vocat; pro prophetare, exponit, *baccari*; pro gigantibus, *Titanum sobolem*; pro sole, *Phœbum*; pro inferno, *Orcum*; pro incolis inferni, *Manes*; pro Sacro cantu, *Pœana*; & innumera fermè alia, ex Paganorũ, ac Gentilium spolijs suffurata; De quibus taceo.

20 Vt autem etiam nouum cultum introducerent, Multa verterũt superstitiosè. Canticum Zachariæ vbi cum Vulgata in Ecclesia canimus, *In sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.* Lutherus ex Cochlæo, sic vertit: *Quoad viuimus in sanctitate, & iustitia, quæ ipsi placita est.* In cantico Virginis peccatorum Aduocatæ, vbi habemus: *Beatam*

tam me dicent omnes generationes, inuertit Lutherus: *Beatam me glorificabunt omnes filij hominum*. Dominicã orationem peruertit Idem Lutherus dicendo; *Noster Pater in cælo, tuũ nomen sit sanctum.* Et in fine, sic orationem claudit: *Sed libera nos à malo, quia tuum est regnum, & virtus, & gloria in sæcula. Amen.* Idem similiter, Angelicam salutationem inuertit, sic: *Aue gratia amabilis.* Et Castalio, sic: *Salue accepta, cui Dominus adest quæque es mulier fortunatissima, Felix, & istius ventris fœtus.* Adeò Bezæ, versio hæc paganizans Castalionis, displicuit, vt dixerit de suo Conreligionista: *Atqui non erat istorum disertulorum morositati indulgendum, ac propterea tot hominum millia offenderes, atque adeò sacras literas tam fœde prophanares &c. Quis verò sani iudicij homo non cohorruit cum Beatos illos Angelos audiret in Genios esse trãsformatos?* De alijs innumeris propemodum Sacræ Scripturæ depravationibus, dicetur Instructione sequẽti ex professo.

21 Audiamus nunc sententiam, quam quisque Protestans de trãslatione, ac versione sui Cõreligionistę pronunciat. Bucerus Lutheri discipulus dialog. contra Melanchonem inquit: *Lutheri lapsus in vertendis Sacris Scripturis manifesti sunt, ijque non pauci.* Item, ab Andrea Osiandro, versio Noui Testamenti eiusdẽ Lutheri, condemnatur, vt habetur ex colloquijs mensalibus Germanic. fol. 245. Kikermanus in systematibus Theolog. lib. primo cap. 118. dicit: *Lutheri versio Germanica in Veteri testamento præsertim in Iob, & Prophetis nævos suos habet, & non exiguos.* Zuuinglius tom. 2. ad Lutheri librũ de Sacram. fol. 412. & 413. contra Lutherum inuehitur, dicendo: *Verbum Dei adulteras manifestus, & communis Sacrarum Scripturarum corruptor, ac peruersor deprehenderis.* Vicissim Lutherus Zuuinglianam versionem reijcit; quare, cùm Christophorus Froschouerus Bibliopola Tigurinus, versionem à Zuuinglianis factam, ad Lutherum transmisisset, illam is remisit, ac reiecit, vt refert Lauaterus in histor. Sacramentaria fol. 32. Et apud eumdem Zuuinglium tom. 1. fol. 388. & 389. Lutherus vocat Zuuinglianos, homines *in Theologicis stultos, Asinos, Antichristos, deceptores, intellectus Asinini homines*. Præterea Theodorus Beza in respons. ad defens. Castalionis versionem Oecolempadijs & Basileensiũ criminatur, eamq; *in multis locis impiam, & à mente Spiritus Sancti prorsus alienam* appellat. Sed, & Conradus Schlusselburgius Lutheranus in Theologia Caluinist. lib. 2. art. 6. pag. 44. A. dum Zuuinglianos alloquitur, ait: *Non potestis rem inficiari, aut occultare, quia exemplaria Francisco Regi Galliarum à Zuuinglio dedicata, sunt in plurimorum hominum manibus, excusa Tiguri anno 1525. in Mense Martio in octauo &c.* & addit de exẽplari Germanico: *Ego in Saxoniæ oppido Mundera anno 1560. apud Scholæ Rectorem Vmbertum, vidi exemplar Germanicorum Bibliorum quæ Tiguri erant impressa; vbi non sine insigni admiratione, & animi perturbatione verba filij Dei ad imitationem Zuuinglij somniatoris depravata esse deprehendi. Nam in omnibus illis quatuor locis* Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. & 1. Corinth. 11. *vbi verba institutionis testamenti filij Dei recensentur, Hoc est corpus meum, in hunc modum textus erat falsatus, Hoc significat corpus meum, Hoc significat sanguinem meum.* Hæc de Zuuinglij versione Sublusselburgius. Carolus Molinæus in sua translatione testamenti Noui p. 11. fol. 110. Caluini præceptoris sui versionem, his titulis cohonestat: *Caluinus in sua harmonia, textum Euangelicum, desultare facit sursum versum, vt res ipsa indicat; vim infert litteræ Euangelicæ, & illam*

illam in multis locis transponit, & insuper addit litteræ.

Beza. 22 Beza loco cit. Castalionis versionem sugillat *quod sit impia, sacrilega, ethnica*; taliter; vt Castalio coactus sit *Apologiam* pro sua translatione edere, in cuius præfat. sic conquæritur: *Nostram Bibliorum tùm Latinam, tùm Gallicam translationem, quidam non solùm vt indoctam, sed etiã vt impiam, & multis in locis à Diuina Spiritus Sancti sententia discrepantem explodunt.* Vicissim, idem Castalio in defensione translationũ suarum fol. 170. & sequent. dicit: *Annotabo antẽ nõ omnes eius errores &c. tot sunt enim Bezæ versionis errores, vt ad eas notandas, opus esset nimis magno libro.* De versione eiusdem, Molinæus loc. cit. p. 20. 30. 40. &c. ait: *Theodorus Beza, Matthæi 10. v. 10. Lucæ 9. v. 3. de facto mutat textum, vt hos ita conciliet.*

Parkesius. 23 Parkesius in *Apolog.* trium testium pro descensu Christi ad inferos, sic Vuillectum alloquitur; Rex Angliæ *Quoad Biblica Geneuensia, vtinam illis erroribus, quibus textus, & margo scatent, purgarentur, aut planè prohiberentur.*

24 Iacobus Rex Brittanniæ in colloquio Hamptoniẽsi anno 1604. in 2. die collat. pag. 46. ait: *Nunquam hactenus vidi Biblia in linguã vernaculam Anglicanam ritè versã*, & ibidem pag. 47. omninò inquit: *Versio Genæuana est omniũ pessima.* Et in margine ibidem notat Rex: *Partibus fauet, seditiosæ, & falsæ sunt &c.*

25 Hæc eadem versio Anglicana, in sola psalmorum traductione multos continet errores, vt merito Puritani. Puritani in libello attitulato, Petitio Excellentissimę Regiæ Maiestati exhibita fol. 67. 76. initio dicunt: *Quã habemus in rituali nostro psalmorum versionem addendo, subtrahendo; mutando plusquam ducẽtis in locis ab Hæbraica veritate dissidet*; ac proindè dicunt, *nos planè dubitamus, an tuta conscientia eidem subscribere possimus* fol. 75. in fine.

26 Ministri Diœcesis Linconiensis in compendio libri quem Regi Anglorum exhibuerunt die prima Decembris fol. 11. Dicunt: *Versio Anglicana demit* (pag. 11. fine, & 12. initio) *addit textui, mutando vel obfuscando Spiritus Sancti sententiam* pag. 13) *est absurda, & insulsa, mentem Spiritus Sancti multis in locis peruertit*, sententiamque Regis in colloquio supradicto approbant. Linconienses Ministri.

27 Christophorus Carleius lib. quod Christus descendit ad *Inferos*, interpretes, & versores Anglicanos arguit, pag. 116. *A.* 117. *B.* 118. A. 144. ait, *quod Scripturæ sensum deprauarunt, veritatem obfuscrarunt, simplices deceperunt, multis in locis scripturã à recto sensu detorserunt, & planè monstrauerunt, se tenebras magis quàm lucẽ, falsum magis quàm verũ damnare.* Carleius.

28 Burgesius in *Apolog.* sec. 6. cuius verba citat Couuellus resp. ad *Burgesium* pag. 93. ante med. de eadem Anglicana versione ait: *Quomodo Chirographo meo approbabo versionem illam, in qua tot omissiones, tot additiones inueniuntur, quibus sensus aliquando obfuscatur, aliquando peruertitur, quæ aliquando insuta, aliquãdo contraria continet.* Hæc de Anglicana versione *Aduersarij* pangunt. Burgesius.

29 Præterea Lutheri versio (res risu digna à Matheso narrata) supra in sugestu vapulauit, ministro quodam flagellante, & dicente: *disce melius, disce melius?* Idem Matheius Protestans narrat, quod cùm Lutherus vellet Scripturam interpretari, non *Doctores* consuluit, non lexica adijt, sed laniones vocauit, vndè ait ipse, *Lutherum aliquot verueces mactandos curasse, adhibito lanione, qui indicaret, quibus Germanicè vocabulis singulæ veruecum partes, particulæ, mẽbra, & membranule afficiantur, & vernaculè appellentur.* Digni certè tali *Doctore* interpretes. Eiusdẽ versionem damnant Tigurini Sacramentarij, vt deplorat Stoltzius in defen- Matheſius.

Digitized by Google

sio. Luthe. eadem damnant Osiandrini in Confessi. Mansfeldensi, qui Luthero obijciunt. *Multa loca depravata dolo, & falsitate*; Sebastianus Munsterus præfat. in nouũ Testam. inquit, *plures versus omissos in recognitione Lutheri*. Huius excucullati Apostatæ quot, & quæ sint Scripturarum deprauationes, edisserunt multi Scriptores vt Emserus præfat. noui Test; Cochlæus de nouis interpretibus, Lindanus in dubitãtio lib. primo, Frater Ioannes Deitembergensis ord. præd. & alij.

Munsterus.

30 Quid adhuc egemus testibus, Lutherus ipsæ sibi testimonium perhibet, is enim in præfat. vltimæ editionis, ait, se sæpè versionem mutasse; imò, & post annos 20. se erasse profitetur: & tom. 12. libello *de interpretando* suam incõstantiam prodit in duplici interpretatione psalterij, dum ibi ait: *Prius psalterium Germanicum in multis locis est Hebræo propinquius, & longius à Germanico: Istud verò est Germanico propinquius ab Hebræo longius.* O dementati hominis leuitatem!

Lutherus.

31 Paulus Eberus Lutheri assecla Pastor Vuittembergensis, in præfatione Vulgatæ à se correptæ ad Ducem Saxoniæ, ita inquit: *Oportet me hoc in loco fateri, & deplorare me sepius nimia festinatione officinæ typographicæ, & alijs meis Ecclesiasticis, & scholasticis occupationibus impeditum quo minus verborum difficiliorum proprijssimas significationes diligenter inquirerem, & alios doctiores de ijsdem consulerem, adeo vt me nunc pudeat, & pæniteat huius institutæ correctionis (ò bellum correctorem!) & mutatæ versionis latinæ, imò etiam si scirem per Celsitudinis vestræ intercessionem impetrari posse, supplex rogarem, vt Clementissimus Elector, ac Dominus noster seriò prohiberet, ne hæc à nobis emendata versio posthac vnquam, aut vllibi excudatur, cum neque sit amplius vetus illa quæ in Scholis, & templis vsurpata fuit hactenus in lectionibus, & concionibus Sacris, neque noua dici mereatur integra, & perfecta, cui in locis obscurioribus tuto fidere lector possit.*

Eberus.

32 Ceterùm ne plus æquo insudem; Pastores Geneuenses, ad suos in Gallia, inque alijs Prouincijs, & Regnis congerrones, dum rescribunt ex condicto, & officio; ipsi cum prærecensitis, contra sẽ, nobiscũ pronunciant, in suorum Bibliorum Præfatione. Verba ipsa reddam vtpotè decretoria. *Et si possimus ingenuè prætestari, à nobis omni ope, & opera allaboratum, vt concepta de nobis spes falleret neminem: id tamen effectum nequaquam præsumentes, precamur ex animo non solùm eos, cuius hortatu hoc à nobis susceptum Opus, quod nostrum vtique captum omninò superare confitemur: sed illos insuper, qui tametsi in aliqua nostræ Fidei parte explicanda, nobiscum minimè consentiant; possent nihilominùs aliquid animaduertere, in quo putarent nos vel tantillum aberrasse, seù in proprietate idiomatum; seù in Prophetarũ, Apostolorumque intentione, velint nos fraternè iuxtà Christianam charitatem commonere.* Postea subiungunt: *Vsos se quidèm præcedentibus translationibus, nulli tamen in totum addictos. Sed in ea Lucubratione vsi sumus (aiunt) Sancta libertate; ex phraseon numero alias mitigantes, alias permutantes. Quanquam de cætero haud sperant se facturos satis, ijs etiam quos habent suæ doctrinæ socios; cùm hactenus Gallica nulla extet translatio, cui in totum fas sit adhærere.*

33 Ex omnibus hactenus recensitis Protestantium quærimonijs colligo; Quòd secundùm eos, nulla ipsis certa Fidei regula superfit; idque, sic ad oculum ostendo. Scriptura, in aduersariorum acri sententia, est vnica, & sola Fidei eorum Regula. Sed huic regulę non est fidendum in doctrina Fidei, neque possunt se illi tuto committere, vt ipsi dicunt. ergo nullam ipsi certam Fidei regulam

Falsitas Fidei Protestanticæ ad oculum ostenditur.

lam habent. Sternant hunc *Achillē* si valent glorioſi milites.

34 Maior eſt Lutheranorum, & Caluinianorum; imò hi expreſſo ſuę Confeſſionis Fidei articulo 5. de Sacra Scriptura, aiunt: *Sermonem his voluminibus contentum, profectum à Deo; à quo ſolo auctoritatem ſumit, non verò ab hominibus. Et quoniam VERITATIS OMNIS REGVLA EST, complectens quicquid neceſſarium eſt ad Dei cultum, noſtramque ſalutem; non licet hominibus, nec etiam Angelis quidquā addere, minuere, aut demutare.* Minor propoſitio eſt ipſiſſima aduerſariorum doctrina, in tota hac Lectione, fideliſſimè ex eorum libris ad verbū deſumpta. Conſequentia benè deducitur, & patet ad oculum.

35 Igitur Proteſtantes humaniſſimi, animæ veſtræ conſulite, agitur de veſtra ſalute, agitur de æternitate; videte laqueos quibus tenemi ad Dœmonis voluntatem, & reſipiſcite. Iam, deſtituti tùm auctoritate Eccleſiæ, quàm repudiatis; tùm Scripturæ, quam deprauatis, & incertam regulam fidei facitis; nulla vobis certa credendi regula reſtat: nullum vobis relinquitur inconcuſſum religionis fundamentum. Et verò cùm lis tota moueatur, non tàm de textu, quàm de Scripturarum interpretatione, quam efficit variam diuerſorum libido; iuremeritò Vulgatæ editio quam à Sancta Eccleſia Romanocatholica accepimus, omnibus alijs eſt præferenda. Quippe nouelli veſtri Deucaliones, dum omnia reformare pergunt, omnia deformant: & omni Spiritus Sancti promiſſione deſtituti, & ipſi poſsūt decipi, & veſtros conſectaneos de facto decipiunt. *Amplectēdi ſunt, (credite mihi humaniſſimi Proteſtātes)* priſci Patres noſtri, quorum canities *Auguſta*, doctrina ſolida & ſincera, intelligentia *Apoſtolica*, Sanctitas omnibus ſeculis perſpecta, & explorata.

36 Habes igitur candide Lector Iudicium, & ſententiam Proteſtantium, de ſuis Verſionibus, Habes quod eaſdem Tandem ad vnam omnes, damnant, tanquam Verbi Dei corruptrices, adulteratrices, & falſatrices. Quæ ergo, per Deum immortalem, eſt eorum fides ac Religio, ſine Verbo Dei, quòd eſt Fidei, Religioniſque baſis? Et quę poteſt eſſe huius ædificij ſtructura, ſine fundamento? Ruat neceſſe eſt dicēte Irenæo lib. 4. cap. 63. & 52. Fidem ibi reperiri, vbi *lectio ſine falſatione, & ſecundùm Scripturas expoſitio legitima.*

37 De Deprauationibus Verbi Dei Scripti, iterum, ex profeſſo fusè in ſequēti Inſtructione tractabimus.

LECTIO III.

De obſcuritate Verbi Dei Scripti, eiuſq; ſenſu non omnibus obuio.

1 SI cogitemus Dei volumen, ſi vaticinationes; eſt vtrobiq; cortex, eſt & medulla. Sic, habet Religionis Templum ſua veſtibula, habet & Sacraria. *A* Deo Opt. Maximo, Sacrarum Scripturarum Auctore, nouimus, ita fuiſſe diſpoſitum, vt earum ſenſus non eſſet omnibus facilè obuius; atque illum, tanquam Dei ſapientia indutum, talitèr voluit obſcuritatibus obuolui, vt indè fidelis egeat interpretatione. Eā tamen Aduerſarij vſque ad rauim ita apertam, ita obuiam ac manifeſtam inclamant, vt rudi cuique figulo, & lanioni, abſque interprete exponendam committere, non erubeſcant: nec mirum, cùm illi haud ſecus, quàm Æſopici canes externam, tantùm Scripturarum ſuperficiem lambentes, ad illius profunda non pertingant. *Audite*

Digitized by Google

Mendacium Protestantium.

2 LVtherus peritissimus omnis Zizaniæ Sator lib. de Seruo Arbitrio contra Erasmũ, Catholicos carpens, sic eundem alloquitur: *Esse in Scriptura quædam abstrusa, & non omnibus exposita, inuulgatum est quidem per impios sophistas, quorum ore, & tu loqueris Erasme: sed nunquam vnum articulum produxerũt, nec producere possunt, quo suam hanc insaniam probarent.* Et tandem concludit. *Igitur, & tu, & omnes Sophistæ, agite, & producite vnum altquod mysterium. quod sit inscripturis adhuc abstrusum. Quod verò multis multa manent obscura, non hoc fit Scripturæ obscuritate, sed illorum cæcitate vel socordia, quæ non agunt, vt clarissimam lucem videant. &c.* Et tom. 2. latino Vuittemberg. sub. finẽ, dicit: *Non sunt Euangelia tàm obscura, vt pueris ea non possint patere.* Rursus, Præfation. in *Assertione* art. à Leone X. damnatorum, inquit: quòd *Scriptura sit ipsa per se certissima, facillima, apertissima, sui ipsius interpres, &c.*

3 Huic manus prebent sui, Melancthon in locis communib. anno 1523; vbi ait: *Censeo non alitèr atque pestem fugiendos hominum commentarios, &c.* Brentius in Prologome. cõtra nostrum Petrum à Soto, inquit: *Nugantur enim, Scripturam esse obscuram &c.* Kemnitius in censura Colonienſi, Hunnius in disputatione de colloquio cum Pontificijs ineundo thesi 273. Et Saubrandus.

4 Ex Caluinianis Vuitakerus, qui dicit, Scripturas ita esse manifestas, *vt à Populo, atque ab indoctis cum fructu aliquo, ac vtilitate legi possit.* Deinde ait, quòd omnia quæ necessaria sunt ad salutem, *apertis verbis in scripturis habentur.*

5 Bernardinus Ochinus Dialogo 2. in idem consentit, dum ait: *Sacræ literæ per se sunt conspicuæ, presertim in rebus ad salutem necessarijs.* Atque hęc sunt Aduersariorum mendacia, & ægri somnia.

VERITAS CATHOLICA.

Verbum Dei Scriptum, sicut in multis obuium est, ac manifestum; ita, & in multis obscurum est, ac difficilè.

6 ANtequàm probetur hæc Veritas, quædam necessariò sunt præmittenda.

7 Præmitto Primò ex *D.* Thoma p. p. q. 1. art. 10. quod duplex est Sacræ Scripturæ sensus, (estò alias inferiores patiatur partitiones) Historicus, seu literalis, & Mysticus. Literalis is est, qui immediatè significatur per Verba, siuè propria illa sint, siuè Metaphorica. Pro quo notandum valdè est, quòd non tantùm eum literalem sensum appellandum censeo, quem propria Verborum significatio designat, aut grammaticali constructioni affixus est: quo in errore nonnulli versantur, qui nullum in Scripturis literalem sensum agnoscunt, prætèr eum, quem ipse literæ cortex præscribit: Quòd sanè falsum est: cùm inde sequeretur plurima Scripturarum loca, imò integra librorum Sacrorum capita, atq; adeò integros libros, literali sẽsu carere. Nam Cantici Canticorum Verba, nisi obscenum sensum Spiritui Sancto, illius libri auctori, ascribere velimus, ferè omnia translata sunt; neque vllus in ijs literæ sensus agnoscendus est, qui certè agnosci deberet, si grammaticalis tantùm sensus spectandus esset. Quare, eum literalem sensum Scripturarum esse dicimus, quem præcipuè Spiritus Sanctus Scripturarum auctor in ijs obtendit: siue is Metaphoricus, siue Allegoricus, siue Tropologicus, & Moralis sit. Plerunque enim contingit, lite-

Sensus Sac. Scripturæ buot, & qui sint.

Digitized by Google

literalem sensum à Spiritu Sancto intentum, *Allegoricum* esse: qualis est qui à *Diuo Paulo* ad Galat. 4. sub Isaac liberæ filio, & Ismaelis filio *Ancillæ*, Saræ scilicet, & *Agar* Metaphora traditur, quibus literalitèr Hebræus populus sub veteris legis iugo seruiens, & Christianus Populus Noui Testamenti à legis seruitute liber, Christique libertate donatus, exprimitur. Ne autem hoc videatur voluntariè dictum, licet annectere Hieronymi suffragium, qui in cap. 3. *Abacuc*, totum hoc, his verbis declarat: *Quòd si quis dixit allegoriæ clausus es retibus, & tropologiam historiæ miscuisti, audiat non semper Metaphoram historicam allegoriæ consonare; quia frequentèr historia ipsa Metaphoricè texitur.* Et Origenes homil. 3. in Psalm. 36. explicans illud, *Quoniam brachia peccatorum conterentur.* inquit: *Quomodo potest hoc secundùm literam stare, etiam si aliquis vim facere conetur per imperitiã? sunt multa in Scripturis ita posita, quæ etiam eũ, qui valde brutus est, & stertit, mouere possunt, immò cogere, vt necesse habeat litera derelicta ad intellectum conscendere spiritualem.* Huc spectat quod 2. Corinth. 3. Paulus ait, *literam occidere, spiritum autem viuificare.* Non enim Apostolus, verum literalem sẽsum damnat, aut spiritualem tãtùm commendat; sed eum literæ sonũ, ac inlelligentiam, velut occidentem vitare iubet, quæ cum literali sensu à Spiritu Sancto intento, vt supra diximus, pugnat. Videatur D. August. in hunc loc. Pauli. Hæc præmisimus de sensu literali, pro ijs qui in hoc erant hallucinati.

Sensus literalis.

8 Premitto 2. quòd Sensus Mysticus is est, qui non immediatè significatur. per verba, sed per rẽ verbis significatã. Et hoc, quia in Scripturis duplic ẽadinuenimus significationem, vnam Verborum, & hæc ad literalem sensum pertinet, eo modo quo nuper dicebamus; rerum alteram, & hanc ad Spiritualẽ, seu mysticum sensum pertinere fatemur. Verba enim secundùm literam, rem aliquam significant; & res Verbis significatæ, rem aliam à se significant. Affert exemplum D. Thom. loc. cit. In testimonio D. Pauli primæ Corinth. cap. 11. dicitur: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes Mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in Nube & in Mari, & omnes eandem escam Spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Sensus literalis horum Verborum est; quòd filij *Israel* egressi fuerunt ex Ægipto, transierunt mare rubrum, ambulauerunt sub nube, comederunt manna in deserto, biberunt aquam de Petra &c. Mysticus est iste, qui non immediatè per Verba iam dicta significatur, sed per res verbis illis significatas. Etenim, exitus filiorũ Israel de Ægipto per Moysẽ, significat exitũ nostrũ à peccati seruitute per Christum. Rubrum mare, significat *Baptismum*; Manna, Sacramentum Eucharistiæ; *Aqua*, Sanguinem Christi; & petra, significat Christum Dominum.

Sensus Mysticus qui sit.

9 Hic autem sensus Mysticus, seu Spiritualis, iuxta numerum triũ virtutum Theologicarum diuiditur, in *Allegoricum* qui correspõdet Fidei, & est, quando Scripturæ Verba, præter sensum literalem, quem continent, significant aliquid, quod ad Fidem, vel Ecclesiam militantem pertinent: v. g. Abraham, in sensu literali habuit duos filios, ex *Ancilla* vnum, ex Libera alterum: *Hoc Allegoricè*, Deum significat, qui duos habuit populos, vnum ex Synagoga, scilicet Iudæorum; ex Ecclesia alterum, scilicet Populum Christianum; Illum sub Mosaycæ legis seruitute; Istum sub gratiæ Christi libertate. Galat. 4. *In Anagogicum*, qui correspondet Spei, & est, quando Scripturæ Verba, vltrà sensum literalem, aliquid ad vitam æternã, quam speramus, vel ad Ecclesiam

Sensus Allegoricus.

Sensus Anagogicus.

trium-

triumphantem ſpectans, ſignificant: v.g. in pſalm. 94. dicitur: *Quibus iurauí in ira mea, ſi introibunt in requiẽ meam.* Hoc, in ſenſu literali, ſignificat terram promiſſionis; In ſenſu autem *Anagogico*, ſignificat vitam æternam, quæ erit noſtra requies Hebre. cap. 4. Et in Moralem, ſeù Tropologicum, qui correſpondet Charitati, & eſt, quãdo vltra ſenſum literalem Scripturæ, aliquid aliud, ad morum inſtructionem, vel ad Charitatis officia pertinens ſignificatur: v.g. Deuteron. cap. 25. *Non alligabis os boui triturãti*; Hoc, de veris bobus literaliter intelligendum eſt, moraliter verò de Concionatoribus, qui non debent impediri, ne victum à fidelibus, in vitæ ſubſtentationem, expoſtulent, 1. Corinth. 9. Concludamus igitur; Quòd ſi ſecundùm res geſtas accipiamus Scripturæ verba, hiſtoria eſt, & litera. Si futura quæ preſignabant, Allegoria; ſi æterna, Anagogia; ſi morum informationem Tropologia cõſtituitur. His præmiſſis.

Senſus moralis.

10 Probatur ergo Veritas generalibus Principiijs Proteſtãtium inhærendo, ex Sacra Scriptura, & totius antiquitatis conſenſu. Primò, ex Sac. Scriptura cum *D.* Hieronymo in epiſt. ad Paulinum de inſtitutione Monach. cap. 4. quadruplici loco, ſcilicet ex pſalm. 118. 2. Corinth. 3. Matth. 13. & *Apocalyp.* 3. *Totum, (*ait*) quod legimus in diuinis libris, nitet quidem, & fulget etiam in cortice, ſed dulciùs in medulla eſt: qui edere vult nucleum, frangat nucem. Reuela inquit Dauid (*pſal. 118.*) oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas paruulos (*2. Corint. 3.*) & pænè lactentes inſcitiæ noſtræ circumdari? Hoc autem velamen non ſolum in facie Moyſi, ſed & in Euangeliſtis, & Apoſtolis poſitum eſt. Turbis Saluator in parabolis loquebatur, & conteſtans myſticum eſſe quod loquebatur, aiebat: (*Matth. 13.*) Qui habet aures audiendi audiat. Niſi aperta fuerint vniuerſa, quæ ſcripta ſunt ab eo, qui (*Apocalyp. 3.*) habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit, nullo alio reſerante pandentur.*

11 Præterea, multa ſunt in Scripturis, quæ eiuſdem obſcuritatem indicant, vt ſunt, Oſeæ 14. *Quis ſapiens & intelliget iſta; intelligens, & ſciet hæc:* Eſaiæ 29. *Et erit vobis viſio omniũ ſicut verba libri ſignati, quem cum dederint ſcienti litteras, dicent; lege iſtum, & reſpondebit, non poſſum ſignatus eſt enim;* Matth. 13. *Ediſſere nobis parabolam iſtam.* Hæc & alia complectens idẽ Hieronymus Præfat. in Oſeam, Scripturæ obſcuritatem teſtatus, ait: *Si in explanationibus omnium Prophetarum Sancti Spiritus indigemus aduentum, vt cuius inſtinctu ſcripti ſunt, illius reuelatione pandantur: Et in Eſaia ſignatum librum legimus, quem Scribæ, & Phariſæi, qui Legis litteras ſe noſſe iactant, non poſſunt legere, quia ſignatus eſt: nulluſque inueniri potuit, niſi Leo de Tribu Iuda, (*Apoc. 5.*) quem ſignauit Deus Pater, qui eius poſſet reſerare myſteria: quanto magis in explanatione Oſeæ Prophetæ orandus eſt Dominus, & cum Petro dicendum, Ediſſere nobis parabolam iſtam, præſertim cum obſcuritatem voluminis in fine teſtetur ipſe qui ſcripſit: Quis ſapiens, & intelliget iſta; intelligens, & cognoſcat ea? Quod non pro impoſſibili, ſed pro difficili debemus accipere.*

12 Sed & illud pſal. 17. *Tenebroſa aqua in nubibus aeris*, explicatur ab eodẽ Hieronymo in Ezech. homil. 6. *quia obſcura eſt ſententia in Prophetis.*

13 Rurſus, pſal. 118. Dauid Sapientiſſimus Rex, à Deo expoſitionẽ Legis expoſtulat, illis verbis: *Iuſtificationes tuas doce me*, vbi *D.* Ambroſius ſerm. 8. inquit: *Multa eſt obſcuritas in Scripturis Propheticis: ſed manu quadam mentis tuæ Scripturarum ianuam*

Digitized by Google

nuam pulses, & ea, quæ sunt occulta, diligenter examines, paulatim incipies rationem colligere dictorum, & aperietur tibi non ab alio, sed à Dei Verbo, de quo legisti in Apocalypsi 5. quod Agnus librum signatum aperuit, quem nullus ante aperire poterat.

14 In Nouo etiam Testamento multa passim obscura sese offerre, testatur Lucas cap. 24. vbi de Christo dicit: *Incipiens à Moyse interpretabatur illis sensum vt intelligerent Scripturas.* Vbi Beda, *aperuit sensum, vt intelligeretur quod legitur Matth. 13. vt videntes non videant, & audientes non intelligant.*

15 D. Petrus epist. 1. cap. 1. de Scripturarum obscuritate loquens, ait: *Non sicut voluit homo locutus est Spiritus: sed sicut voluit Spiritus locutus est homo.* Vbi Chrysost. homil. 44. in cap. 23. Matth. Operis imperfecti, dicit: *Ergo non sunt Scripturæ clausæ, sed obscuræ quidem, vt cum labore inueniãtur. Propterea dicit Petrus in Epistola sua de Scripturarum obscuritate: quia non sicut voluit homo, locutus est Spiritus, sed sicut voluit Spiritus locutus est homo. Ratio autem obscuritatis multiplex est*, &c.

16 Et idem Apostolus iterum in rem nostram epist. 2. cap. 3. ait: *Sicut & Charissimus Frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficillia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Hoc Petri testimonium de obscuritate, quæ passim in Apostoli Pauli Epistolis reperitur, Irenæus expendit lib. 3. aduers. hæres. cap. 7. & obscuritatis rationẽ reddit, his verbis: *Ideò Paulus obscurus est, quoniam hyperbolis frequenter vtitur, propter velocitatem sermonum, & propter impetum qui in ipso est, Spiritus.* Idem testatur Origenes Præfat. epist. ad Romanos.

17 Postremò, ipsemet Christus testatur, multa in Euangelijs reperiri, quæ non facilè à quolibet percipi queant: Is enim, cùm sub Eunuchorum nomine, qui se ipsos propter Regnum Dei castrauere, Castitatis, & Cœlibatus Consilium hominibus persuadere vellet; cùm id obscuriùs exprimeret, quàm à quolibet intelligi posset, addit Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est:* Et statim subdit: *Qui potest capere capiat.* Quo sanè dicto annuere voluit, rem illam plerisque obscuram futuram esse, nequè omnibus eum sensum fore patefaciendum. Habemus igitur ex Scripturis, Scripturãrum obscuritatem.

17 Probatur secundò, Auctoritate Veterum Patrum; Clemens 1. Papa lib. 1. Recognit. Scripturarum obscuritatem agnouit, dum dixit: *Secũdùm Traditionem veri Prophetæ, qui solus scit, quæ facta sunt, vt facta sint; & quæ fiunt, vt fiant; quæque erunt, vt erunt: quæ tamen manifestè quidem dicta, non tamen manifestè scripta sunt, in tantum, vt cùm leguntur, intelligi sine expositore non possint, propter peccatum, quod coadoleuit hominibus.* Scripturarum intellectũ etiam, nobis ereptam esse propter peccatum, asseuerat Sanctissimus iste Pontifex.

18 Irenæus lib. 2. aduers. hæres. cap. 47. de hoc eodem argumento, ait: *Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippè à Verbo Dei, & Spiritu eius dictatæ: Nos autẽ secundùm quod minores sumus, & nouissimi à Verbo Dei, & eius Spiritu, secundùm hoc & scientia mysteriorum eius indigemus &c. Quid mali est, si eorum, quæ in Scripturis reperiũtur, vniuersis Scripturis spiritualibus existentibus, quædam quidem absolnamus secundùm gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo, & non solum in hoc sæculo, sed & in futuro: vt semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat quæ sunt à Deo?*

19 Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom.

Strom. cap. 7. rationem reddit, quare Scripturæ obscure sunt, dicendo: *Propter multas ergo causas occultant Scripturæ sententiam: Primùm quidem, vt diligenter inquiramus, & semper vigilemus in inueniendis salutaribus orationibus. Præterea nec omnibus quidem conueniebat hominibus intelligere, ne læderentur, aliter accipientes ea, quæ à Spiritu Sancto dicta sunt salutariter.*

Clem. Alexandr. rationem] reddit obscuritatis scriptur.

20 Origenes homil. 13. in Exod. lectioni Scripturarum, orationem adijciendam censuit pro intelligentia: *Diebus (ait) ac noctibus obseruãdus est, vt veniat Agnus de tribu Iuda, & ipse librum signatum dignetur aperire.* & lib. 7. cont. Celsum: *Alij quoque cordati viri scrutando Scripturam, intellectum eius inuenire potuerunt; licet reuera multis locis sit obscura.*

Lectioni Scripturarũ oratio adijcienda pro intelligentia.

21 Athanasius de Verbi Incarnatione circa finem, ait captum Scripturæ latere eos, qui impuram, & improbam vitam ducunt: *Ad Scripturarum indaginem verumque intellectum opus est vita proba, animo puro, & virtute, quæ secundùm Christum est, vt mens per eius tramitem decurrens, ea quæ expetit adipisci possit, quatenus fas est humanam naturam Diuinam intelligere. Nam sine pura mente, & Sanctorum imitatione, nemo comprehendit Sãctorum verba.* Quantum distent Protestantes ab Athanasij monitis, ipsi recogitent.

Viiæ puritas exigita pro captũ Scripturæ.

22 Basilius Magnus Proem. in Isaiam, inquit: *Itidem (Deus) & in Scripturis studio voluit esse obscuritatẽ, ad vtilitatem mentis humanæ, suam ipsius indicans virtutem atque efficaciã. Primùm quidem, vt his occupata à deterioribus auocetur: deindè quod quæ labore parata sunt, ea nescio quo pacto magis amantur, quæque longo tempore contingunt, constantiùs permanent. Deindè ad Scripturæ intelligentiam vitæ puritatem exigens, paulò post sequitur: Denique accedit huc, quòd vitæ quoque puritas requiritur, vt ad moralis virtutis exercitationem pertineat, quod in Sacris Scripturis obuolutũ est, diudicare.* Idem epist. ad Neocæsarienses quæ est 75. duplici exemplo rem illustrat, his verbis: *An cùm de agriculturæ operibus iudicare non poterit, qui non ipse est agricola: & qui Musices scientiam non tenet, nec consonantiam, nec dissonantiam in Musicis rythmis cognoscet, sermonum iudex erit quicunque volet, qui neque præceptorem suum, neque tempus in quo didicerit, assignare valet, nec prorsus quicquam eorum, quæ ad sermones iudicandos attinet, siuè multum, siuè parum intelligit? Ego verò noui, quòd quæ in oracnlis Spiritus dicuntur, haud cuiuis liceat proprio subijcere examini, sed ei, qui spiritum habet discretionis.*

Scriptura obscura ad vtilitatem ex Basilio.

Puritas vitæ pro captu Scripturæ.

Res duplici exemplo illustratur à Basilio.

23 Epiphanius hæresi 55. affirmat multos decipi ob altitudinem sensus Scripturarum: *Diuinæ Scripturæ profunditas, & claritudo, mentem humanæ naturæ excedẽs, decipit quamplurimos.* Vt passim videmus, in ijs, qui spiritui fidunt suo.

Claritudo, & profunditas Scripturarũ multos obruit.

24 Gregorius Nanzianzenus in epist. ad Nemesium, inquit: *Est in Scripturis nostris duplex sensus, alter internus, ac spiritualis; alter externus, nec litteræ corticem excedens: ille à paucis perspicitur, hic à plerisque intelligi potest. Quod ea ratione factum puto, vt sapientes meliori quàm cæteri conditione sint, aut quod non sine labore, ac negotio acceperunt, studiosè quoque conseruent, ac retineant.* Et iterũ in Apologetico, seù Oratione 1. ait: *Hebræorum sapientes hanc olim Hebræis legem fuisse narrant, in primis rectam, & laude dignam, qua nõ cuiuis ætati quiuis Scripturæ liber concedebatur: nam, ne hoc quidem vtilius esse: quandoquidem nec tota statim à quolibet percipi possit, ac quod in ea reconditus est, ob externam speciem imperitioribus plurimum detrimenti afferre posset, &c.* & postquam dixisset qui libri erãt permissi, vt legerentur, addit: *Alij autem his dumtaxat, qui vicesimum quintum annũ ætatis excessissent, committebãtur,*

Scriptura quare obscura?

hoc

Digitized by Google

hoc est, qui sub vili indumento mysticam pulchritudinem obtegunt, solis ijs, qui mente purgati sint, fulgentem, & conspicuam &c. Videant Protestantes, an iustè fœmellis, lanionibus ac murionibus de triuio, Scripturarum explanationem demandent.

25 Chrysostomus in psal. 48. *Quid sibi vult hic, parabola? Mihi videtur dicere narrationem: Si autem orationem facit obscuram, & enigmaticam, & quæ multum habet difficultatis, ne sic quidem conturberis. Hoc enim facit, vt auditorem excitet. Et alioquin, quia facilitas ad socordiam, & negligentiam adducit, propterea loquitur in parobola &c. Ad incitandum autem ad exquisitionem sufficit, quando fuerit aliquid adumbratum & obscurum.* Videatur idem homil. 44. in cap. 23. Matthei.

Quare Christus loquebatur in parabolis?

26 Theodoretus in lib. 1. Reg. quæst. 1. inuestigans quare Scriptura obscura sit, ait: *Quæ nam est causa obscuritatis in Scriptura? Fecit obscuritatem mutatio ex alia lingua in aliam; & quòd studuerint interpretes, pressis insistentes vestigijs, de verbo in verbum interpretari. Hoc ipsum accidit ijs, qui è lingua italica transferunt in linguam græcam: sunt illa quoque plena magna obscuritate.*

Obscuritas in Scripturis vnde orta sit

27 Titus Bostrensis ad cap. 24. Luc. inquit: *Christus Dominus à tanta illa cæcitate discipulos modis omnibus liberos esse volens, &c. ea edisserit & explanat, quæ in illorum dictis obstrusa iacebant*; loquitur de vaticinijs Prophetarum.

28 Procopius Gazæus Præfat. in Esaiam, dicit: *Eò spectat ista Scripturarum difficultas, vt dum illis opera nauatur, à deterioribus auocemur. Præterea diligimus magis, & in pretio habemus, quæ nobis ipsi labore comparauimus.* Hæc Patres Græci.

29 Accinunt Patres Latini, qui similiter Scripturarum obscuritatẽ agnouerunt. Tertullianus lib. de Pallio cap. 3. inquit: *Dehinc Adamũ de originis loco exterminat, quippe deliquerat, pellitus orbi, vt metallo detur: sed arcana ista nec omnium nosse.*

30 Ambrosius acerrimè in eos inuehitur, qui sibi facilem omnium Scripturarum intelligentiam arrogant. Quare super illa verba psalm. 118. *Da mihi intellectum, vt discam mandata tua*; Serm. 10; ait: *Si Propheta intellectum sibi dari postulat, quis tã arrogans, qui profiteatur in sua potestate esse intelligentiam? Intellectum petit, vt ipse se nouerit, & naturæ suæ possit scire rationem. At illi, qui de rerum natura disputant, cæli scrutantur plagas; qui se ipsos scire non possunt, putant intelligentiã sine dono Dei posse concedi.* Audistis Protestãtes Ambrosium? Idem ipse epist. 44. ad Constantinum, eiusdem Scripturæ obscuritatem testatus, dicit: *Mare est criptura diuina, habens in se sensus profundos, altitudinẽ Propheticorum ænigmatum.*

Mare est Scriptura.

31 Hieronymus epist. 52. ad Pãmachium pro libris suis contra Iouinianum, de hac eadem re, ait: *Si legere volueris, probabis, quanta difficultatis sit, diuinam Scripturam, & maximè Prophetas intelligere, &c.* Et rursus epist. 103. ad Paulinum Presbyterum de omnibus Scripturæ Sacræ libris cap. 7. inquit: *Esaiam, Hieremiam, Ezechielem, & Danielem, quis potest vel intelligere, vel exponere? Ezechiel, principium, & finem habet tantis obscuritatibus inuoluta, vt apud Hebræos ista partes cum exordio Geneseos ante annos triginta non legantur &c. Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas septem epistolas ediderunt tam mysticas quam succinctas, & breues pariter, & longas: breues in verbis, longas in sententijs: vt rarus sit, qui non in earum cæcutiat lectione. Apocalypsis Ioannis, tot habet Sagramenta quot verba.* Videatur epist. 150. ad Hedibiam quæst. 10; in Proæm. Ezech; & epist. 52. ad Paulinũ.

Qui libri Sacri ante annos 30. ætatis non legebantur?

32 Augustinus epist. 119. ad Ianuarium cap. 21. non veretur palàm fateri se, multa in Scripturis ignorare, his verbis: *Tantum absum*

Digitized by Google

ab eo, quod putasti nihil me latere, vt nihil in epistola tua legerim tristius, quia apertissimè falsum est : & miror quia hoc te latet, quòd non solùm in alijs innumerabilibus rebus multa me lateant, sed etiam in ipsis Sacris Scripturis multò nesciam plura, quàm sciam. Et idem in epist. 3. ad Volusianum, ait: *Tanta est Christianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere &c. Sed cùm quisque ibi fidem tenuerit, sine qua piè rectèque non viuitur, tàm multa, tamque multiplicibus Mysteriorum vmbraculis opaca, intelligenda proficientibus restant, tantaque non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, vt annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc cõtingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet:* (Eccles. 18.) *cùm consummauerit homo, tunc incipit &c.* Et idē iterum Præfat. in psal. 140. inquit: *Sunt in Scripturis Sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc abscondunturne vilescant; ad hoc quæruntur, vt exerceant; ad hoc aperiuntur, vt pascant.* Videatur lib. de Vtilitate credendi cap. 7. de Doctrina Christ. lib. 2. cap. 6. lib. de Vera relig. cap. 17. & alibi.

33 Petrus Chrysologus serm. 96. Scripturæ obscuritati testimonium tulit, dum dixit: *Si dicta, vel facta Christi passim carnalibus sensibus subijcerentur, torpesceret animus, mens vacaret, dormiret ingenium, cor tabesceret, extingueretur quicquid humani vigoris est & caloris. Proposuit, inquit, illis parabolam. Sicut in lapide friget ignis, latet ignis in ferro; ipse tamen ignis, ferri ac lapidis collisione flammatur: sic obscurum verbum verbi, ac sensus collatione resplendet.*

34 Prosper in sententijs sententia 67. sequenti metro, rem nostram exprimit.

Quamuis in Sacris libris quos nosse laboras,
Plurima sint Lector clausa, & opaca tibi:
Inuigilare tamen studio ne desine Sancto:
Exercent animum dona morata tuum.
Gratior est fructus, quem spes productior edit:
Vltro obiectorum vilius est pretiũ.
Oblectant adoperta etiam mysteria mentem,
Qui dedit vt quæras; addet vt inuenias.

Hæc primorum quinque sæculorũ Patres contra Nouatores.

35 Prob. 3. ex Diuina Prouidentia, omnia miro ordine, ob aliquem finem, disponente. Supremus omnium artifex Deus, Scripturam voluit obscuritate perfundi; Primò, ne hominibus superbiendi detur occasio; facilè enim superbirent, si Sacra fidei Mysteria (quæ quidem profundissima sunt) facilè comprehenderent; propterea Matt. 11. Eterno Patri Christus gratias agit, quia humilibus, & non elatis sua reuelauit Mysteria, dicẽdo: *Confiteor* (quòd idem valet, ac gratias ago) *tibi Pater, quia abscondisti hæc à Sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Secundò, propter infideles, vt ait Dionys. Areop. cap. 2. de Cælesti hierarc; & Hieronym. in cap. 3. Naum, *ne scilicet mysteria nostra irrideant, neue eadem mysteria à profano vulgu tractentur; quòd scripturæ maiestati derogaret.* Tertiò, ne Scripturæ vilescerent, dicente Chrysost. homil. 34. in cap. 23. Matt. oper. imperf. *Obscurata est notitia veritatis, ne vilis, & contemptibilis habeatur.* Vndè S. Prosper sententia 67. dixit: *Bonæ sunt in Scripturis Sacris Mysteriorum profunditates, quæ ad hoc teguntur, ne vilescant; ob hoc aperiuntur vt pascant.* Quartò, vt inter Pastores, & oues; Doctores, ac discipulos seruaretur ordo,

ordo & maioritas, quòd quidem neutiquam fieret, si scriptura intelligeretur promiscuè; dicente Chrysost. vbi sup. *Deus voluit alios esse Doctores, alios discipulos: si autem omnes omnia scirent, doctor necessarius non erat, & ideò esset rerum ordo confusus.*

36 Prob. 4. Ex specialibus Protestantium principijs, ac manifesta eorundem confessione. Iam Protestantes, vt vidimus, scripturam facillimam, manifestam, omnibus obuiã, in nulla parte obscuram, prædicant. Vndè ergo inter eos tot iurgia, tot doctrinarum bella implacabilia de auctore peccati, de consubstantialitate Filij Dei, de Omnipotentia Dei, de reali præsentia in Eucharistia, de prædestinatione, de articulo Iustificationis, de numero Sacramentorum, & reliquis adductis in Atrio Narrat. 1. 2. 3. ? Clara est Scriptura per vos Protestantes, hanc totius fidei regulam vnam inclamatis. Vndè inter vos dissidia?

37 Rursus, si manifesta est Scriptura, cur Geneuæ tot pestilentiæ Cathedas erexistis? Cur tot commentaria elaborastis, & ad Francofurtẽses nundinas transmisistis? de quibus cum multæ essent Caluinistarũ querlæ, sic à Caluino primo inst. c. 7. §. 2. sunt præstricti: *Ferre non possunt q: diuinorum intelligentiæ inseruiant, & filios Dei iuuent, quo instructiores, & doctiores euadant.* Iam Lupum aure tenetis, ac inuiti, vestris dissidijs, scripturæ obscuritatem, probabis. Vel si clara est, amẽtes estis & fatui, dum de re tàm manifesta, & tàm facili, iurgia suscitatis. Hunc scopulum, exitiali vestræ Protestanticæ sectæ funestum, si potestis, deuitate. Audite quæ sequuntur, & erubescite.

38 Lutherus, vt testatur Aurifaber, anno 1546. die 16. Februarij, biduo ante mortem, dum peritissimus esset, hæc manu propria scripsit. *Virgilium in bucolicis non potest intelligere, nisi qui fuerit quinque annis Pastor. Virgilium in Georgicis non potest intelligere, nisi qui quinque annis agricola. Ciceronem in epistolis nemo integrè intelligit, nisi 20. annis sit versatus in aliqua Republica insigni. Scriptores Sanctos sciat se nemo degustasse satis, nisi centum annis cum Elia, & Eliseo, Ioanne Baptista, Christo, & Apostolis Ecclesiam gubernarit. Hanc tu diuinam Eneida tenta, sed vestigia pronus adora.* Idem in lib. de Concil. fol. 12. Scripturarum inuolucris, ac obscuritatibus irretitus, ait: *Ante viginti annos coactus sum contemnere Patrum commentaria, cum Scriptura legenda esset in scholis, & magno studere veram, & germanam sententiam quærere.*

39 Rursus præfat. in psalm. post multa, inquit: *Scio esse impudentissimæ temeritatis, eum qui audeat profiteri vnum Scripturæ librum à se in omnibus partibus intellectum.* Et in colloquijs mensalibus fol. 2. ait: *In Scripturis vix scimus A. B. C; & adhuc non rectè.* Et fol. 3. *Dei verbum est inscrutabile.* Benè, bene est Lutheræ, tu ædificas, tu destruis; tu negas, tu affirmas: nunc scio verè te spiritu vertiginis duci, dum vis verba tua, nec tecum habere constantiam.

40 Luthero Palinodiam occinẽti, subscribunt Brentius in Confess. Vuittembergensi cap. de Sac. Scriptura, dicendo: *Non est obscurum, quod donum interpretandæ Scripturæ non sit humanæ prudentiæ, sed Sancti Spiritus.*

41 Magdeburgen. centur. 1. lib. 2. columna 52. aiunt: *Communiter senserunt Apostoli Scripturas non posse intelligi sine Spiritu Sancto, & interprete.*

41 Martinus Kemnitius in Exami. Concil. sess. 4. ait: *Deus voluit extare in Ecclesia donum interpretationis.* Et post pauca, dicit: *Grati, & reuerenter vtimur Patrum laboribus, qui multa scripturæ loca commentarijs illustrarunt.*

Digitized by Google

42 His testimonijs pressi Protestantes, effugium querunt, sed ingrato labore, dum nobiscum in colloquio Ratisbonensi fol. 469. edition. Lang. *Monendus est initio lector de statu controuersiæ inter nos, & aduersarios, is non est an quædam, vel etiam multa sint in Sacris litteris obscura. Hoc namque fatemur ipsi.* Hi etiam asserunt *opus esse interpretationis dono, quod concessit Deus Ecclesiæ suæ.* Præterea, fol. 470. & 471. aiunt; *Nemo nostrum somniauit vnquàm adeò claram, & facilem esse scripturam, vt quiuis eam primo (velut instinctu) statim intelligat etiam citra operam discentium, quorum enim institutum esset ministerium dicendi in Scholis pariter & in Ecclesijs?* At contrarium ex Luthero attulimus in Mendacio; textus clarus est, non mētior. Quod si illud Aduersario non sufficit, accipiat aliud Lutheri dictum, quo, impios vocat eos, qui dicunt, in Scripturis esse quædam abstrusa, vide eum loc. cit. de seruo arbitrio, & hæc verba reperies: *Esse in scriptura quædam abstrusa, & non omnia exposita inuulgatum est per impios sophistas, sed nunquã vnum articulum produxerunt, nec producere possunt, quo suam hanc insaniã probarent.* Quid vobis videtur? non ne vt elabatis, magis irretiminí? non ne vt Lutheri Mēdacium excusetis, plaustra Mendaciorum effutitis, ac eum magis incusatis?

43 Eodem modo Caluinistæ, ad nostra se castra conuertunt, & Palinodiam canunt. Vuitakerus controu. 1. quæst. 4. cap. 1. inquit: *Hæc nostra axiomata sunt: Scripturas esse ita apertas vt à Populo, atque indoctis cum fructu aliquo, & vtilitate legi possint omnia; quæ ad salutem necessaria sunt, apertis verbis in Scriptura proponi. Interim concedimus multa loca obscura esse, Scripturas egere explicatione, & ob hanc causam ministros Dei audiendos esse cum verbũ Dei explicant, & Scripturæ peritissimos esse consulendos, & cõsequenter simulator sophista sibi, suisque imponit, quòd dicant omnia in Scripturis esse aperta.* Ne irascaris Vuitakeræ, veritatem inquirimus, non iurgia. Si nobiscum sentis, benè est. Nec simulatè imponimus, quòd vos giganteis caracteribus, & literis, in vestris Codicibus, orbi vniuerso legēda proposuistis.

44 Postremò, Sibrandus Vuitakero manus prebet, dum lib. 4. Christianorum dogmatum, ait: *Non enim nostra sententia est Scripturam, adeò perspicuam esse, vt nulla interpretatione opus habeat, neque dicimus eam adeò facilem esse, vt quilibet idiota eam perfectè intelligat: palam enim asserimus donum interpretationis esse in Ecclesia necessarium: fatemur etiam in Sacris Scripturis multa adeò obscura esse, vt non tantum idiotis, sed etiam doctissimis quibusque negotium facessant, nec à nobis, nisi in altera vita perfectè cognosci possint. Interea tamen, negamus omnia obscura esse, vt vel nihil in ijs absque commentarijs intelligi, vel idiotæ ex earum lectione nihil proficere possint.* At dicito sodes, quomodo vnicuique siue mulier sit, siue vir, donum interpretationis, & Scripturarum intelligētiæ tribuitis? Quomodo hæc duo cohærent, Scriptura in aliqua parte obscura est, & non tantum idiotis, sed etiam doctissimis quibusque negotium facessat, & nullus est siue arator, siue Caupo, siuè Sartor qui nesciat Scripturas interpretari? Quid ad hæc? Altum silentium. Nil aliud ergo restat, nisi vt his Argumentorum Gordijs nodis implicati Protestantes, vt olim Simia; lautam Romano-catholicis præbeant segetem cachinnorum.

45 Agamus iam, & videamus quibus sophismatibus, & Argumentis veritatem oppugnauerint, ac pernicioſum illud mendaciũ, suis mentibus insculpserint Ptroteſtantes.

Pro-

Digitized by Google

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

46 ARguit primò *Brentius*. Psalm. 18. dicitur: *Lex Domini immaculata conuertens animas, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Sed non potest illuminare oculos quod est obscurum: ergo Sac. Scriptura non est obscura.

47 Respondetur, Prophetam ibi non loqui, de Verbo Dei in genere, & vniuersaliter, non enim dixit. *Leges, vel Præcepta*, sed *lex & præceptum*, vt denotaret tãtùm præceptũ, & legẽ Domini, præcipuè dilectionis *Dei* & proximi, quod quidẽ est naturale, ac proindè adeò *lucidũ, luminosum, & clarum est* vt ait. Clemens Alex. lib. 3. Pædagog. cap. 11. *vt absque litteris discatur*: Quod præceptum (vt ait D. August. lib. primo de doctri. Christiana cap. 36.) *est totius Scripturæ Sacræ summa*.

48 Cõtra instat Vuitakerus. Psal. 118. non partem, sed integrum verbum Dei laudat Propheta, quod verbum vocatur lex, doctrina Christi *Domini*, statuta, mandata, &c. & hanc ait Dauid esse doctrinam integram, & perfectam, quæ intellectum, & veram *Sapientiam* dat paruulis, & imperitis; ergo integrum verbum *Dei*, seu tota Scriptura, quo ad omnes sui partes, lucida est, & clara, & non solum præceptum de dilectione, vt asseritur.

49 Respondetur primo; Vuitakerum insanire, & spiritu vertiginis duci. Non ne, vt in vltima probatione vidimus, Caluinianus iste controu. prima q. 4. cap. primo inquit: *Cõcedimus multa loca obscura esse, scripturas egere explicatione &c.?* Quare modò contendit quòd tota, tota quanta est Scriptura, manifesta, clara est, & lucida? comprehensus ergo est Vuitakerus.

50 *At* quia decet Christianum vitare litigia, ideo Respondetur secundo, & gratis admitto, dictum illud psalmi, ad totam Scripturam extendi. Tunc tamen dico, quòd nõ Luthero, Vuitakero, *Brentio*, cæterisque filijs tenebrarum, sed Sanctissimo Prophetæ Dauidi, alijsque Prophetis, lucida tota fuit, & clara. Quòd si aduersarius velit obstinatè contemnere, eam omnibus prorsus esse cõspicuum, ac lucidam; Tunc fatemur, eam omnibus lucidam esse in se, & in actu primo; non quo ad nos, & in actu secundo. Etenim, lucerna occultata sub modio, lucida vtique est secundùm se, non quo ad nos; cùm verò supra candelabrum reponitur, tunc lucida, & clara est quo ad nos. Ita pariformiter dicimus, quòd licet Scriptura secundùm se, & in actu primo, tota lucida sit, non tamen lucida est in actu secundo, & quo ad nos, nisi reponatur super candelabrum interpretationis Ecclesiæ: Sicut & Sciẽtiæ naturales, lucernæ quidem sunt; sed in Scholis vbi res difficiles explicantur, non in tabernis artificum.

Explicatur claritas *Scripturæ* in se, & quo ad nos.

51 Arguit 2. Sibrandus. *Tempore Dauidis Verbum Dei erat lucidum, & illuminabat mentes hominum, igitur multò magis modò lucidum erit, quia post B. Dauidem edita sunt multa Scripta Prophetica lucidissima &c. Præter meritum ergo Pontificij, Scripturis obscuritatem impingunt; cum tot lumina, tàm lucida, & Soles tàm radiosi sese mutuò clarissimè illustrent, dispulsis omnium nebulis.*

52 Respondetur, oportere mendacem esse memorem. An non is ille Sibrandus est, qui lib. 4. Christianorum dogmatum (vt vidimus) dixerat, *Non enim nostra sententia est Scripturam adeò perspicuã esse, vt nulla interpretatione opus habeat &c. fatemur etiam in Sacris Scripturis multa adeò obscura esse, vt non tantum idiotis, sed etiam doctissimis quibusque negotium faceſſant?* Verba Sibrandi sũt. Quorsum igitur totus mutatus ab illo

Digitized by Google

lo Sibrando, contrariũ modò, hoc ſuo argumẽto, ſuadet? Sed cõdonemus Mẽdaciũ; & reſpõdeamus dicẽdo: Hoc Argumentũ vtiq; cõcludere, Scripturam lucidam eſſe, non formaliter, ſed effectiuè; ideſt, quòd cum fuerit explanata, mentem illuſtrat, vt colligitur, ex verbis adductis in argumento; ſcilicet; illuminabat oculos, & mentes hominum, vtique explicata, explanata, & interpretata. Et hoc vltrò cõcedimus.

53 Inſtat Vuitakerus. Lucerna aſpicitur ab his, qui oculos habent: qui autem cœci ſunt, ijs nulla lucerna lumen oſtendit. Nec quia Scriptura illuſtrat, lux eſt; ſed quia lux eſt, ideò illuminat: Sed non propterea lucida eſt, quia à nobis intelligitur, aliàs illius lux penderet à noſtra intelligentia, taliter, vt ſi eam non intelligeremus, non eſſet lucida. Eſt etiam Saubrandi.

54 Reſpondetur Solem, atquè Lucernam, haud poſſe perſpicaciſſimos oculos illuminare, niſi impedimenta prohibentia tollantur, adeoque appareant, ac in ſitu, proportionataque diſtantia, collocentur. Aliquando Sol lucidus eſt ſibi, non nobis vel propter interpoſitionem nubium, vel quia in loco obſcuro manemus, vel quia nox eſt; ita & lucerna, niſi accendatur, lucere non poteſt. Abſque ergo Eccleſiæ illuſtratione, & interpretatione, materialem lucernam, ideſt, Scripturã videmus; formale autem lucernæ, ideſt, lumen, ſeu ſenſum Scripturæ haud aſſequimur, niſi ab Eccleſia explicetur, & Scripturæ lucerna accendatur.

55 Ad illud quòd ſubdebatur, ex Saubrando, dicimus, quòd nõ propterea quia Scriptura illuſtrat in actu ſecũdo lux eſt in actu primo; Nã etiã ſi in actu ſecundo non illuſtraret, etiam eſſet lux in actu primo, & in ſe: Sed ideò lux eſt in actu ſecundo, & quo ad nos, quia à nobis intelligitur. Sit exemplum in Sole, qui quidem lucidus eſt nobis, quando illum aſpicimus; & vt ſit in actu ſecundo nobis lucidus, à nobis pendet, qui oculos aperimus, impedimenta tollimus &c. Sic ſimiliter, vt Scriptura ſit nobis lucida, à nobis quoque pendet non claudendo mentis oculos offerentibus lumen explicationis, Scripturarum peritos conſulendo, &c. non proprio iudicio fidendo, vt faciunt Proteſtantes qui *ſunt rebelles lumini*, & renuunt intelligere, vt bonè agant.

56 Arguit 3. Lutherus. *D.* Paulus ait, *quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*: erudiri autem non poteſt niſi qui intelligit; ergo vnuſquiſque intelligit, quæcumque ſunt diuinitus Scripta. Quod ſi figurarũ inuolucris quædã ſunt operta, aperta tamen debent eſſe ad noſtros cõponendos mores, *nã omnia in figuris contingebant illis*. Præterea 2. Timoth. 3. dicitur: *Omnis Scriptura diuinitùs inſpirata vtilis eſt ad docendũ, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum &c. ergo omnis ſcriptura eſt clara, & facilis captu, vt denotat ly omnis, & omnia.*

57 Reſpondetur, vtique verum eſſe, quòd quæcumquè ſcripta ſunt &c. & quod omnis Scriptura ſit vtilis &c. requiritur tamen, vt Catholicè & non in peruerſum ſenſum explicentur; & tunc erit vtilis, quando explicatio hæc ab Eccleſia petitur, quòd ſi aliundè, erit non vtilis, ſed pernicioſa: ſicut à ſimili, omnes aliæ Scripturæ, vniuerſique Codices, ſcripti ſunt ad noſtram vtilitatem, & tamen nemo negat opus eſſe Doctore, & interprete, vt intelligantur: alias enim, quiſq; indiſcriminatim, poſſet Philoſophorum, Aſtrologorum, Medicorumque libros intelligere, quòd manifeſtè falſum eſt.

58 Arguit quartò idem Luther. in Proæm. Aſſertion. In pſalm. 118.

dici-

Digitized by Google

dicitur; *Declaratio*, seu, vt legit Hebræus, *Apertum, seu ostium verborum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Hic* (ait Luther.) *clarè spiritus tribuit illuminationem, & intellectum dari docet per sola verba Dei, tanquam per ostium, & Apertum; seu principium, quod dicunt, primum à quo incipi oporteat ingressurum ad lucem, & intellectum.* Et subdit. *Sint ergo Christianorum prima principia non nisi verba diuina &c.* Addit Brentius illud eiusdem psalmi: *lucerna pedibus meis verbum tuum:* & clamando dicit: *Quomodo verbum Dei est lumen, vel est lucerna, si est obscurum?* Igitur Sac. Scriptura est clarissima ab omnibus, promiscuè intelligibilis.

59 Respondetur Scripturam vtique esse ostium & Principium respectu eorum, quæ ex ipsis--met Scripturis sunt deducenda; *Apertum* certè, sed angustum & humile, vt inflati vento superbiæ, non possint ingredi, nisi in animo contrito, & spiritu humiliato. Quare, melius cum Vulgata legisset aduersarius, *Declaratio sermonum tuorum illuminat, ideſt, declaratio Sacræ Scripturæ facta à Patribus in suis Commentarijs, vel ab Ecclesia, illuminat, & intellectum eiusdem Scripturæ,* (obscurum quidem quo ad nos) *dat paruulis,* ideſt, ijs quibus sensus illius non est obuius, & manifestus. Et licet Scripturæ sint prima principia, & notissima secundùm se, non tamen quo ad nos, & in omnibus locis; Atque ita, sicut principia scientiarum benè possunt per homines explicari, & dilucidari, sic & hæc, possunt per Ecclesiam Catholicam, eiusque Patres, ac Doctores dilucidari quo ad nos, cũ scriptura ipsa clamet: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

60 Ad illud Brẽtij dicimus, quod Scriptura vtique dicitur lucerna viatorum, scilicet, non aperta, sed clausa, & in laternis occultata, vt decet viatorẽ, qui hic videt per speculum in enigmate: Si igitur verbum, lucerna est clausa, indiget vt aperiatur ab Ecclesia, habente clauem luminis, & scientiæ.

61 Arguit quintò, idem Luther: Metrum & mensura aliorum, quale est lex, est certissimum, & clarissimũ: sed tota scriptura est metrum, & mẽsura; ergo certissima, & clarissima est. Probat mi; Ait Apostolus, quecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ergo &c.

62 Respondetur vtique mensuram, & metrum certissimum, & clarissimum esse; At lex sine intelligentia, metrum non est, sed adiuncta intelligentia. Quare, vt ait Lyrinensis cont. Proph. voc. nouitates cap. 3. *ad hanc lineam interpretationis Ecclesiæ, tamquam ad metrum, & regulam certissimam atque notissimam dirigenda sunt omnia.*

63 Arguit sextò, idem Luth. Accipiantur illa verba: *In principio creauit Deus Cælum, & Terram*; & illa *Verbum Caro factum est*, & omnia alia quæ pro articulis fidei totus mũdus accepit: Si ambigua sunt; certè per interpretationem declaranda sunt. At quis nos certos facit, ipsam declarationem esse certam? Dices; alia noua declaratio. Et quis hãc declarabit? Dices; alia declaratio; & sic de singulis, vsque in infinitum procederetur, quòd non est dicendum.

64 Respondetur, quòd ambigua scripturæ verba, per interpretationẽ vtiquè ex communi Ecclesiæ, ac Patrum Magisterio, non proprio spiritu factam, sunt exponẽda, & declaranda. Nec de huius declarationis certitudine, alia declaratio nos certos reddit, sed Ecclesia ipsa interpretans, sua auctoritate, de talis declarationis certitudine, nos certos facit, & ibi sistimus, quiescimus, nec vlterius progredimur. Recogitare debebat Lutherus, quæ dixerat in postilla in Euangel. Lucæ in Natali Domini, quæ forsan mente exciderant;

di-

dixerat enim ibi hæc Verba: eum qui de Christo aliquid scire cupit, *sibi non fidere, aut priuatum sua ratiocinatione pontem in cælum extruere debere, sed Ecclesiam adire, visitare, consulere, quæ conseruat omnia Verba Dei in corde suo, eaque ponderat, & confert secum, & cum Scripturis.* Igitur, ipse pro Scripturarum intelligentia ad Ecclesiam, & non ad priuatum spiritum recurrendum esse docet.

65 Arguunt 7. Sauubrandus, & Hunnius Lutheranus. Quicquid in primitiua Ecclesia absque commentarijs intelligi potuit, hoc ipsum sufficit ad veram sentẽtiam in dogmatibus ostendendam. Atqui Scriptura eo tempore sine commentarijs intelligi potuit; igitur Scriptura ita clara est, vt ad veram sententiam, in dogmatibus controuersis ostendendam, sufficiat.

66 Respondetur negando minorem; Etenim Actor. 13. dicitur, *erãt in Ecclesia Prophetæ, & Doctores*: Nomine autem Prophetarum, ttactatores diuinorum eloquiorum veniunt ex Lyrinensi loc. cit. cap. 40. qui propterea vocantur Prophetæ, eo quòd per eos, Mysteria Prophetarum, Populis declarabantur; vndè subdit ibi: *Hos ergo in Ecclesia Dei diuinitus per tempora, & loca dispensatos, quisquis in sensu Catholici dogmatis vnum aliquid cum Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum.*

67 Præterea, esto in primitiua Ecclesia, Scriptura nullis esset Scriptis commentarijs illustrata, tamen illius ævi Patres, qui immediatè post Apostolos vixerunt, in Scripturæ difficultatibus, adierunt commentaria viua, scilicet, Apostolos, Apostolorumque discipulos: Ita de se ipsis testantur Papias apud Eusebiũ lib. 3. histor. cap. vltimo; Et Clemens Alexandrin. lib. primo Stromatum: vbi præceptores suos Apostolorum discipulos recenset, inter quos, erat quidam Pantenus nomine. Idem fatetur Kemnitius in exam. p. 1. pag. 74. *Nulli dubium est*, (ait) *primitiuam Ecclesiam accepisse ab Apostolis, & viris Apostolicis, non tantùm textum Scripturæ, verum etiam legitimam, & natiuam eius interpetrationẽ.*

68 Arguit 8. Iunius Caluinista. Quod in se habet perfectam claritatem verborum, & sententiarum, vel rerum, modo diuino; id per se notius est, & clarius imperfecto, vt riuis ductis, clarior est fons purus. Scriptura, perfectam diuinitus claritatem habet, est igitur clarior, & notior per se.

69 Respondetur Minorem esse veram de claritate secundùm se, & in actu primo: dicimus tamen esse falsam si intelligatur de claritate in actu secundo, & quo ad nos, secundùm quam, clarior est nobis fons expositus exriuo, quam fluuius inaccessibilis ob obscuritatem.

80 Arguunt 9. Lutherus lib. de Seruo Arbitr. Vuitakerus, & alij. 2. Petri cap. 1. dicitur: *Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes tanquàm lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Igitur, certum est Scripturam lucernæ comparari, que quidem lucem habet, eamque hominibus (nisi cœci sint, vel oculos auertant,) mirificè ostendit.

81 Resp. quod, estò Scriptura in se claritatem habeat, tamen dum est in caligihoso loco, scilicet in hac vita, non potest totum suum lumen diffundere, & omnẽ sensum manifestare sine superuenientis interpretationis Ecclesiæ lumine; sicut, & quem continet lucerna lucẽs in caliginoso loco, ostendit multa, sed non omnia; & pellit aliquas vtique tenebras, sed non omnes, vel multas, sine adminiculo superuenientis luminis; Et hoc ratione status vię, *in quo ambulamus per speciem in enigmate*.

82 Arguit 10. Vuitakerus. Homines,

Digitized by Google

nes, alij sunt Fideles, alij infideles; Fideles Scripturam intelligunt. Igitur Scriptura adeò clara est, vt nulla egeat expositione.

83 Respondetur, quòd etiam Dauid, erat fidelis, & Propheta, & tamen intelligentiæ Spiritum dari postulat, vt diuina eloquia intelligat, Psal. 118. Da mihi intellectum, & scutrabor legem tuam. Et iterum: *Da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.* Non ergo omnes fideles absque speciali lumine, vel sine interprete omnia Scripturarum Mysteria cognoscunt.

84 Arguunt 11. Ioannis. 6. dicitur: *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Scriptura, est Verbum Dei; & Christus præcipit, *scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere,* vt scilicet per eas, vitam adipiscamur æternam. Ergo cũ omnes siue viri, siue mulieres, siue paruuli, siue senes, &c. ad vitam æternam aspirent, omnes per Scripturas tanquàm per ianuas oportet ingredi.

85 Respondetur quòd vtique oportet per Scripturas, tanquàm per ianuam, vitam ingredi, quæ quidem ianua claue scientiæ, & interpretationis indiget vt aperiatur; vt ex doctrina protestantium dicemus in prima responsione ad 13. argumentum. Insuper, ianue huius Ostiarius, scilicet Spiritus Sanctus, intelligentiæ Spiritum humiliter postulantibus aperit. Vndè vt ait Origenes homil. 27. in Numer; *ab ipso opus est, vt intelligentiam postulemus.*

86 Arguut 12. Passim Sancti Patres dicunt, Scripturam ab omnibus legi posse, talitèr *vt per se quisque discere possit, ea quæ dicuntur, ex sola lectione,* Ita Chrysostom. homil. 3. de Lazaro, ad Philipp. homil. 10. & alij. Dicunt rursus, *in Scripturis omnia esse manifesta, & clara:* Ita idem ibid. de Lazar; & S. Irenæus lib. 2. capit. 46. & alij; Interdum dicunt, eam esse obscuram per accidens, scilicet, *Ex velamine peccatorum.* Chrysost. hom. 3. in 2. ad Tessalonic. & alibi sæpe cũ alijs Patribus. Igitur totius Scripturæ sensus est omnibus obuius, & manifestus, ex omnium Patrum sententia.

87 Respondetur, quod frustra iacitur rete ante oculos pennatorũ. Legant Aduersarij Chrysostomum loco ab ipsis citato, ante citata Verba, & inuenient, quòd eo in loco clarissimè contra eos, Scripturæ obscuritatem astruat; loquens enim de ijs, qui ob torporem nolunt Scripturas legere, sic ait: *Quid igitur inquiunt, si non intelligamus ea quæ continentur in libris? Maximè quidem, etiam si non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia.* Et esto dicat, Scripturas esse faciles; tamen, eodem met loco infra, explicat, se loqui de Historijs, & similibus; Ac ne hæc quidem, dicit esse omnibus obuia, vndè ait: *Sume librum in manus* (scilicet Sac. Scripturam) *lege historiam omnem, & quæ nota sunt memoria teneas, & quæ obscura sunt, parumque manifesta, frequentèr percurre. Quod si non poteris assiduitate lectionis, inuenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad Doctorem.* Similia repetit in 3. homil. ad Tessalonic. post Verba in argumento citata, & homil. 44. in Ioann; & alibi sæpe.

88 Arguunt tandem. 13. Scriptura, continet Mysteria Fidei, quorum cognitio est ad salutem necessaria: nõ ergo sub obscuris verbis, & enigmatibus Tradita est, sed manifestis, & conspicuis, vt omnes, arcana in ea contenta intelligere valeant.

89 Resp. 1. Ex doctrina Protestantium; nam, Hookerus lib. 2. de Eccles. Politia pag. 116. ante medium, ait: *Quicquid ad salutem quæ per Christum est, pertinet, licet Scriptura fundamentum Fidei nostræ sit; Testimonium autem humanum, quasi clauis*

Digitized by Google

portam aperit. Opus est ergò interpretationis claue, quæ est apud Ecclesiam, ad hoc vt Mysteria diuina pãduntur.

90 Respondetur secundò, quòd non valet arguere à parte, ad totum, vt si dicamus; Æthiops est albus secũdùm dentes; ergo totus est albus. Sic pariformitèr dicimus, quòd Scriptura, ea parte qua continet generalia præcepta fidei, & morum, continet etiam claritatem; non tamen tota est clara, & omnibus obuia; nam vt ait *D.Ambros.epist.44.* ad Constantium, *Mare, & Scriptura Diuina, habens in se sensus profundos altitudinis Propheticorum ænigmatum.* Præterea, in ijs, quæ clara videntur, tanta est profunditas, vt etiam in ijs quæ sunt saluti necessaria, in quibus fidem tenere necesse est, vt *proficientibus intelligenda multa opaca restent, propter multiplicia mysteriorum vmbracula*, vt ait *Augustin.epist.3.* ad Volusian. Nihil ergo contra nos proficiunt *Aduersarij.*

LECTIO IV.

An Ius interpretandi Verbum Dei scriptum, competat Priuato vniuscuiusque spiritui; An potius solis ijs, quibus à Deo hoc specialiter datum est?

1 IAm Sac. Script. obscurã diximus, modò, eius interpretem quærimus. Et estò in causis cæteris delectum habeant Protestantes; in hac tamẽ, ex omni ligno Mercurium, & Iouem faciunt, dum indiscriminatim fidelium quemque legitimum dicant scripturarum interpretem, ac interna Spiritus Sancti luce donatum. Ex hoc turbido fonte, riui turbidi omnium hæresum emersere; cùm exploratum sit, hæreses vniuersas ex scripturis non benè intellectis emergere, teste *Augustin.de Genes. lib. 7. c. 9. Indeque* procul dubio & cunctæ fidei cõtrouersiæ erumpunt, dum *Agricolæ*, Cementarij, lignorum cæsores, garrula *Anus*, delyrus senex, propriam scripturarum interpretationem, pro suo arbitrio effingit, ac pro vera fidei doctrina haberi contendit. De qua re. Audite

Mendacium Protestantium.

2 LVtherus, in libello impresso Vuittembergæ anno 1523. cuius titulus est, de iure, & potestate Christianæ communitatis, omnium doctrinam iudicandi, & Doctores vocandi &c. ait: *Christus ademit Episcopis, Doctoribus, & Concilijs ius, & potestatem iudicandi doctrinam, eamque omnibus tribuit, & vniuersis Christianis in communi.* Et in proæm. Assertionum, inquit: *Error manifestus hoc verbo. Non licet scripturas proprio spiritu intelligere,* & postquam dixit, quod non tenemur hominum Commentaria adire, pro scripturarum intelligentia, subiungit: *Hinc enim hausto spiritu iudicium suum quisque formabit, non modo super omnia gentium, sedet Sanctorum Patrũ scripta.* Idem alibi sæpè repetit.

3 In eadem salebra sunt Melanchon in loc. communib. cap. de Eccles. vnit; vbi, post multa concludit: *Hac testimonia perspicuè ostendunt, interpretationem scripturarum esse donũ piorum, nec alligatam præsumi.* Quidã Anabaptistæ vt Villauincentius lib. 1. Theologici studij, Suuenkfeldiani qui à Luthero Cœlestes Prophetæ vocantur; Superilluminati Angli qui iactant, quòd qui in suam Sectam transmigrant, è vestigiò vniuersas scripturas percallent: & si ab illa discedunt, repẽtè penitus obliuiscuntur. Brentius in Prologom. Centuriator. lib. 2. cap. 4. cent. 1. Kemnitius in exam. 4. cõcilij, ab Episcoporum subsellijs interpretandæ scripturæ aufert auctoritatem, & ad priuatos homines transfert.

4 Cal-

Digitized by Google

4 Caluin. 4. instit. cap.9. §.12.& 13. priuatos homines facit iudices in fidei controuersijs, idem alijs in locis repetit.

5 Hunnius, & Iunius, donum interpretandi scripturam distingunt, in publicum Iudicium,& priuatum; hoc, tribuunt vniuersis, & singulis fidelibus; illud, tantùm suis Prædicantibus.

VERITAS CATHOLICA.

Ius interpretandi verbum Dei scriptum, non competit omnibus, neque priuato spiritui vniuscuiusque; sed ijs tantùm, quibus ex singulari Dono Dei collatum est.

5 PRobatur,Generalibus principijs Protestantium inhærendo,ex Sac. Scriptura,& totius Antiquitatis vnanimi consensu. Primò ex Scriptura; Nam interpretationis negotium, eò dementiæ venit apud Protestantes, vt nullus sit *Arator*,Caupo,aut Sartor apud eos, qui se doctoratus laurea esse redimitũ, non putet; cùm vnusquisque, proprio Marte interpretetur scripturas; quòd,scripturę dictis aduersari,manifestum est ex illo 1. Corinth. 12. *Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores? Numquid omnes interpretantur?* Non enim omnia humani corporis membra, eundem actum habent;neque enim manibus videmus, sed oculis; non oculis ambulamus, sed pedibus, non pedibus audimus, sed auribus;vni membro, vnum; alteri, alterum officium in humano corpore est à natura commissum; Idem,proportione seruata,fit in Ecclesia,quæ est Corpus Christi Mysticum, vt testatur *Apostolus* ibidem, dicendo. *Vni datur sermo sapientiæ, alij operatio virtutum,alij discretio spirituum, alij interpretatio sermonum, in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi*. Quod Lucæ 8. à Christo Domino testatum habemus, dum dixit: Non omnibus, *sed vobis datum est nosse mysterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant,& audientes nõ intelligant.* Imò, non omnia, suis discipulis manifestauit;ait enim Ioann.cap. 16. *Adhùc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò,cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

6 Rursus, priuatam hanc scripturarum interpretationem, Petrus *Apostolorum* Princeps epist.2. cap. 1. à Deo vetitam esse pronunciat; *Scientes* (ait) *quòd omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.* Postea;rationem reddens, contra eos,qui temerario ausu,proprio spiritu scripturas interpretantur, subdit:*Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines,* vt scilicet,ab eodem spiritu interpretationem accipiamus.

7 Præterea,cùm omnibus prudẽtiores, ac sapientiores haberi velint Protestantes, haud verentur interpretationes Scripturarum antiquorum Patrum, velut nimis vulgares, reijcere, vt proprias apud se ipsos statuant: nec vllum intelligẽtiæ spiritum, Patribus præluxisse putant; sed totum prudentiæ, ac sapientiæ fontem in exponendis scripturis in se effluxisse iactant: adeoque verum Scripturarum sensum,sibi ipsis dumtaxat priuatim è cœlo delatum,dicũt.*Atque* hi sunt, quibus Deus grauiter comminatur, dicens, per os Prophetarum Ezech. 13. *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.* Et post pauca: *vident vana, & diuinant mendacium, dicentes, ait Dominus &c.* & Esaiæ 5. *Væ qui sapientes estis coram oculis vestris*. Nam, promissionem spiritus

Digitized by Google

non priuatis hominibus, sed Ecclesiæ factã legimus à Christo, promittente spiritẽ veritatis; inquit enim Christus Ioann. 14. *vt maneat vobiscũ in æternum*, vndè, non in occulto, non seorsim, sed facto de Cœlo strepitu, & sono, & omnibus simul, datus est spiritus Acto. cap. 2; Idemque præuidens Saluator, dixit, Ioann. cap. 8. *Si alius venerit in nomine suo*, scilicet, in spiritu priuato, *is Antichristi est præcursor*. Quapropter, Spiritus Sanctus prouerb. cap. 3. monet, *ne innitaris prudentiæ tuæ, ne sis sapiens apud temetipsum*. Constat igitur ex Sac. Scriptura, Ius interpretandi verbum Dei scriptum, non competere omnibus, nec priuato spiritui vniuscuiusque, sed ijs tantùm, quibus ex singulari dono, datum est.

8 Confirmatur primò, alterum illustrissimum Apostoli Pauli testimonium expendendo. Is ad Titum scribens cap. 3. non alio argumento Hæreticum hominem agnoscendũ tradit, quàm quòd is dumtaxat proprio iudicio, tàm in scripturarum interpretatione, quàm in cæteris fidei rebus, innititur: *Hæreticum* (inquit) *hominem post primam, vel secũdam correptionem deuita, sciens, quia huiusmodi subuersus est: cùm sit proprio iudicio condemnatus*. Compertum est, Hæreticum hominem, tũc primùm in fide subuersum esse, cùm antiquã fidei arcem, noua scripturarum interpretatione in seipso euertit: At, huius subuersionis causam non omnes agnoscunt. Hanc, indicat Paulus, non aliam esse, quàm proprium Hæretici iudicium, quo in scripturis interpretandis, ac rebus fidei definiẽdis potissimum vtitur: atque hoc signo, Hæreticum agnoscendum tradit. Hæreticum ergo est, proprio spiritu scripturas interpretari.

9 Confirmatur secundò. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt* ait Apost. Roman. 11. Ecclesiæ autem ordo requirit, vt alij sint discipuli qui addiscãt in silentio, alij Doctores qui sint in gradu superiori, quòd seruatum legimus Neæmiæ cap. 8. vbi dicitur: *Leuitę silentium faciebant in populo, populus autem stabat in gradu suo, & Esdras interpretatus est eis verba legis.* Non ergo omnibus, sed dumtaxat Doctoribus, quibus speciale donum concessum est diuinitùs, scripturas interpretari conuenit.

10 Probatur secundò. *Auctoritate veterum Patrum*. Clemens Romanus, D. Petri discipulus, sic ad nostrum propositum ait epistola 5. *Relatum est etiam nobis, quòd quidam in vestris partibus commorantes, aduersantur sanis doctrinis, & prout eis videtur; non secundùm traditionem Patrum, sed iuxtà sensum suum docere videntur. Multas enim quidam (vt audiuimus) vestrarum partium, secundùm ingenium hominum, ex his quæ legunt, verisimilitudines capiunt: & ideò diligenter obseruandum est, vt lex Dei cùm legitur, non secundùm propriam ingenijs intelligentiam legatur, vel doceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis Diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem vnusquisque sponte præsumpsit; sed fieri non oportet.* Et infra. *Et ideò oportet ab eo intelligentiam discere Scripturarum, qui eam à maioribus secundùm veritatem sibi traditam seruauit, vt & ipse possit ea, quæ rectè suscepit, competenter asserere*, videatur lib. 10. Recognitionum.

11 Et Dionysius Areopag. de cœlesti hierarchia cap. 1. ait: *Ad Sanctissimarum Scripturarum intelligentias, prout illas à Patribus accepimus, contẽdas pro viribus pergamus.*

12 Tertullianus de præscription. cap. 37. dicit: *Vndè Hæretici inimici, & extranei Apostolis, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisque de suo arbitrio aduersus Apostolos, aut protulit, aut recepit?*

13 Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromat. prædictis Patribus suffragatur. *Quamquam ij* (ait) *qui hæreses sectan-*

sectantur, audeant vti propheticis Scripturis: tamen primum neq; omnibus vtuntur, neque integrè &c. Sed quæ ambiguè dicta sunt eligentes, transferunt illa in priuatas opiniones suas.

D. Athanasius epist. de Synodis Arimini, & Seleuciæ, inquit: *Quæ non intelligimus in Scripturis non abdicamus, sed requirimus ab illis, quibus Dominus reuelauerit, & ab eis discere cupimus.* Qui autem isti sint, declarat orat. cõt. Idola, dicens, eos esse Sanctissimos Magistros, *quorum codices (*subdit*) si quis euoluat, intelliget aliquo modo Scripturarum mentem, & fortè eam, quam cupit cognitionem adipiscetur.*

14 D. Hieronym. ad Paulinum, epist. 2. de Hæreticis, ita scribit: *Quicquid dixerint, legem Dei putant, nec scire dignantur, quid prophetæ, quid Apostoli senserint: sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grãde sit, & non vitiosissimum docendi genus, deprauare sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahere pugnãtem.* & rursus in primam ad Ephesi. de seipso ait; *Alexandriam perrexi, vt viderem Dydimum, & ab eo in Scripturis, omnibus, quæ haberem dubia, sciscitarer.*

15 Consetit Diuus Ambrosius in cap. 3. ad Titum dicendo: *Hæretici hi sunt, qui per verba legis legem impugnant; proprium enim sensum verbis astruunt legis, vt prauitatem mentis suæ, legis auctoritate commendent.*

16 Audiamus in hac re D. Augustinum; is, explicans illud Psalmi 103. *inter medium montium pertransibunt aquæ*, post multa preclarè exposita, tandem concludit, dicendo: *At verò, vt inter medium montium fluuant aquæ, audi vocem montis. Deus,* inquit, *pacis det vobis vt idipsũ sapiatis omnes, & non sint inter vos schismata. Quod sentio, sentis. In medio fluit aqua, non habeo quasi priuatum meum, nec tu priuatum tuum; veritas nec mea sit propria, nec tua, & vt & tua sit, & mea: inter medium montium pertransibunt aquæ.* Et paulò post subdit: *Si quis autem vellet aliud prædicare,* (dicamus interpretari) *iam de suo prædicaret, nec de meo, & audi quid de illo dicatur ab ipso, qui emittis fontes in conuallibus, qui loquitur mendacium de suo loquitur.*

17 Vincentius Lirynensis, priuati spiritus superbiam, his verbis prosternit lib. cont. prophan. voc. nouit; *Et ne quis prætermissis cæteris, sibi solum audiri, sibi soli credi arrogaret, paulò post ait.* (scilicet Paulus) *An à vobis Verbum Dei processit, aut in vos solos deuenit? Et ne hoc quasi perfunctoriè acciperetur, adiecit. Si quis videtur Propheta esse, aut spiritualis, ideſt spiritualium rerum Magister, summo studio æqualitatis, & vnitatis cultor existat, vt scilicet neque opiniones suas cæteris præferat, & ab vniuersorum sensibus non recedat.* Ergo, ex omnium ferè Patrum sententia, is verus Scripturarum sensus est, quem non priuatus, sed publicus Ecclesiæ consensus docet.

18 Prob. 3. ratione. Scripturarum interpretatio, presertim in his, quæ ad Fidei doctrinam pertinent, debet esse certissima, & infallibilis; talitèr, vt omnem dubietatem prorsus excludat, (dubius enim in fide, inter infideles censetur.) Vt ergo Fides certissima sit, planè opus est, vt Scripturarum interpretatio, ex qua vera Fidei doctrina proficiscitur, omni prorsus incertitudine careat: At interpretatio à priuato cuiusque spiritu facta, redditur incerta; ergo interpretatio à spiritu priuato facta, vt fidei certitudini infensa, est eliminanda. Maior patet minor probatur exemplo, Caluinus locum illum Matt. 26. *Hoc est Corpus meum*, ita interpretatur, *Hoc est tropicè corpus meũ.* Hæc est priuata Caluini ac gregaliũ interpretatio, quæ ad grauissimum fidei Sacramentum pertinet. At, hæc incertissima est; nam Lutherus, quẽ Caluinus, velut illustrissimum homi-

nem

nem, ſpiritu Chriſti donatum veneratur) illam apertiſſimè vt Hæreticam repudiat, ac diuerſo modo interpretatur, nimirum: *Hoc eſt verè Corpus meum.* Igitur, hæc interpretationum diuerſitas, fidei certitudinē eliminat, immò Caluiniſtarum, ac Lutheranorum fidē, facit toto cœlo diuerſam. In pari ergo interpretationis gradu, & ſpiritu, quam vnaqueque factio iactat, dum ſingulæ omnibus fidem exigunt, nulla nec ſingulis, nec omnibus fides eſt adhibenda.

19 Præterea, probatur alia ratione deducta ex lumine narurali; (ni, hoc etiam ſint deſtituti Proteſtantes) nam, Ariſtoteles 8. Politic. ait: *Quod iudices eſſe non poſſunt, qui operis nullam habent notitiam; Nequè*, vt ait Galenus, *morbo laborans ſat ſcio te ipſum vulgo commiſeris, ſed ex omnibus, delectis paucis aliquot, atque his quidē modicæ rei peritiſſimis; nequè nauigans cuiuis è numero ventorum, ſed vni videlicet gubernatori; denique & in rebus minimis ſi edificas, fabro credis; ſi calceamentis egeas, Coriario. Qui fit igitur, vt vbi de rebus ſummis periculum eſt, tibi vendices poteſtatem, adimens cā ijs, qui plus ſapiunt, quàm tu?* Nec abſimiliter, Baſilius epiſt. 75. ad Neocæſarienſes, ſapit; dicit enim ipſe; *Oportet vt eodem propè ſint animi induſtria præditi, & qui aliorum ſcripta iudicaturus eſt, & qui illa conſcripſit. An etiam de agriculruræ operibus iudicare non poterit, qui non ipſa eſt Agricola? Et qui muſices ſcientiam non tenet, non conſonantiam, nec diſſonantiam in muſicis Rythmis cognoſcat? ſermonum iudex, non erit quicumque volet, qui nequè Præceptorem ſuum, nequè tempus, in quo didicerit aſſignare valeat, nec prorſus quicquam eorum, quæ ad ſermones iudicandos attinent, ſiuè multum, ſiuè parum intelligit.* Tunc ſic, manifeſta inductione concludit D. Auguſt. lib. de vtilitate credendi cap. 14. *Si vnaqueque diſciplina quamquam vilis, & facilis, vt percipi poſſit, doctorem, aut Magiſtrum requirit, quid temeriæ ſuperbiæ plenius, quàm diuinorum Sacramentorum libros, & ab interpretibus ſuis nolle cognoſcere, & incognitos velle damnare?* Et vt ait Hieronym. tom. 2. cont. Vigilanti: *Non eſt eiuſdē hominis aureos numeros, & ſcripturas probare; deguſtare vina, & Prophetas, & Apoſtolos intelligere.*

20 Liceat ergò, & flens, de hac Lutheri, & aliorum Hæreticorum doctrina, fari cum eodem Hieronymo ad Paulinum epiſt. 83. *Nunc verò Agricolæ, Cementarij, Fabri metallorū, lignorumque cæſores, Lanarij quoque, & fullones, & cæteri, qui variam ſupellectilem, & vilia opuſcula fabricant, abſque doctore eſſe non poſſunt, quòd cupiunt. Quod medicorum eſt, promittunt Medici, tractant Fabrilia Fabri. Sola ſcripturarum ars eſt, quam omnes paſſim vendicant: hanc garrula Anus, hāc delirus Senex, hanc Sophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent, antequàm diſcant. Alij adducto ſupercilio grandia verba trutinantes, inter mulierculas de ſacris literis philoſophentur. Alij diſcunt (proh dolor) à feminis, quòd viros doceant; & ne parū hoc ſit, quadam facilitate verborum, immò audacia ediſſerunt alijs, quod ipſi non intelligunt.* An non perſpectum eſt, quibus verbis, & quanto longo tempore ante, à Hieronymo, Lutheranorum, & Caluiniſtarum, arguatur impietas?

21 Probatur quartò, ex ſpecialibus principijs, & Cōfeſſionibus Proteſtantium. Martinus Lutherus in poſtilla Eccleſ. in explicatione Euangelij Lucæ in Natali Domini, qui, Epiſcopis, Doctoribus, & Concilijs ius, & poteſtatem ademit interpretandi Scripturas, eamque omnibus indiſcriminatim conceſſit, ſic ſe ipſum confodiens, ait: *Quomodo ſciretur Chriſtus, & fides eius, niſi prius ſcirentur fideles eius? Quiquè aliquid de Chriſto, aliquid noſſe cœpit ſibi non fide-*

Digitized by Google

fidere, aut priuatum sua ratiocinatione pontem in cœlum extruere debet: sed Ecclesiam adire, visitare, ac consulere, quæ conservat omnia verba Dei in corde suo eaque ponderat, confert secum &c. Sentit ergo Lutherus quòd Scripturarũ intelligentia, non ex priuato vniuscuiusque spiritu, sed ex Ecclesiæ sẽsu & doctrina petenda sit.

22 Luthero suscribit Caluinus, qui *Admonit. ad Vuesphalum fol. 1129.* Loquens de expositionibus Scripturæ à priuato spiritu adhibitis, sic inquit: *Scriptura si tã violenter prematur, vt isti volunt, tot ferè absurditatibus scatebit, quot versus occupat.* Et in defension. Sacramentaria cont. eundem fol. 1087. dicit: *Homo prophanus sacris sententijs turpiter pro sua libidine abutitur, non secus ac magi sacra verba ad impias incantationes detorquent.*

23 Præterea idem Caluinus in Instructione ad versus Libertinos c. 9. eos coarguit, eò quòd Sac. Scripturas solo priuato Spiritu interpretabantur. *Iam (ait) diximus istos initio apertè ridere solitos, si quis scripturas allegaret. Nec dissimulasse, quin eas pro fabulis haberent. Interim tamen nõ desinebant ijs vti, si quis esset locus, quẽ in sensum suum torquere possent. Non quod ei adhiberent fidem, sed tantum vt perturbarent idiotas, atque ita concuterent, vt tandem eos ad se possent facilius adducere. Si quis locus ipsis obijceretur: respondebant, nos literæ minimè obnoxios esse: sed Spiritum, qui viuificat, sequi oportere. Quin etiam Porcus ille Quintinus, vnumquemque Apostolorum aliquo scommate notauerat, veluti Picardico suo sermone, Paulum vocans Vas fractum: Ioannem, iuuenem stolidum: Petrum, abnegatorem Dei: Matheum fœneratorem.* Hæc Caluinus de Quintino, & Coppino, Libertinorũ Sectæ auctoribus.

24 Tandem idem ipse Caluinus lib. 4. Instit. cap. 1. §. 5. ait. *Videmus vt Deus qui posset momẽto suos perficere, nolit eos adolescere in virilem ætatem, nisi æducatione Ecclesiæ &c. Hoc consilio voluit olim Sacros haberi conuentus ad Sanctuarium, vt fidei consensum aleret doctrina per os Sacerdotis prolata &c. Sicut autem, & veterem Populum non ablegauit ad Angelos, sed DOCTORES excitauit è terra, qui verè prestarent munus Angelicum, ita, & nos hodie humanitus vult docere. At sicut olim non contentus fuit SOLA lege sed SACERDOTES addidit INTERPRETES, ex quorum labijs populus inquireret verum illius sensum, ita hodie &c.* Euge Caluine, falsum ergo est quod asseris pro legis, & Scripturæ interpretatione sufficere priuati Spiritus intelligentiã. Falsum est quod asseris alibi, Scripturæ sensum, esse omnibus obuium. Væ cui dolet.

25 His subscribit Sarauia in *Defens. Tract.* de diuers. Ministr. gradibus &c. dum ait: *Spiritus Sanctus qui Ecclesijs præsidet, verus est Scripturarum interpres: ab eo igitur est petenda vera interpretatio; & cùm is sibi non possit esse contrarius, qui primitiuæ Ecclesiæ præsedit, per Episcopos eam gubernauit, ipsos nunc abijcere consentaneum veritati non est.*

26 Brẽtius item in Confess. Vuittemberg cap. de Sac. Scrip. ait; *Non est obscurum, quod donum interpretandæ Scripturæ, non sit humanæ prudentiæ, sed Sancti spiritus.*

27 Præterea Rullus de summo Iudice thesi 4. Vuitaker. controuer. prima, & alij Protestantes, dicunt, solum Deum esse supremum Iudicem controuersiarum, & scripturarum interpretem, seu Spiritum Sanctum, vt loquitur per scripturam: aliquando Scripturam ipsam, vt habentem spiritum Dei latentem, esse sui ipsius interpretem. Rulli verba hæc sunt; Interpretem *Hunc nullum alium agnouimus, nisi Spiritum Sanctum in scripturis loquẽtem,* Idẽ asserit Brentius loco nuper adducto, & Luther. in proæm. assertionũ, Scripturã

facit

facit *sui ipsius interpretem* ; Ergo si Deus solus est interpres Scripturæ, satis bardè hoc ipsum Cauponario, Lanario, Sartori, Hystrioni, mulierculis, & his similibus, interpretationis negotium, tribuunt Aduersarij.

28 Tandèm, fatentur Protestantes Sacram Scripturam esse fidei regulam vnam, (nos dicimus inadequatam), ergo eius interpretatio, debet esse certissima. Dicit aduersarius, concedo totum. Tunc sic; Sed priuatus spiritus Protestantiũ, potest errare, immò de facto errat interpretando Scripturas, vt vidimus in 3. Probat; & ampliùs ingenuè fatetur Georgius Mylius prædicans Saxonus in disp. de Iudice Controuersiar. Per hæc verba, quæ habentur thesi. 3. *Quod errare iudicando, interpretando omnes possunt, errantque non rarò, aut leuiter, & nulla (subiungit) hic disparitas est hac parte, nisi quatenus ex accidente quopiam ætatis, eruditionis, experientiæ, loci, aut vitæ quouspiam differentiæ se se offert.* Ergo hæc interprætatio scripturarum à priuato spiritu profecta, est penitus reijcienda; ni velint Protestantes fluctiuagæ, & incertæ veritatis, ac fidei regulæ se committere, cùm omnes æquè errare possint, immò de facto errauerunt interpretando. Cætera de hoc argumento, in sequenti lecti. expendemus.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

29 ARguit primo Lutherus. lib. de instituendis Ecclesiæ ministris tom. 2. Latino Vuittemberg. Sic: *Si non licebit secundùm proprium spiritum intelligere, sed secundùm Patres, quis nos certos faciet num rectè Augustinum intelligas? dandus ergo erit alius interpres Augustino quoque, ne proprius spiritus non fallat in illius libris. Quod si ita fieri oportet, dandus est, & tertio quartus interpres, & quarto quintus vsque in infinitum, & coget nos proprij spiritus periculum nihil vnquã discere, aut legere: id quòd certè impletum est, dum primo neglectis sacris litteris soli Augustino insudandũ est, post & hoc non intellecto, & neglecto, Thomas Aquinas regnauit, & hunc alij sine fine interpretes sequuti sunt.*

30 Respondetur, quòd fruſtra turbatur erga plurima, vsque in infinitum interpretes multiplicando Lutherus; Etenim, an Patrum interpretatio vera & Catholica sit nec ne? non ex Patrum, sed ex Ecclesiæ iudicio petimus, eamque adimus, & audimus, quæ quia à Spiritu Sancto regitur, eius testimonium est irrefragabile dum nos certos reddit, Patres ex Spiritus Sãcti instinctu esse locutos, ac rectè Sacras Scripturas esse interpretatos. Hæc est ipsissima nedũ Catholicorum, sed etiam Aduersariorum doctrina, maxime Lutheri vt patet hic in 4. probatione. Et sic non in infinitum procedimus, sed in Sinu Sanctæ matris Ecclesiæ quiescimus, quæ conseruat omnia verba Dei in corde suo.

31 Arguunt secundò. Centuriat. Magdeburgeuses. 1. Petri cap. 4. dicitur: *Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Ergo vnusquisque indiscriminatim, accepit gratiam hanc gratis datam, interpretandi scripturas.

32 Respondetur, vltrò concedẽdo, membra corporis mystici Ecclesiæ, inuicem communicare; Cæterũ hæc membra non eumdem actum habent ex Apostolo. Vndè notanda sunt Apostoli verba in argumento adducta: dicit enim, quòd administratio illa, erat tantumodo particularium dispensatorum, quibus hoc erat demandatum, vndè dicit: *sicut boni Dispensatores*; non autem erat omnium indiscriminatim. Rem ex integro testatur D. Paulus, qui de hac dispensatione specialiter sibi, & alij

alij demandata dixit: *Sic nos existimet homo, vt Ministros Christi, & Dispensatores mysteriorũ Dei.* Hæc igitur omnia tantummodò ad Pastores, & Præfectos Ecclesiarũ, & non ad Cerdones, Lippos & tonsores, imò ad imperitas mulierculas sunt referẽda.

33 Arguunt ijdem 3. I. Ioann. cap. 1. habetur: *Vnctio docet vos de omnibus;* & Ioann. 6. *Erunt omnes docibiles Dei.* Quibus subiungit Brẽtius illud ad Roman. 8. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et illud, *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto.* Ergo populo nõ est opus alio Doctore, Deo interius docente.

34 Respondetur, negando Consequentiam. Nõ enim ijs testimonijs probatur, omnium Scripturarum notitiam, absque vllo Doctore externo, à solo Deo, Ecclesiæ filijs infundendam; sed tantùm ostenditur, quòd fideles per spiritum Dei, suscipiunt, & credunt mysteria fidei facillimè, sibi à ministris, Doctoribus, & ab Ecclesia definiente propositis. Iuxta illud Apostoli, *Ego plantaui, Apollo rigauit; Deus autem incrementum dedit.* Deus ergo dat incrementũ intrinsecus; Apollo, & Paulus sunt extrinseci proponentes, seù irrigatores, & plantores.

35 Arguunt ijdem quartò II. Petri 1. scriptum est: *Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes tanquàm lucernæ lucenti in caliginoso loco;* & 1. Timot. 3. *Ab infantia sacras litteras nosti quæ te possunt instruere ad salutem.* Ergo omnibus scripturas legentibus, à Spiritu Sancto tribuitur donum interpretandi.

36 Respondetur, quòd præuidẽs Apostolus Petrus Centuriatorum cæterorumque Protestantium, hoc loco abutentium, audaciam; præclarissimis verbis occurrit eis, dicendo: *Hoc primùm intelligentes, quòd omnis Prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit.* Et licet, lucerna pedibus nostris, sit, verbum Dei scriptũ; si tamen eum, proprio priuatoque interpretemur spiritu, vera eius intelligentia priuamur, incidimusque in offensionem, & in scandalum, dicente D. Augustino de fide, & symbolo cap. 9. *Multa de Christo inueniũtur in Scripturis, ita dicta, vt impias Hæreticorum mentes prius volentes docere, quàm nosse, in errorem miserit.* De hac Auctoritate plura supra diximus. Ad illud Pauli respondemus, quòd ly, *nosti*, idem valet, *ac didicisti*, vel à Deo specialiter illustrate, vel vtique ab aliquo Doctore exteriùs docente, ne de illo diceretur, *quomodo hic literas scit cum non didicerit.*

37 Arguunt 5. Christus Matt. 25. gratias agens Patri suo, quia abscõdisset hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasset ea paruulis, non obscurè significat, Sacræ Scripturæ intelligentiam non minus paruulis, & humilibus, & imperito populo impertijsse, quàm sapientibus, & prudentibus; Ergo contra Christi mentem, Pontificij populo interdicunt Sacræ Scripturæ interpretationem.

38 Respõdetur, quòd per ly *Paruulos*, non indoctum vulgus, sed humiles, nullaque scientia inflati homines, intelligũtur, quales sunt Apostoli, Piscatores, verè paruuli, humiles, nulloque inanis scientiæ typhoturgentes; Non tamen indocti, quũ toto triennio primam veritatem, omnisque scientiæ magistrum audiuissent, coluissent, ipsumque Christum mentem interiùs erudientem, & illuminãtem, sensissent. Nec paruuli isti sunt Cerdones, & Lanarij Protestantes, qui paucula aliquot, lacera, & non intellecta Scripturæ loca, in pistrino, textrina, laniena lectitantes, plus se sapere existimant, quàm vniuersa Academia Salamãtina, Parisiensis, Duacensis, & Neapolitana; quinimmò præse maiores

Digitized by Google

cõtempnunt, ſuumque iudicium totius Orbis Senatorum, ſcilicet, omnium Eccleſiæ Patrum ſententiæ, anteponunt.

39 Arguunt ſextò, Chriſtus Ioan. 5. mandat Iudæis, *Scrutamini Scripturas.* Igitur, ſimilitèr vniuerſo populo Chriſtiano mandat, vt fidei doctrinam ad regulam exigant ſcripturæ, & de eius iudicent interpretatione.

40 Reſpondetur, quòd ly *ſcrutamini* poteſt eſſe Indicatiui, & Imperatiui modi. Si indicatiui, vt placet Stapletonio, ſenſus eſt: Vos diligenter inquiritis ſcripturas, tamen non vultis credere, quod ibi inuenitis de me: erant enim illi teſtamenti veteris libri, non Euangelium Chriſti, non Epiſtolæ Pauli, quæ tunc temporis ſcriptæ non erant. Si Imperatiui; tunc dicimus, Chriſtum non imperitam plebem, ſed Scribas, Sacerdotes, Leuitas, & Phariſæos ibi fuiſſe allocutum, penes quos, vti clauis erat ſcientiæ, ita eoſdem Veteris Teſtamenti libros examinare conſuetum erat, quòd & Hærodes Matt. 2. indigitat, dùm Scribas congregat, ſciſcitans ab eis, vbi Chriſtus naſceretur.

LECTIO V.

Quòd Ius interpretandi Verbum Dei ſcriptum, ſoli Eccleſiæ competat Auctoritatiuè.

1 AD Verbi Dei ſcripti intelligentiam, non per ſpiritum proprium, ac priuatũ (vti Proteſtantes) nos ire contendimus: ſed cùm diligentèr exquiſierimus à Patribus, Concilijs, & ab Eccleſia Matre, vbi ſit Rex Iudæorum, vbi Verbum, vbi litera, vbi ſenſus, nobiſque vniuerſorum ordinum concurrentibus vndique votis, renuntiatum fuerit de hoc Verbo, ſequimur exindè ſtellam itineri præiectã noſtro; ſequimur (inquam) facem quam Eccleſia præfert, & cum inuenerimus Verbum infans maternis obligatum in cunis: curis adoramus cœleſtibus, ſupplices oſculamur, proni amplectimur, oſtenſum à Matre, reuelatum à Patre. Etenim vbique Fidem pia volũtas præcedit, piam autem voluntatem prudentia, prudentiam ratio, poſtremò rationem diligens Patrum, & totius Eccleſiæ in eãdem fidem conſpirantis inueſtigatio. Iniquo ergo iure Nouatores, non à Patribus, non à Concilijs, non denique ab Eccleſia, Sacræ Scripturæ (quam Regulam dicunt fidei) interpretationem expetunt, ſed à proprio vertiginis ſpiritu profectã, excipiunt. Audite

Mendacium Proteſtantium.

2 LVtherus Romano-catholicos proſcindẽs in proæm. Aſſertion. de ijs, ait: *quod ſolis commentarijs hominum immerſi ſunt, non quid ſacræ litteræ, ſed quid illi in ſacris litteris ſentirent quærentes, donec vni homini Romano Pontifici non niſi indoctiſſimis ſophiſtis circumuallato ſoli tribuerent ius interpretandæ Scripturæ Sacræ &c.*

3 Huic manus præbet Caluinus, qui in antidoto ſub fine ſeſſ. 4. Trident. de ſe, & ſuis, inquit: *De nobis quo minus dicam quòd res habet, impedit verecundia. Veriſſimè tamen licebit profiteri. Nos intelligendis ſcripturis plus lucis attuliſſe, quàm omnes qui ab exorto Papatu inter eos extiterunt Doctores.*

4 Rullus diſp. de Sacrar. Scripturar. vſu iudiciali theſi. 13. ait: *Abſit, vt ſummum fidei Tribunal Prælatis Eccleſiæ ſolis, vel congregatis, vel Pontifici, vel curiæ Romanæ concedamus.*

5 Petrus Martyr præfat. in primum ad Corinth. dicit: *Eccleſiæ tribuere nolumus de ſcripturis, & ijs, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt ſupremam cen-*

Digitized by Google

censuram. Idem sentiunt Kemnitius, Brentius, Hunnius, Vuitakerus, Danæus, & alij.

VERITAS CATHOLICA.

Ius Auctoritatiuè interpretandi Verbum Dei Scriptum, ad solam Ecclesiam pertinet.

6 ANtequàm probetur Veritas ista, Præmittendum duxi, non eundem semper esse Ecclesiæ consensum, ac is qui Patribus tribuitur; licèt frequentèr, præsertim in rebus Fidei, vterque pro eodem sumatur: Patres enim cum in aliqua doctrina Fidei consentiunt, licèt certum, & indubitatum haberi debeat, quòd eo consensu affirmatur, haud tamen ex eo cõsensu præcisè, Ecclesiasticum aliquod dogma assurgit, vt propterea hæresis crimen incurrat, qui aliqua ratione fretus eidem contradixerit, tametsi superbiæ ac temeritatis notam non effugiat, immò etiam erroris, si omnes illi in vno consenserint. Nam vt ait Lirynensis lib. cont. prop. voc. nouit. aduers. hæreses, *Doctores in Ecclesia Dei diuinitus per tempora, & loca dispensatos, quisquis in sensu Catholici dogmatis, vnum aliquid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum.* Ecclesia verò cum aliquid communi sẽsu declarat circa Fidem, (cum id Diuina auctoritate præstet,) vniuersos ita suo decreto obstringit, vt non nisi Hæreticum esse possit, quod contra illud ãffertur. Ita fit, vt Patrum interpretatio vnanimis, sub pœna tantum crassæ contumaciæ, Ecclesiæ verò sub pœna perfidiæ sequenda sit.

7 Hinc dicendum est, quòd potestas Auctoritatiua interpretandi Scripturas, non sit nisi Apostolorũ, & eorum qui Apostolis successerũt, in quantum Ecclesiam vniuersalem repræsentant in Concilijs legitimè congregatis, vel solius Summi Pontificis, in quo residet plenitudo potestatis. Doctoribus verò, cùm nulla sit facultas commissa; sed ijsdem dũtaxat illustratio data sit enucleandi, & elucidandi Scripturæ auctoritatẽ, inrerpretari Scripturã auctoritatiuè non competit, sed, (vt diximus,) Concilio cum Capite vnitim vel soli Summo Pontifici, absque Concilio. De his dictum est ex Professo, cum de Iudice Controuersiarum tractaremus hic lib. 1.

8 Probatur Veritas Orthodoxa, generalibus principijs Protestantiũ inhærendo, ex Sac. Script; & totius Antiquitatis cõsensu. Primo ex Scriptura; pleràque olim apud Hebræos tàm circa legem, quàm cæremonias, ac iudicialia præcepta dubia irrepsisse, quæ explicationem indigerent, manifestũ est, ex Deuteronom. cap. 17. vbi de his dubijs, lex vniuersalis sancitur. Quid verò in his Diuina lex caueret, apertum est, 2. Paralipomen. cap. 19; vbi, eadem lex quasi epilogo concluditur, his verbis; *Omnem causam quæ venerit ad vos fratrũ vestrorum, qui habitant in vrbibus suis, inter cognationem; vbicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremonijs, de iustificationibus: ostendite eis, vt non peccent in Dominum. Amasìas autem Sacerdos in his, quæ ad Deum pertinent præsidebit.* Dei ergo præcepto cautũ est, vt legis controuersię Sacerdotũ sententia finiantur: ex quo sanè perspicuum fit, non à priuato Spiritu; aut à singulari cuiusque sententia; sed vel à Pontifice, totius Ecclesiæ personam gerente, vel à Concilijs Episcoporum, (in quibus maximè Ecclesiæ consensus viget) Scripturarum interpretationem, ac dogmatũ Fidei definitiones petendas esse.

9 Idem habetur Neæmie. 8. vbi legimus quod *Leuitæ silentium faciebant in populo &c. & Esdras interpretatus est eis verba legis.* Non ergo cuique ex populo, conuenit Scripturas interpretari, immòneque Leuitis, sed

tantùm Præsuli, & Sacerdoti. Quòd si hoc factum est in lege Veteri; ergo multò magis in noua, Tribunal erigendum erat; vbi Summus Pontifex, verum legis ac Scripturarum sensũ, cum ipsa Scriptura credenda præscriberet.

10 Isaiæ 2. v. 2; & Micheæ 4. v. 1. res nostra exprimitur, dum dicitur: *In diebus illis erit præparatus mons Domus Domini in vertice montium &c.* (hæc Domus in vertice montis, est Ecclesia, vt supra vidimus ex Patribus) *Multi populi ibunt &c. & ad Domũ Dei Iacob, & docebit nos vias suas.* Vias ergo Domini, & doctrinam, in Ecclesia, quæ est Domus Dei, oportet nos addiscere, non autem per ipsas vias, ipsum Mõtem inuestigare: Hinc Notæ Marginales Anglicæ in cap. 2. Isaiæ ver. 2. textum hunc ad Ecclesiam referunt.

11 Iterum idem Isaias cap. 35. v. 8. Ecclesiam vocat semitam rectam, *Rectas facite semitas Dei nostri*, quem locum Lutherus explicat de inerrabilitate Ecclesiæ; Vnde tom. 4. Vuittemberg. fol. 175. *B.* paulò ante medium, ait: *Erit tam plana via, in qua ne stulti quidem errent.*

12 Præterea, Canticor. 1. Sponsus Sponsam Ecclesiam sic alloquitur: *Si ignoras te ò pulcherrima mulierum, abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxtà tabernacula pastorum.* Vbi Notæ Marginales Bibliæ Anglicanæ, impress. 1576. dicunt *Hic rudes, & imperitos ad Pastores suos amandat*, scilicet ad Ecclesiam, Patres, & Concilia, vt depellant ignorantiam, & accipiant intelligentiam.

13 In nouo quoque testamento idipsum testatum habemus, nam Matth. cap. 16. Christus Petro, dixit: *Tibi dabo Claues Regni Cælorum*; inter has Claues (vt cõmunitèr Patres exponunt) est etiam Clauis scientiæ, qua significãtur auctoritas Scripturas interpretandi. At præclarum huius rei testimonium extat Actor. cap. 15. vbi cum grauissima orta esset contentio de Circumcisione seruanda, & cæteris Mosaicæ legis ritibus, an ij à Gentibus seruari deberent, nec ne? ac propterea de legis interpretatione ageretur. Quid putas tunc egerunt Apostoli? *Conuenerunt* (ait Lucas) *Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc.* At dicãt Protestantes, nõ ne quilibet Apostolorũ, ob acceptam Spiritus Sancti plenitudinem, nouerat, quid de illa Scripturæ interpretatione sentiendum esset? *Dicent*, etiam. Quorsum ergo omnes in vnum conuenire, ac seniores cõgregare? Vt, scilicet, declararent, posterisque essent exemplo, tamdiu priuatam Scripturarum interpretationem susceptã esse debere, quoad publico Ecclesiæ consensu, vna cũ, & à Capite fuerit comprobata. Confirmarunt hoc Apostoli epist. ad Gẽtiles missa, nam simul ac res in Concilio (presidente Petro Summo Pontifice) discussa fuit, ac omnium consensu determinata: mox eam legis interpretationem, ac Fidei decretum à Spiritu Sancto profectum fuisse docuerunt, dicentes *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Non mihi, non Ioanni, non Iacobo, non vni ex his, qui in Concilio sedebant: sed omnibus simul collectis, præsidente Petro, vt Spiritum Sanctum, non priuatæ vnius sententiæ, sed publico dumtaxat omnium consensui adesse Protestantes addiscant. Etenim, quòd totius Ecclesiæ ore decernitur, id proculdubio à Spiritu Sancto profectum creditur.

14 Probatur secundò, ex perpetuo Ecclesiæ vsu, quæ exemplo prædicti Apostolici Concilij, post eorũdem Apostolorum tempora, tàm in extirpando Hæresum semine, quàm in decernendis grauioribus fidei rebus, ad Summum Pontificem, vel ad Concilium Summo Pontifice illo in loco Præsidente confugit; vndè Hæreticorum errores (ex praua Scriptura-

turarum interpretatione assurgentes) velut iaculo confoderentur. Etenim Sabellius ea praua scripturarum interpretatione ductus, quod illæ vnum dumtaxat Deum credendum proponerent, vnam tantum in Trinitate personam posuit, quem errorem recta Sacrorum locorum intelligentia Sixtus 2. ab Ecclesia eliminauit. Arrius Filium Deo Patri æqualem negando, luem suam deprauatis scripturarum expositionibus tegit: Vera, ac germana scripturarum interpretatione, pestem illam ab Ecclesia expulerunt, primò Nicæna Synodus sub Syluestro, deindè Romana sub Iulio Summ. Pontificibus. Macedonius ex mala illius loci intelligentia, *Spiritum, quem ego mittam vobis à Patre*, impiè Spiritum Sanctum esse Deum negauit. Antiquorum Patrum traditione explicato loco, Concil. Constantinopolit. primum, Hæresim iugulauit. Orbis vniuersus fidei incēdium passus est, cùm Nestorius nonnullis scripturarum (malè interpretatis) testimonijs fretus, duas in Christo personas asseruit. Illud tamen impium dogma Synodus Ephesina gladio verbi Dei veraciter expositi, necauit. Eutychius ex illo loco Ioannis: *Et Verbum Caro factum est*; impiè collegit, vnam tantum Christo inesse naturam. Tamē protinus a Cōcilio Chalcedonensi scripitura (iuxta Ecclesiæ sensum interpretata), velut armatura fortium, fuit hæresis illa penitus debellata. Nimis longum esset omnia huiusmodi exempla sigillatim prosequi. Hæc sufficiant.

15 Probatur tertiò. Auctoritate Conciliorum. Et licet in causa propria Iudex possit esse suscęptus, liceat tamen vnum tantùm testimonium ex Concilio Senonensi proferre, quòd estò non sit illorum primorū temporum; cùm tamen primorum temporum Concilia, & Patres recēseat, æquo iure (saltem propter horum auctoritatem) debet à Protestantibus nobiscum recipi. Illud nāque, decreto 4. ita de iudicio Ecclesiæ in scripturis approbandis, & interpretandis decernit: *Nullus enim tàm deploratus quondam surrexit Hæreticus, qui non suum errorem scriptura tueri conaretur; Nulla tàm absurda, tàm impudens hæresis, quæ non sacris vtcumque fulciatur eloquijs; sed corruptis, & à genuino sensu deprauatis. Immò si quis literæ corticem tantùm suo fretus ingenio percurrat: si penitissimos sensus cum Ecclesiasticis interpretibus non penetret, vix vnquàm confutabitur Hæreticorum versutia, vt ait Tertullian. libro de præscrip. aduers. Hæretic. Obortis igitur de fide dissidijs frustra sæpè scriptura consulitur, nisi Ecclesiæ certa, & infallibilis litem dirimat auctoritas, quæ Canonicum librum ab apocrypho, Catholicum sensum ab Hæretico, germanum ab adulterino discernat. Hac nempè velut internuntia Patrum, ac Sacrorum Conciliorum organis Spiritus Sanctus docet nos omnia, sine quorum auspicijs, qui Scripturæ Sac. sensum habere se iactant, non intelligunt, quæ leguntur, nequè de quibus affirment; sed videntes non vident, & audientes non audiunt. In ennumerandis itaque Canonicæ Scripturæ libris, qui præscriptum Ecclesiæ vsum, & auctoritatem non sequitur, Sacrum Carthaginense Concil. 3. Innocentij, & Gelasij decreta, & denique definitum à Sanctis Patribus librorum Catalogum respuit, aut in exponendis Scripturis non pascit hædos suos iuxtà tabernacula Pastorum: sed fodit sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas: & spretris Orthodoxorum Patrum vestigijs, proprij spiritus iudicium sequitur; is velut Schismaticus, & Hæresum omnium incentor, & fautor à tanta temeritate reprimatur.* Hæc Concilium pro nobis contra Protestantes.

16 Probatur quartò. Auctoritate Veterum Patrum. Irenæus lib. 3. cap. 45. ait: *Vbi Charismata Domini posita*

sita sunt, ibi discere oportet veritatem apud quos est ea, quæ ab Apostolis Ecclesiæ successio, & id, quòd est sanum, & irreprobabile sermonis constat. Hi enim fidem nostram custodiunt, & scripturas sine periculo nobis exponunt. Et iterum lib. 4. cap. 45. & 63. *In Apostolorum doctrina (ait) secundum successiones Episcoporum, & secundum Scripturas, expositio legitima, & diligens, & sine periculo, & sine blasphemia est.*

17 S. Augustin. lib. 1. de Nuptijs cap. 20. concordans illa duo loca Scripturæ, 1. Corinth. 5. *Cum eiusmodi nec cibum sumere*, & illud 1. Corinth. 10. *omne quòd apponitur manducare*, quæ primo aspectu dissonare videntur, ait: *In hac veluti angustia quæstionis non aliquid nouum, aut insolitum dicam, sed quod sanctitas obseruat Ecclesiæ.*

18 Similiter Cyrillus Alex. lib. 10. in Ioann. cap. 13. impugnans Nestorium, inquit: *Hæc quidem ille astutè simul, ac impiè. Nos autem Patrum, & Ecclesiæ fidem sequentes huius loci sensum rimati sumus.*

19 Vincentius Lyrinensis aduers. Prophan. vocum nouit. cap. 2. amplioribus verbis hoc ipsum confirmat, dicendo: *Hic forsitan requiret aliquis, cum sit perfectus Canon, sibique ad omnia satis superquè sufficiat, quid opus est vt ei Ecclesiasticæ intelligentiæ iungatur auctoritas? quia videlicet Scripturam Sacram pro ipsa altitudine, non vno, eodemque sensu vniuersi accipiunt; sed eiusdem eloquia aliter, atque aliter alius atque alius interpretatur, vt penè quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Nouatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exposuit; aliter Arius Eunomius &c. (Apertè vos ferit hoc telum Protestantes) Atque necessè est idcircò, propter tantos, ac tàm varios anfractus, vt propheticæ, & Apostolicæ interpretationis lineæ, secundùm Ecclesiastici, & Catholici sensus normam dirigantur.* Hi Patres sufficiant pro præsenti, cæteros expendimus cùm de Iudice legitimo Controuersiarum fidei, tractabimus sup. lib. 1.

20 Probatur 5. Ratione. Cùm vna, sit nostra Fides (quæ in Verbo Scripto, & Tradito adequatè continetur) vna quoque debet esse Scripturarum intelligentia, At non possent omnes fideles per vniuersum Orbem dispersi idipsum dicere, neque in vnica intelligentia conuenire, nisi ad eandem intelligentiam tenendam constringerentur per eũ, qui Vniuersæ Ecclesiæ præest, aut per Concilium, iussu, & auctoritate Summi Pastoris congregatum: igitur ad saluandam Fidei, & intelligẽtiæ Scripturarum vnitatem, opus est recurrere ad Ecclesiæ Magisterium.

21 Probatur tandem. 6. ex specialibus principijs, & Confessionib. Protestantium. Nam hoc tergiuersationis genus, nempe per priuatum Spiritum Scripturas interpetrandi, ipsis Protestantibus tantũ molestiæ peperit, atque discordiarũ in dies inter eos glisscentiũ fomes, vt ipse Beza, & plerique suæ sectæ homines, ei tandem abrenunciarint, & decisioni alicuius Concilij se submiserint. Hookerus in præfat. librorũ de Politia Ecclesiastica sect. 6. pag. 28. fine, vt 29. initio ait: *Beza in libro omnium quos edidit penultimo, se tandem tedere contentionum harum, & oppositionum profitetur, siue Verbo fiant siue scripto, eò quòd experientia didicerit, controuersias tales, rixas interminabiles generare, quare optat, vt in generali aliquo, & legitimo Ecclesiarum Cõuentu, contentiones iste terminentur.*

22 Quin, & ipse Beza in præfat. lib. cui titulus. *Ad acta colloquij Mõtisbergart. responsio*, part. 1. pag 2. ait: *Hæc omnia vere Doctorum, & Orthodoxorum omnium Theologorum, & præsertim liberæ, Sanctæ, ac legitimæ Synodi iudicijs (si quando Dominus illam concesserit) submissa sunto.*

23 Su-

Digitized by Google

23 Suteliffus in Examine lib. 1. Kelliſoni impreſſi 1606. pag. 42. initio, ait: *Falſum eſt nos nullos, præter ipſas Scripturas, iudices admittere: ſemper enim ad legitimum Concilium Generale appellamus &c.* & immediatè poſt, addit: *Interim Concilijs nationalibus, & eorum Decretis contenti ſumus:* Et rurſus ibid. pag. 12. fine ait: *Priuati homines Generalis ac liberi Concilij decretis, & interim ſuis Nationalibus ſe ſubmittunt.* hæc ille.

24 Lutherus etiam, (vt vidimus in præcedentibus) in poſtilla Eccleſia ſt. in explic. Euangel. Lucæ in Natali Domin. ſe ipſum damnans, ad Eccleſiam recurrit pro vera Scripturarum intelligentia, dicendo: *Quique aliquid de Chriſto noſſe cœpit ſibi non fidere, aut priuatum, ſua ratiocinatione pontem extruere debet: ſed Eccleſiam adire, viſitare, ac conſulere, quæ conſeruat omnia Verba Dei in corde ſuo, eaque ponderat, confert ſecum, & cũ ſcripturis.* Et in epiſtola quadam ad duos plebanos coactus eſt dicere: *Quippè fatemur in Papatu veram eſſe Scripturam Sacram, verum baptiſmũ, verum Sacramentum Altaris &c.* Rurſus, apud Cochleũ lib. de Sac. Scripturæ auctorit. dicit: *Si diutius ſteterit mundus, iterum fore neceſſarium, propter diuerſas ſcripturæ interpretationes (vtique priuato ſpiritu factas) quæ nunc ſunt, vt ad conſeruandam fidei vnitatem, Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea cõfugiamus.* Quid dicitis Proteſtantes? Nonnè veſter iſtæ Patriarcha Germanus, quem vos diuinitùs afflatum, impio boatu iactatis, ad Conciliorum decreta, ad Eccleſiam ipſam, pro legitima ſcripturarum intelligentia, confugiendũ docet? Nonnè in Papatu, verã Scripturã eſſe aſſerit? Quorsũ ergo verũ Scripturæ ſenſum, ex veſtro priuato vertiginis ſpiritu eruendum eſſe cenſeris? Redite preuaricatores ad cor.

25 At, Audite iterum eumdem tom. 2. lib. de Captiu. Babyl. fol. 84. dum ait: *Hoc ſanè habet Eccleſia, quòd poteſt diſcernere Verbum Dei à verbis hominum, ſicut Auguſtinus confitetur ſe Euangelio credidiſſe motum auctoritate Eccleſiæ.*

26 Huic ſubſcribit Confeſſio Vuittemberg. cap. de Eccleſ. his verbis: *Eccleſia habet ius iudicandi de omnibus doctrinis.* Et cap. de Concilijs, de Eccleſia eadem ſentit: *Habet* (ait) *certam promiſſionem perpetuæ præſẽtiæ Chriſti, & gubernatur à Spiritu Sãcto.*

27 Caluinus de vera Eccleſię Reformat. fol. 322. eandem veritatem agnouit, dum inquit: *Quin proprium Eccleſiæ officium ſit Scripturas veras à ſuppoſitijs diſcere, non nego.*

28 Petrus Vermilius Pſeudomartyr ſuum præceptorem ſecuutus in præfat. epiſt. primæ ad Corinth. ait: *Facile dabimus antiquam Eccleſiam tanto ſpiritu fuiſſe præditã, vt eius ductu, & auſpicijs facile agnouerit inter illa quæ ſibi proponebantur quæ nam legitima, & genuina Verba Dei eſſent, & hac ſpirituali facultate Canonẽ Scripturarum ab Apochryphis libris diſcreuerit.* Idem repetit in locis Claſſe 1. cap. 6. §. 8. dicens: *Eccleſiæ functionẽ eſſe agnoſcimus, vt cum ſit præditа diuino Spiritu, ſynceros, & germanos libros diuinarum literarum ab adulterinis, & Apocryphis diſcernat.*

29 Iuellus in Defenſion. Apologiæ fol. 204. idem ſentit: *Habuit* (ait) *Eccleſia Dei Spiritum Sapientiæ, quo veras Scripturas à falſis diſcerneret.*

30 Fulco in Reſponſ. ad Pſeudocatholicum fol. 5. dicit: *Poteſt quidem Eccleſia Chriſti, vera Scripta ab adulterinis diſcernere.*

31 Perkinſus in ſerm. Domini tom. 2. col. 252., ſic de hoc eodem argumento ſcribit: *Eccleſia de rebus ſummi ponderis iudicãdi donum habet. Illa de Libris Scripturæ, qui Canonici, qui non ſint, de ſpiritibus hominum eorumque doctrinis iudicare, & propterea quis hominum cœtus, vera Eccleſia, quis non, vtique iudicare poteſt.*

Vui-

Digitized by Google

32 Vuitakerus controu. prima quæſt. 3. cap. 1. fol. 315. ait: *Non negamus ad Eccleſiam pertinere, vt Scripturas approbet, agnoſcat, recipiat, promulget, commendet ſuis omnibus, & hoc teſtimonium eſſe verum, atque ab omnibus ſuſcipi oportere dicimus.* Et cap. 2. fol. 316. ibid; dicit: *Eccleſiæ officium eſt, vt veras, germanas, ac genuinas Scripturas, à falſis, ſuppoſititijs, ac adulterinis dijudicet ac diſcernat.* Rurſus cap. 5, fol. 322. Traditiones Eccleſiaſticas recipit dicendo: *Non nego, traditionem Eccleſiaſticam eſſe argumẽtum, quo conuinci poſſit qui libri Canonici ſint, qui Canonici non ſint.* Præterea cap. 6. fol. 323. *Habet* (inquit) *Eccleſia, Spiritum Dei, quo edocta vocem Sponſi ſui audit, & eius doctrinam agnoſcit.* Iterum cap. 7. fol. 324. dicit: *Eccleſiæ quidem auctoritate cogi poſſumus, vt Canonicam Scripturã agnoſcamus.* Cap. 9. fol. 326. *Nos fatemur* (ait) *cum Irenæo, Eccleſiæ auctoritatem eſſe firmam, ac compendiariam doctrinæ Canonicæ demonſtrationem à poſteriori.* Tandem lib. 1. de Scriptura cap. 1. ſect. 9. fol. 19. inquit: *Eccleſiæ teſtimonium de Scripturis ſuſcipi debet, quia verum eſt: quique non ſuſcipit, reus ſacrilegij eſt.*

33 Fieldus initio Epiſtolæ, quæ ſcribendi libri de Eccleſia rationem reddit, & Antiſtiti Cantuarienſi dicauit, ait: *Cùm funeſtas Chriſtiani Orbis diſcordias, & infinitas prope de Religione diſſidentium, & neſcientium quid certi ſtatuant, aut cui parti adhæreant diſſentiones perpendo, &c.; in illam planè ſententiam impellor, vt nullam Theologiæ partem magis neceſſariã exiſtimem, quàm illam, quæ de vera Eccleſia dignoſcenda tractat. Quum .n. tot ac tam inexplicabiles ſint hoc tempore de Religione Controuerſiæ, vt pauci tempus, pauciores ſcientiam habeant, illas omnes penitius examinandi, quid aliud veritatis ſtudioſis ſupereſt, quàm ſedulo, & ſedulo indagare, quæ nam ſit illa in terris Sanctorum hominũ Societas, illa Sponſa Chriſti, illa Dei viuentis Eccleſia, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis, vt illa ſemel inuenta, communionem eius amplectamur, conſilium ſequamur, eius denique iudicio acquieſcamus.* In dubijs ergo Fidei vel Scripturæ locis, internoſcenda eſt Eccleſia, & ab ea demum Scripturarum interprætationem, & Veritatis inſtitutionem accipere.

34 Couuellus in Defenſione. &c. lib. 5. art. 4. pag. 31. hac in parte ſententiam Catholicorum defendi poſſe ait: *Proculdubio probabilis* (inquit) *eſt opinio illa Romanentium ſi vltra non procedant* (*quod de aliquibus eorũ auſim affirmare*) *qua dicunt Scripturas in ſe quidem Sanctas, & diuinas eſſe, vt tales autem à nobis cognoſci per Eccleſiæ auctoritatem, &c.* Et ibidem, ſuos redarguens qui dicunt Scripturam eſſe omnibus obuiam, ait: *Non eſt Verbum Dei quod perſuadet, aut nos certos reddere poteſt, quòd rectè facimus, exiſtimantes illud eſſe Verbum Dei. Primum motiuum externum quo ducuntur homines tanti facere Scripturas, eſt auctoritas Eccleſiæ Dei quæ facit, vt Marci Euangelium recipiamus, qui non fuit Apoſtolus, & Thomæ Euangelium reſpuamus, qui tamen Apoſtolus fuit &c.*

35 Hookerus redarguit ſuos Symmiſtas qui dicunt non opus eſſe interpretatione Eccleſiæ pro hauriendo Scripturæ ſenſu, ſed Scripturam per Scripturam explicari, Libro 3. de Eccleſiaſtica Politia pag. 146. ait: *Omnes ſcimus primum motiuum externum quo ducuntur homines Scripturas Sanctas extimare eſſe auctoritatem Eccleſiæ Dei.* Et lib. 2. ſect. 4. pag. 102. fine, ait: *Inter ea omnia, quæ cognitu neceſſaria ſunt illud eſt, qui nam libri ſint Canonici, quod quidem ex Scripturis habere impoſſibile eſt.* Idque probat ibidem lib. 1. ſect. 15. pag. 86. ante medium, dicendo: *Si vnus aliquis librorum Canonicorum cæteris teſtimonium perhiberet, ille tamen qui cæteris teſtimonium daret, alium requireret qui*

ipſi

ipsi fidem faceret, & sic in infinitum, quo vsque præter Scripturas aliquid aliud inueniremus, quod nos certos redderet &c. Quare, lib. 3. sect. 8. pag. 146. fine, inquit: *Ipsius Ecclesiæ auctoritate tãquam motiuo externo Scripturas Sanctas dignosci, nemo est qui nesciat.*

36 Auctor lib. de Auctoritate Eccle. & scripturæ, (laudatus à Bullingero in Præfat. eiusdem libri,) cap. 15. pag. 72. inquit: *Non possemus Euãgelio credere, nisi Ecclesia nos doceret, & testificaretur hanc doctrinam ab Apostolis fuisse traditam.* Hoc idem fatetur Kemnitius in exam. Concil. par. 1. pag. 96. *A.* & *B.* Zanchius de Sac. Scrip. pag. 61. post medium, & pag. 265. & 281. Lubertus de Principijs Christian. dogmatum lib. 1. cap. 4. pag. 18. Petrus Martyr in Locis cõmun. Anglicè par. 1. pag. 842. B. & alij.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

37 ARguunt primò Caluinus, & Vuitakerus controu. prima de Sac. Scrip. Si Pontifex, vel Concilium iudicant de Scripturis, sequitur Pontificem, seu Concilium esse supra Scripturam; Et si Scripturæ sensus sine Pontifice, seu Concilio non est authenticus, sequitur verbum Dei accipere robur, & firmitatem, à verbo hominum.

38 Respondetur, negando sequelam; etenim, scriptura in actu primo sic cõdita est à Deo, vt legitima eius interpretatio per Pastores fieret; nec indè sequitur, Pontificem esse supra Scripturam eo modo quo intendit Aduersarius, sicut nec ipse Vuitakerus, vel alius Pedotriba Protestãs est supra Scripturam, dum falsò mynisterium interpretationis sibi arrogant. Non sequitur secundum; Nam Scriptura quoad se, & in actu primo in se continet veritatem, quam nos non possumus consequi in actu secundo, nisi exponatur per legitimos Pastores, cùm, vt diximus, in se, & in actu primo Scriptura sic condita sit à Deo; quæ institutio, nullo modo ab homine est; sed à Deo Scripturarum auctore. Et quia nescimus sub quo sensu sit reuelata; quoad nos, & in actu secundo authẽtica interpretatio desideratur: quæ interpretatio vt sit authentica, firmitatem quoad nos recipit ab homine, non quidem vt simplex homo, sed vt Pontifex à Deo constitutus pro tali interpretatione, cui dictum est in persona Petri, *Tibi dabo Claues* vtique scientiæ, & intelligentiæ; sensus verò, quia à Spiritu Sancto intentus est: ideò firmus est, quia à Deo est; estò innotescat nobis, per Ecclesiam &c.

39 Arguit secundo. Idem Vuhitakerus, si Papa esset summus Iudex Cõtrouersiarum, & interpres Scripturarum, quæuis definitio Papæ esset tàm authentica, quàm Scriptura: sed consequens est falsum, quia absurdum, & indignum est dicere, omnes Pontificum definitiones habere æqualem auctoritatem cum Scriptura: ergo.

40 Respondetur, quòd hæc duo, ex modo, se habent sicut excedens, & eccessum. Rursus, differũt ex modo, quia definitio, & interpretatio, non nisi mediatè est à Spiritu Sancto, Scripturæ verò immediatè. Nisi velimus dicere, quòd Ecclesiæ definitio, extensiuè maior est, quia hæc, Scripturam & alia dogmata proponit, quòd Scriptura haud præstare potest. Si verò loquamur quantùm ad substantiam, vtraque infallibilis est. Vndè *D.* Thom. opusc. cont. errores Græcorum cap. 32. docet, quòd non potest dici, expositionem Concilij Nicæni præferendam esse litteris Sacris.

41 *Arguit* idem tertiò. Nullus homo etiam sufficiens, Iudex Controuersiarum, aut Scripturæ inter-

Digitized by Google

pres est: ergo neque Papa. Nam nullus homo debet auctoritate sua cõtrouersias dirimere, sed aliena, scilicet, Dei & Scripturarum.

42 Respõdetur, distinguendo antecedens. Nullus homo, vt homo est, concedo; Nullus homo Spiritu Dei actus, & inspiratus, ac ad id muneris deputatus diuina auctoritate, nego antecedens. Papa autem vt Papa est, auctoritate diuina, Scripturam proponit, & interpretatur, quippeui collatæ sunt intelligentiæ, & scientiæ claues.

43 Arguit quartò, idem Vuitakerus. Vincentius Lyrinensis, non meminit Romani Pontificis cùm de recta Scripturæ interpretatione disputaret, & hinc colligi præclarum hũc Scripturæ interpretem Vincentio fuisse ignotum.

44 Respondetur, quòd Aduersarius quicquid in buccam venit, contra nos adducit in aciem; & nimia contradicendi libidine excœcatus, nesciens quid dicat, mendaciorum plaustra eructat, dùm Lyrinensis decreta Celestini, & Sixti Romanorum Pontificum contra Hæreticos facta, cap. vltimo sui Commonitorij, honorificentissimè commemoret, & illorum doctrinam aduersus hæreticã pertinaciam alleget, vti legenti locũ citatum, perspectum esse poterit.

45 Arguit quintò. Hunnius Lutheranus. Si quædam Papa interdũ ignoret, non potest esse Iudex Controuersiarum fidei: At Papa ignorat multa, & interdum (atteſtantibus ipsis Pontificis) parum scit: ergo nõ potest esse Iudex &c.

46 Respondetur inquirendo ab Aduersario, quam nam sapientiam habebant Apostoli Piscatores, & idiotæ, qui euntes per mũdum vniuersum, veræ fidei doctrinam disseminarunt? Dicet, loquebantur sapientiam ex alto, & diuina virtute. Recte quidem. At, cum etiam fides nostra fundetur non in sapientia hominum, sed in virtute Dei, etiam si, secundùm se considerati, sapientia essent destituti Pontifices, sapientes tamen sunt tùm ex assistentia Spiritus Sancti, qui sugerit ei omnia quæ sũt pro bono Ecclesiæ regimine necessaria, iuxta Christi promissum; tùm ex Collateralium Doctorum Consilio, quorum doctrina in dogmatibus examinandis, & definiendis vtuntur, & sapientium consilijs roborantur, iuxta id quòd scriptum est Prouerb. 20. *Cogitationes consilijs roborabuntur*. Præterea, vt dixi, directione Sapientissimi Dei diriguntur, ita vt data hypotesi, quo minus habent de sapientia humana, eo magis diuina instructione ducuntur, vt fides ostendatur fundata in virtute omnipotentis Dei, non in sapientia hominum.

47 Atque hæc breuiter de hac materia pro nunc, dicta sufficiant; alia multa sunt expensa, cùm suprà tractaremus ex professo de Controuersiarum fidei Iudice, & etiam infra, cùm de auctoritate Papæ supra Cõcilium in sequenti Tractatu Deo fauente. Supereſt, vt ad amarissimos fructus prauarum expositionũ (priuati spiritus) degustandos, declinemus. Idque in sequẽti Instruct. præstabimus.

IN-

Digitized by Google

INSTRVCTIO IV.

De Verbo Dei Scripto A Proteſtantibus per priuati Spiritus expoſitionem deprauato.

AD Prauarum expoſitionum lolia, à priuato Proteſtantium Spiritu infertiliſſimo Sacræ Scripturæ campo diſſeminata eradicanda deuenimus. Deus bone, quàm largam deprauationum ſegetem! Scriptum Verbum lacerant, peruerſis explicationibus, additionibus, mutationibus, ſubtractionibus, inuerſionibus Verborum, quid plura? Euerſæ Scripturæ iacent, & ſenſu, & litera; & qui ſoli Scripturam habere iactant, ſoli non habent, cùm ſint à Priuato Spiritu, Scriptura priuati. Quis ignorat? Clamarunt ſepius Proteſtantes, Scripturam eſſe vnicam Regulam (nos dicimus inadequatam) ac fundamentum fidei: Fidem Scriptura ſola niti. Quid tũ? vtinam ſuas gloſſas, ſuaſque conſequentias quæ in Scriptura non continentur, miſſas facerent; ijſque ſe adiungerent, qui expreſſum Dei Verbum contra hominum Verba, iuxta Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ interpretationem, recipiunt; At non ſic. Quiſque eorum Verbum Dei ſuis fouendis erroribus deprauat, ſurſum deorſum inuertit eo conſilio, ne per manifeſtum Scripturæ ſenſum apertè damnati videantur. Cæterum, tempus eſt vt mortifera deprauationum toxica ex eorum ſcrinio depromamus; vt poſſit Catholicus, prepotenti interpretationis Eccleſiæ Pharmaco premuniri. & Aduerſariorum effugia, quando opus erit, Catholica veritate præcludere. Vtilitas quę ex hac Inſtr. Catholcis accedit.

LECTIO I.

De Verbo Dei Scripto per additionem, detractionem, inuerſionem, & mutationem Verborum, à Proteſtantibus deprauato, & lacerato.

1 MAxima vtilitas, ex his quę in hac lectione, & ſequentibus recenſemus, emergit; dũ ibi, aut omnia, aut certè præcipua, & Hęreticis maximè vſitata effugiorum genera, quibus ſacrilego auſu Scripturæ teſtimonia ſibi aduerſantia deprauare, aut eludere ſolent, detegũtur. Quod ſanè, non minus vtile eſt; quàm hoſtium, quibuſcum bellum gerendum eſt; ſtratagemmata, & dolos detexiſſe. *Et væ* (ait Tertull. lib. de reſurrec. cap. 19.) *qui nõ, dum in hac carne eſt, cognouit arcana hæretica.* Indeque euincemus, hæreticos, quas nuper pro Scriptura inclamantes audiuimus, iniquo iure, multis deprauationibus, in titulo recenſitis, eam horribilitèr dilaniare.

2 Deprauant Primò. Verbũ Dei Scriptum addendo; etenim, ex illo Roman. 11. verſu 23. *Concluſit enim Deus omnia in incredulitatem, vt omnium miſereatur*, probant Romano Catholici, Deum velle miſereri omnium. Ne videatur Apoſtolus loqui de omnibus hominibus, ſed tantum de omnibus electis, de quibus ſolumodo, Deus miſeretur in ſententia Proteſtantium; Beza, bis addit textui pronomen (*illos*) dicendo ſic: *Concluſit enim Deus omnes illos in contumacia, vt omnium illorum miſereretur.* Deprauant textum per additionem.

3 Ex illo Roman. 2. ver. 27. *Et iudicabit id quod ex natura eſt præputium legem conſummans, te, qui per literam ac circumciſionem prauaricator legis es*; probant Romanocatholici,

Digitized by Google

aliquos de facto legem seruare. Beza, ibi addit particulam *(si,)* sic dicendo: *Si legem consumans:* atque ita, ex dicto absoluto, facit conditionatum. Secuuntur eum Genenenses in Biblijs Gallicis, impressis anno 1562. 1568. 1605. 1610.

4 Ex illo ad Philemonem, *sine consilio autem tuo nihil volui facere, vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium*, probant Romano-catholici, bona opera meritoria, esse voluntaria, & libera. Geneuani in Biblijs Gallicis impressis 1605. 1610, vt omnem voluntarietatem, & libertatem eliminent, addũt particulam *(comme)* ideſt *quasi*, itaut sensus Apostoli sit, *sed quasi voluntarium.*

Deprauatio per detractionem.

5 Deprauant secundò Detrahendo. Ex illo ad Titum cap. 3. *secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, Romano-catholici probant, Baptismũ concurrere ad salutem nostram efficiendam. Geneuenses in Biblijs, vt supra, detrahunt illa verba, *saluos nos fecit*, & in versu precedente reponunt, ne tàm euidenter videãtur ipsis aduersari.

6 Ex illo 2. Petri 1. v. 10. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*, probant Romano-catholici, bona opera esse necessaria ad salutem. Luther. bonorum operum hostis, in suis Biblijs Germanicis, & in commentar. eiusd. epist. tom. 5. fol. 487. detrahit, & expungit illa verba, *per bona opera*, illum sequuntur Protestantes Angli in suis Biblijs Regijs, Beza, & Tremellius; Caluinus tamen in hunc locum, illa verba approbat dicendo: *Nonnulli Codices habẽt, bonis operibus.* Sed hoc de sensu nihil mutat, quia subaudiendum est, etiam si non exprimatur. Scioppius etiam in suo Eccleſiastico cap. 12. Lutherum accusat, quòd in suis Biblijs, omiserit illa verba Matt. 11. *Quod si non dimiseritis, nec Pater meus qui in Cælo est, dimittet vobis peccata vestra*; quæ docent, opera nostra bona necessaria, esse ad remissionem peccatorum.

Deprauant per inuersionem textus.

7 Deprauant tertiò inuertendo verba Scripturæ. Ex illo ad Hebr. 2. v. 9. *Eum autem, qui modicò quàm Angeli, minoratus est, videmus Iesum propter Passionem mortis gloria, & honore coronatum*, probant Romano-catholici, Christum fuisse gloria coronatum, quia passus est mortem. Beza ibidem, sic verba inuertit: *Sed Iesum illum videmus gloria, & honore coronatum, qui parumper fuit inferior Angelis factus propter mortis perpessionẽ:* Vt videatur Apostolus non dicere, quare Christus sit gloria coronatus, sed quare sit Angelis minoratus. Tamen Beza ibidem sibi contradicit suumque errorem corrigit, dicẽdo: *Ne quis miretur mutatam esse à me verborum collationem.* Certè, non mirabitur imperitus de Plebe, quam decipis.

Deprauant mutando verba textus.

8 Deprauant quartò, mutando verba scripturæ. Ex illo Matt. 10. v. 2. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus*, probant Romano-catholici, Petri Primatum. Beza, vt Petri primatum impetat ibidem expungit, ly *Primus*, dicendo: *Quid si vocabulum hoc primus ab aliquo additum est, qui Petri primatum vellet stabilire.* Nihilominus in eadem pagina sibi contradicens, seque ipsum destruens, subdit: *Reperimus ita scriptum in omnibus exemplaribus.* Ergo contra fidẽ omnium exemplarium, dubitationẽ inijcit de vocabulo, *primus*, quod fauet primatui Sancti Petri.

Beza sibi contradicit.

9 Ex illo Iacobi 5. ver. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra*, probant Romano-catholici, omnia peccata esse confitenda hominibus ad id muneris initiatis. Geneuenses in Biblijs anno 1605. 1610; edit; ita vertunt, & mutant: *Confessez vos fautes l'vn Enuers l'autre*; ac si Apostolus

lus iuberet, solum confiteri peccata, quæ in inuicem facimus.

10 Ex illo ad Philipp. 2. ver. 12. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini*, Romano-catholici probant, nos esse causas salutis nostræ. Geneuenses in Bibl. 1605. & 1610. mutant, & vertunt: *Employez vous*, ideſt *adhibete studium*, vt Scriptura videatur indicare solum conatum nostrum, operandi salutem; nō operationem nostræ salutis.

11 Ex illo verbo, *est*, in verbis institutionis Euchariſtiæ *Hoc est enim Corpus meum, Hic est enim &c.* Probāt Romano-catholici, Euchariſtiam esse Corpus, & Sanguinem Chriſti verè & realitèr. Tigurini in suis Biblijs, mutant ly, *est*, in *significat*, vti se vidisse testatur Schusselburgius Lutheranus lib. 2. Theolog. Caluinist. cap. 6. fol. 44. Imò Zuuinglius lib. de vera, & falsa Relig. cap. de Euchariſt. tom. 2. fol. 210. temerè ita scripsit, mentiendo: *Sic ergo habet Lucas, quo ex Euangelistis cōtenti erimus: Hoc significat Corpus meum, quod pro vobis datur*. O virum ad mentiendū inclytum! Certè delirat Diabolus istæ, cùm hoc, nunquam in Luca reperiatur. At vt video victus ipsæ erit, si ly, *est*, substantiuè pro *esse* verè accipiatur, hoc ipsæ idem fatetur Zuuingl. dùm lib. de Cæna tom. 2. fol. 274. ita scribit: *Si, est, substantiuè ponitur, omninò fatendum erit veram veræ Carnis Christi substantiam in Cæna præsentem esse*. Et Respons. ad Billicanum fol. 261. ait: *Si, est, substantiuè accipias, iam vicerūt Pontificij*. O Diabolicam excusationem, pro corrumpendis Scripturis! Et certè, nullus ambigit, quod si violādus est textus, hæresim tuendi gratia violādus est. At me patiētèr audi Zuuingl. te tibi oppono. Non ne tu ipsæ dixisti in explanat. art. 18. *Quid clariùs dici potest, quàm; Hoc est Corpus meum?* Si clara sunt verba, quorsum ergo ly, *est*, quòd substantiam significat, (est enim verbum substantiuum) pro *significare*, accipis? Sic etiam, posset alius hæreticus explicare ly *sum*, quando in Scripturis loquitur Deus *ego sum qui sum*, non pro esse, & substantia, sed pro significare, explicando sic: ego significo qui significo. Quid ad hæc? Altum silentium. Iure ergo dixit Protestans ille Schusselburg. lib. 2. Theol. Caluin. cap. 6. cit. fol. 43. *Hæc deprauatio verborum Filij Dei, vel sola, omnes à Caluinistarū consortio, & impietate deterrere debebat.* Hic auctor Papista non est, hæc tamen suis Protestantibus prædicat de Caluinismo.

Zuuinglius sibi contrarius.

Iterum sibi contrarius.

12 Ex illis verbis Apostoli *Benedictionis*, & *Benedicimus* 1. Corinth. 10. *Calix benedictionis cui benedicimus*, probāt Romano-catholici, potum in Calice consecrari. Mutat illa Zuuingl. de Cœna tom. 2. fol. 294. & ait: *Benedictionis, & benedicendi vocabulis hoc loco vti non debebant.* Quare hoc Zuuingli? Respondit. *Ferè enim pro consecrandi verbo hæc accipi consueuerunt.* Et rursus, in primam Corinth. 5. tom. 4. fol. 470. sic mutat, & inquit: *Verba ergo sic habent: Poculum gratiarū actionis, quo gratias agimus, non ne communio Sanguinis Christi est?* De hac sacrilega corruptione Verbi Dei scripti, audiant, non Augustinū, non Hieronymum, non Thomam Aquinatem, vel alium quempiam ex Romano-catholicis Doctoribus, quorum testimonia suspecta habent Protestantes, sed Protestātem Flaccum Illyricum, qui in hunc locum socios suos, ità fœdè verba Scripturæ mutantes sacrilegij reos facit. *Aliqui (ait) hunc textum corrumpunt vertentes: Poculum gratiarum actionis, quo gratias agimus, & sic corrupto textu, in suis liturgijs abutuntur, pro verbis institutionis, aut Sacræ Cœnæ, sacrilegium duplicantes.* Præterea, etiam Caluinus textum illum Matt. 25. ver. 26. vertit *benedixit* per, *gratias egit*, & tamen ibidem Zuuinglio, sibique con-

Digitized by Google

contrarius, dicit hæc Verba: *Marcus, & Matthæus Benedicendi Verbo vtuntur.* Quare non tu?

13 Ex illo *Actor.* 2. v. 27. *Quoniã non derelinques Animam meam in inferno*, Romanocath. probant, animam Christi descendisse ad Inferos. Beza, mutat in sua versione. 1557. *Quoniam non derelinques Cadauer meum in sepulcro*; vt negaret descensum Animæ Christi ad Inferos, scilicet ad Limbum. Et ad defension. Castell. fol. 460. sic scribit: *Animam meam, in textu sum interpretatus, Cadauer meum, in Adnotatione verò, vitam meam*: Sed *possumus Animã meam loco pronominis, Me, accipere. Quæ explicatio* (ait ipse) *simplicissima est*. Postea, huius execrandæ expositionis causam reddit, dicendo ibidẽ: *Quod autem adnotaui, ex veteri versione* (s. Animam meam) *natum esse errorem, non temerè feci; cum hunc præcipuè locum à Papistis torqueri ad suum Limbum constituendum videamus, & Veteres etiam inde descensum illũ Animæ Christi ad Inferos excogitarint*. Ac si diceret Impius, se, ideo mutasse linguam Spiritus Sancti, quia ipsi aduersabatur.

14 Ex illo Acto 2. v. 31. *Prouidẽs locutus est de resurrectione Christi, quia neq; derelictus est in inferno*, probant etiam Romanocatholici, Christi descensum ad Inferos. Geneuenses, vt id negent, in suis *Biblijs* ann. 1562. 1567. 1568. 1605; sicut, & Tremellius in sua versione latina, recognita à Iunio, & impressa Hannoniæ; *in Inferno*, mutãt, in *Sepulcro*.

15 Ex illo Psalm. 5. ver. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es*, Romanocathol. probant, Deum omninò non velle iniquitatem. Geneuenses, vt suum tueantur errorẽ, quòd Deus velit iniquitatem propter finem aliquem, licet eam non amet; nec ea delectetur, in suis Biblijs an. 1568. pro *non volens iniquitatem*, habent, *non amas iniquitatem*: & anno 1588. & 1610. vertunt: *Non delectaris iniquitate*. Idem faciunt Piscator apud Vorstium in Parasceuæ cap. 3. Idẽque Tremellius, & Iunius in sua prædicta versione.

16 Ex illo Ezechiel. cap. 33. ver. 11. *Viuo ego, Dicit Dominus: Nolo mortem Impij, sed vt conuertatur à via sua, & viuat*, Romanocathol. probant, quòd Deus omninò nolit mortem impij. Musculus in loc. tit. de Verit. Dei, fol. 452; sicut, & Tremellius in hunc loc. Piscator in thesib. lib. 2. fol. 187. vt oſtẽdant Deũ velle mortem Impij, licet ea non delectetur, ly *nolo mortem Impij* mutant, & vertunt, *non delector morte Impij*.

17 Ex illo 2. Tessalon. 2. ver. 15. *Tenete Traditiones quas didicistis, siue per epistolam nostram*, Romanocatholici probant, Traditiones non scriptas, non secus ac Scriptas tenendas esse. Protestantes, cùm hac auctoritate cogantur Traditiones Sac. & ipsi retinere, vt elabantur, vertunt ly, *siue*, quæ est particula disijunctiua, in coniunctiuam, *Tum*, hoc modo: *Retinete Traditiones, quas edocti estis Tum per sermonem, Tum per epistolam nostram*: Ita Beza in sua versione 1598. (quam semper intelligo nisi aliud explicem) quem sequitur Auctor Responsion. ad Theses Vadimontanas fol. 647. & alij. Rursus Tremellius ibid. pro *Traditiones*, habent, *enseignements*, ideſt, *Instructiones*.

18 Ex illo ad Hæbre. 4. ver. 14. *Habentes ergo Pontificem magnum qui penetrauit Cælos, Iesum*, &c. Romanocathol. probant, Christum Cœlos penetrasse. Caluinus id negans, ibid. pro, *penetrauit*, habet, *ingressus est*. Beza *Transiuit*; Tremellius, *Ascẽdit in Cælum*.

19 Atque hæc pauca, ex innumeris sunt, quæ Hæretici, suis fouendis erroribus, Sacræ Scripturæ loca impijs expositionibus, Addẽdo, Detrahendo, inuertendo, & mutãdo lacerarunt.

Le-

Digitized by Google

LECTIO II.

De Verbo Dei scripto, per disparata, & opposita ab Hæreticis ridiculè interpretato, & flagellato.

1 TOtius edificij fidei, nullũ aliud præstruitur ab Hæreticis fundamentum, nisi Verbum Dei scriptum. Clamant vbique, & ad rauim vsque, se nulli credere nisi verbo Dei; hunc sibi magistrum, hãc esse fidei regulam vnam: Et, vt in hac lectione videbimus, ecce ipsum verbum, quantum quantum est, ne ab Ecclesia Canonicè, vt à vera nutrice nudum integrumque sumant, ab hostium fide, ab hominum traditione, & traductione personatum, ac falsò per opposita, & disparata expositum, membris hinc indè concisis, & detractis, petunt, & accipiũt. Adeoque ridiculas, per disparata, & opposita, Sac. Scripturis interpretationes adhibent, vt ludendi, & illudendi locum Luthero fecerint; Is, suorum conreligionistarum Protestantium demiratus ineptiam in exponendis scripturis per disparata, & opposita, hanc sequentem expositionem, locosè confingit in Defens. verborum Cœnæ tom. 7. fol. 384. *Profectò, rem magnam, & seriam agũt (Sacramentarij) sed idem fit ac si cùm antè negassem, quòd Deus Cœlum, & terram creauit, & mihi quispiam sese opponens illud Moysis proferret: In principio creauit Deus Cœlum, & Terram, ego verba Moysis sic exponerem Deus, ideſt, Cuculus; creauit, ideſt, deuorauit; Cœlum, & Terram, ideſt carrucam totam, & integram. Nunquid non artis hoc esse videatur? Sanè quidem histrionibus non indigna nec ingrata.* Videamus amabò si sint huic explicationi similes, quas reliqui Sac. Scripturæ adhibent Protestantes. Ex innumeris pauca exempla recensco, in quibus patet, quòd verbum Dei scriptum ridiculè, per disparata, exponũt Protestantes.

2 Ac primò, in materia de Sacramento Baptismi scripturas per disparata exponũt. Nam *Baptismus*, exponunt, *Fides*. Ita Zuuinglius tom. 1. fol. 204. epist. ad Lindouerum, dũ ait: *Vides hic primæ Petri 3. Saluos nos fecit Baptisma primum Baptismum pro Fide accipi?* Item; *Baptizati*, exponit, *Docti*; Idem Zuuinglius lib. de Religione cap. de *Baptismo* tom. 2. fol. 201. dicendo: *Constabat enim illi, quòd per Apollum essent baptizati, hoc est, Docti.* Rursùs idem, *Baptismus*, exponit, *fides interna* lib. de Baptismo fol. 61. dum ait: *Baptismum pro fide interna accipi diximus 1. Petri 3.* Et ibid. fol. 68. Baptismus exponit, *doctrina*, dum ait: *Notandum est baptizandi Verbum in hisce Pauli verbis Actorum 16. pro doctrina accipi.* Et rursùs ibidem, in subsidio fol. 254. *Baptismus*, exponit, *Christus*, per hæc verba: *Baptismus 1. Petri 3. pro Christo accipitur, cum dicit, Baptismo nos saluari.* Iterum per *aquã*, exponit *Christi cognitionem*, dum tom. 3. lib. de Baptismo fol. 73. inquit: *Non semel à nobis didicerant, per aquam hoc loco, Ioan. 3. Christi cognitionem, & fidei solatium intelligi debere.* Protestantes, has dementatas expositiones perpendite, & an sint ridiculæ, iudicate.

Falsa interpretatio de Sac. Baptismi.

3 Secundò. In materia de vera, & reali præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, sic Scripturas per disparata, exponunt: *Corpus meum*, exponunt, *Ecclesia*, vel *mors:* Ita Zuuinglius apud Schusselburgium lib. 1. Theolog. Caluinist. art. 22. fol. 101. dum inquit: *Corpus in verbis Cœnæ etiam pro Ecclesia exponi potest.* Et in cap. 6. Ioann. tom. 4. ait: *ex quo, & Christi verba clarescunt: Hoc est Corpus meum; vbi, Corpus, pro morte ponitur.* Præterea, *Sanguinem Domini*, exponunt, *nos ipsi*; vel *fideles*; Ita idẽ Zuuinglius Respons. ad Pomeran. fol. 258, & in 1. Corinth. 10, dicit,

Falsa interpretatio verborum Eucharistiæ.

Digitized by Google

dicit, quòd horum Verborum, *Calix benedictionis cui benedicimus &c.* sensus sit: *Poculum gratiarum actionis quo nos gratias agimus, quid quaeso aliud est quam nos ipsi?* Rursus ibidem ait: *Sanguinem Christi vocat (Apostolus) eos, qui sanguini eius fidunt.* Deinde, *Caro Christi*, exponunt, *Diuina natura*, Ita idem Zuuinglius in exeges. fol. 350; per hæc Verba: *Caro hoc loco (Ioann. 6.) pro Diuina ponitur Natura.* Et tom. 1. in explicat. art. 18. fol. 37. *Corpus, & Sanguis Christi*, exponunt, *Verbum Fidei*, dum inquit: *Vides hic (Ioan. 6.) Corpus, & Sanguinem Christi nil aliud esse, quàm Verbum Fidei.* Et tom. 4. in cap. 6. Ioann. *edere*, exponit, *credere*, dicendo: *Panẽ, & carnem edere, nihil est quã credere.*

4 Tertiò. In materia de Christi descensu ad Inferos sequẽtes expositiones per disparata comminiscuntur. Per *Animam*, exponunt *corpus mortuum, seu Cadauer*; Per *Descendit*, exponunt, *Passus est*; Et per *Infernũ*, exponunt, *Sepulchrum, mortem*, vel *dolores Infernales* &c. Beza in defens. cont. Castell. volum. 1. Theolog. fol. 460; ait: *Animam meam in contextu sum interpretatus, cadauer meum.* & fol. sequen. *Eandem sententiam sẽper retineo.* Et in Actor. 2. ver. 27. edit anno 1565; dicit: *In priori nostra editione rectè interpretatus eram, non derelinques Cadauer meum in Sepulchro.* Serranus cont. Hayum par. 3. fol. 520. multis contendit, quòd per *Animam* Actor. 2. v. 27. *non intelligitur Anima, sed mortuus homo, siue cadauer*, & subdit, *Nemini obscurum esse posse, animam carnis nomine ab eo explicari*: Ita quòd, per *Animam*, non intelligatur *Anima*, sed *cadauer*; & è contrà; per *carnem*, non *caro*, sed *Anima*. Præterea per *Descendit*, exponunt, *mortuus est*; Ita Petrus Martyr in loc. classe. 2. fol. 428; per hæc Verba: *Descendit ad Inferos nihil aliud indicat, nisi quod eundem subijt statum quem reliquæ Animæ à corpore seiunctæ experiuntur.* Item, *Descendere ad Inferos*, exponunt, *Sepulchro condi*. Beza, Priore editione Actor. 2. ver. 27. *Descendere (ait) ad Inferos, propriè quidem significat Sepulchro condi*. Sic similiter Vuitakerus lib. 8. cont. Duræum sec. 7. inquit: *Quod Propheta* ait: *Non derelinques Animam meam in Inferno, perinde est, ac si diceret. Tu me in Sepulchro iacentem non deseres.* Perckinsus in serie causarum cap. 18. dicit: *Descensus ad Inferos ideſt dominium mortis ignominiosum in eum tam sepultum.* Hæc, & alia infinita propemodum, huiuscemodi risu digna effutiunt deliria in hac mareria.

5 Quartò. In materia de Fide, sic per disparata Scripturas exponunt: *Fides*, exponunt *Electio*; Ita Zuuinglius in Elencho fol. 34; dum dicit, quòd quando fides dicitur saluare, *accipitur Fides pro Dei electione*. Item *Credere* exponit, *Audire*, ita lib. de Baptismo tom. 2. fol. 61; dum ait: *Actorum 8. Credendi Verbum, pro eo quòd est doctrinã audire &c. significat.* Deprauant text. in mat. de Fide.

6 Quintò. In Materia de Clauibus adhuc per disparata Script. exponũt, *Claues* exponunt, *Verbum Dei* Ita Zuuiugli. tom. 2. fol. 92. in explicat. art. 50. sic: *Claues (ait) nil aliud sunt, quàm purum Verbum Dei, & Euãgelij prædicatio sincera*. Et tom. 2. in Exegesi fol. 358. *Claues (inquit) nil aliud, quã Euãgelij fides*, Et ibid. ad lib. Lutheri fol. 378. *Claues non aliud quàm Euangelij prædicationem esse constat.* Item, *Soluere, & ligarare*, exponit, *Prædicare*, Ita tom. 1. fol. 93. in explicat. art. 50. dum ait. *Discimus apud Lucam: soluere, & ligare nihil aliud esse, quàm prædicare Euangeliũ.* Item tom. 2. lib. de Religion. cap. de Clauibus fol. 191. dicit: *Apparet hic, ligare, nihil aliud esse, quàm errori relinquere*. Deprauant text. de Clauibus.

7 Has dementatas Scripturæ expositiones per disparata, ex vno Zuinglio, & ex paucis admodũ alijs. collegimus. Quid si alios recenseremus? Atque hiſce bellis belluiniſq; expo-

expositionibus, isti Ecclesiæ Deformatores, Sacrũ Dei Verbum scriptum lacerarunt, atque imperitis populis propinarunt.

10 Quantum ad secundum punctum, scil. quòd quandoque Protestantes Scripturas suis fouendis erroribus subseruientia deprauant, eas per oppositа explicando; ac mirabilitèr ad sensum oppositum sensui à Spiritu Sancto Scripturis indito, detorquendo; Patet.

Protestantes suis fouendis erroribus Scripturas deprauant.

11 Primò, in materia de Baptismo sic verba Scripturæ clara, & manifesta per oppositа explicant. Illud *Actor. 19. v. 3. In quo ergo baptizati estis?* Exponunt non de susceptione baptismi, sed aliorum donorum: Ita Beza ibid. dicendo: *Necesse est fateri hic non agi de Baptismo, sed de donis quibus illos peculiaritèr solebat Deus ornare, qui gubernaculis Ecclesiarum admouebantur.* Et Gualderus ibid. homil. 125. ait: *non de aque baptismo verba ista (& baptizati sunt) exponi debent, sed de ignis baptismo.* Illud 1. Petri 3. *Quod & nos nunc similis formæ saluos facit baptisma*, ly *baptisma* per ipsos non significat *baptismum*, sed Christum; ita Zuuinglius in respons. ad Hueberum tom. 2. fol. 105. *Certè constat (ait) Petrum eo loco per baptismum non quicquam aliud quàm Christum Iesum intelligere.* Illud Ioan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* ly *aqua*, non exponunt *aquam baptismi*, sed *Spiritum Sanctum* sic Caluin. ibid. *Nullo modo (ait), adducor, vt Christum de baptismo verba facere credam.* Et Zuuingl. ibid. dicit: *Per aquam, hic, non elementalem intelligit, sed verbum Dei, gratiam Dei, aquam Cœlestem, idest Spiritus Sancti illustrationem.*

12 Secundò, in materia de Eucharistia. Testimonium Ioan. 6. sepè repetitum, nempè *edere Carnem, & bibere Sanguinem*, exponunt, non de *edere*, sed de *credere*. Sic Lutherus postill. Dominic. post Natiuitatem conum. 363. *Carnem (ait) Sanguinemque eius edere, & bibere, aliud non est, quàm credere Christum hæc verè nostra causa assumpsisse, atque rursus in mortem impedisse.* An non hæc expositio Lutheræ est illi absimilis, quam initio lectionis huius ex te transcripsimus? Ita. Imo magis histryonica, cui se subscribunt Petrus Martyr cont. Gardinerum parte 1. Colum. 866. Zuuinglius tom. 4. in cap. 6. Ioann. & alibi; Bullingerus Decad. 5. serm. 9. Vrsinus in Catechismo q. 76. fol. 459. Et illud Ioan. etiam cap. 6. *Caro mea verè est cibus*, ly *Caro*, exponunt, non de Carne, sed de *Diuinitate*; ita Zuuingl. in Exegesi. tom. 2. fol. 353. *Dicit Carnem (inquit) suam verè esse cibum, non herclè carnem intelligens, sed potiorem naturam quæ carnem assumpserat.* Locũ 1. Corinth. 10. v. 16. *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* ly *Corpus Domini*, ab ipsis exponitur, non de Christi Corpore, sed de *hominibus*; sic Zuuinglius lib. cit. fol. 342. *Vidisses (ait) primo aspectu, quomodo communio ac corpus non pro distractione Corporis Christi accipitur, sed pro ipsis hominibus.*

13 Tertiò, in materia de fide sic Scripturas per oppositа explicant. Illud Iacobi 2. vbi asserit Apostolus hominem *non iustificari ex fide tantùm*, exponunt, non de fide, sed *vmbra tantùm, seù mortuo simulacro fidei.* Ita Caluinus, Beza sup. illud cap. Lutherus in postill. Dominic. 9. post Trinit. fol. 306. Bucerus in Matt. 8. Vuitakerus cont. Duræum sect. 13. & alij. Testimonium Lucæ 7. v. 13. *Ad tempus credunt*, ly *credunt*, iuxtà eorum expositionem, nõ est credere, *sed fallaci fidei simulatione non hominum oculis modò imponere, sed suis ipsorum animis*; sic Galuin. 2. Institut. cap. 2. §. 10. vbi, hanc fidem, dicit esse *nullius momenti, & indignam fidei appellatione.* Item locum Ioann. cap. 2. v. 23. *Multi crediderũt in nomine eius,*

sic per oppoſita interpretatur Caluin. ibid. *Præpoſtera erat eorum fides: non fuiſſe veram, ac legitimam eorum fidem conſtat.* Illud primæ Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem* &c. Lutherus in poſtilla Dominic. Quinquag. exponit de fide non Chriſtiana, dicendo, *Paulum non loqui de Fide Chriſtiana.* Teſtimonium Iacobi cap. 2. v. 22. *Fidem conſumari operibus*, ly *operibus*, per oppoſita exponunt de *non operibus*; Ita Zuuinglius lib. de vera, & falſa Religione cap. de orat. tom. 2. fol. 226. per hæc verba; *Atque ſic appellat opus, vt per contrarium ſenſum dicere velit: fide beabimini, nullo opere.* Belluina certè expoſitio.

14 Quartò, in materia de operibus, adhuc per oppoſita, ſcripturas exponunt. Illud *Timor Domini expellit peccatum. Eleemoſina purgat peccata, extinguit peccatum, per miſericordiã purgantur peccata*, exponunt non de expellere, extinguere, & purgare peccata iam commiſſa, ſed tantùm de *cauere* facienda; Ita Kemnitius in locis part. 2. tit. de Argumentis fol. 104. dicendo: *Non loquitur de propitiatione ſeù ſatisfactione pro peccato* (iam facto) *ſed loquitur quòd peccata vitentur, & caueantur.* Quid ſtolidiùs? Locum ad Philippen. 2. *Salutem veſtram operamini*, exponũt, quod non iubet efficere ſalutem, ſed tantùm ea facere, quæ decent ſaluãdos; Ita Zuuingl. ibi tom. 4. fol. 507. dum ait: *Neque enim Paulus in hoc loco bona operari præcipit, vt ex his ſalutem paremus, ſed vt ea faciamus, qua filios Dei, qui per fidem* (ſed non ſolam) *Salui facti ſunt, decent.* Illud 2. Corinth. 7. v. 10. *Triſtitia ſecundùm Deum pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*, ly *operatur*, explicant non de *cauſare*, ſed tantùm *præcedere ſalutem*, ſic Caluinus ibid. dicendo; *Neque enim inquirit de cauſa ſalutis, ſed tantùm pœnitentiam à fructu quem producit commendans, inſtar viæ eſſe dicit, qua ad ſalutem peruenimus.* Teſtimonium Iacobi 1. v. 22. *eſſe factores verbi*, exponunt, non de eſſe *factores verbi, ſeù operari*, ſed ex *animo verbũ amplecti*; ſic Caluinus ad eum locũ, dum ait: *Factor hic non eum ſignificat, qui legi Dei ſatisfacit, omnique ex parte eam implet, ſed qui ſermonem Dei ex animo amplectitur, itaque teſtatur ſeriò ſe credidiſſe.* Illud Lucæ 10. *Fac hoc & viues*, ly *fac*, iuxtà ipſos, non eſt *facere*, ſed *credere*, ita Lutherus ad Galat. 3. tom. 5. fol. 345. *Eſt* (ait) *iſta huius loci: Fac hoc & viues, ſententia. Tu viues propter hoc fidele facere, vel hoc facere dabit tibi vitam propter ſolam fidem. Hoc modo Iuſtificatio ſoli fidei tribuitur, vt creatio Diuinitati.* Et hæ explicationes conſonæ ſunt cũ illa qua per iocum Lutherus explicabat ſententiam Moyſis expones *cuculum*, pro *Deo, deuorauit*, pro, *creauit* &c. O dementiam!

15 Quintò, in materia de Peccatis, ſic per diſparata Scripturas exponunt. Illud prouerb. 16. v. 6. *Miſericordia, & veritate redimitur iniquitas*; ly *iniquitas*, exponunt, non de iniquitate, ſeù peccato, ſed de *pœna tẽporali*; Ita Kemnitius in loc. par. 2. tit. de argumentis fol. 98. per hæc verba: *Eſt miſericordia, expiatio non culpæ, ſed pœnæ temporalis.* Locum 1. Ioann. 1. *Tolli peccata*, non eſt tolli ſecundùm ipſos, ſed *non imputari*; ſic Caluin. ad eum loc. *Quamuis* (ait) *peccatum in nobis perpetuò hæreat* (mẽtiris iniquè) *tamen quo ad Dei iudicium nullum eſt, quia abolitum Chriſti gratia nobis non imputatur.*

16 Sextò, in materia de Iuſtificatione, per oppoſita verbum Dei exponunt, ſic. Illud Actor. 19. v. 2. *Accipite Spiritum Sanctum*, exponũt, quòd non ſit accipere gratiam ſanctificãtem, ſed ſpecialia dona: Ita Caluin. ibid. dum ait: *Non de ſpiritu regenerationis, ſed de ſpecialibus donis hic à Paulo habetur ſermo.* Teſtimonium ad Hæbre. 10. v. 29. *ſanctificari*, exponũt, *non de vero ſanctificari*; Sic Contra-

Re-

Digitized by Google

Remonstrantes in Collatione Hagæ fol. 391. *Neque (inquiunt) ex eo tamen posset concludi, eos ideo esse verè fideles, aut quod sunt reuera sãctificati.*

17 Septimò, Protestantes, in angustias redacti ex illo testimonio Apocal. 14. ver. 4. *Hi sũt qui cum mulieribus non sunt coinquinati*, quo Catholici probant Virginitatem habere speciale premium in Cœlo; exponunt, ly *Mulieres*, non de mulieribus, sed de *Idolis*, ita Tillenus in Sintagmate cap. 47. fol. 531. dum ait: *Non de carnali cum Mulieribus commixtione, sed de spirtuali cum Idolis scortatione intelligitur*. Ipsis subseruit hæc explicatio, vt libidini laxent habenas.

18 Lectionem hanc, cum Luthero ludente, & illudente cœpimus, cum Luthero claudamus, & Lutherum Luthero obijciamus. Risit esucullatus *Apostata*, & derisit ineptarũ harum expositionum auctores, vt initio vidimus. Modò eum, se ipsum iugulantem videamus. Is, non est veritus, Canonem statuere de intelligendo verba Scripturæ per oppositа. Non creditis? *Audite*. Tom. 3. fol. 271. in psalm. 5. sic statuit: *Hic tibi sit Canon; vbi Scriptura precipit opus bonum fieri, sic intelligas, quòd prohibeat te facere bonum opus, cùm nõ possis; sed vt Sabathum Dei sanctifices, mortuus sis, & sepultus, sinasque Deum in te operari.* O Dementiam? Et hunc Canonem, exactè seruant Protestãtes, Verbum Dei scriptum inauditis torturis flagellando, eum suis fouendis erroribus detorquendo, eique sensum, Spiritui Sancto contrariũ affingendo. Atq; hi sunt boni illi homines, qui, vt 1. p. in 1. Fundam. fol. 313. vidimus, nec tãtillũ à Scriptura discedendũ iuxtà sensum, & explicationem Ecclesiæ vsque ad rauim altis vocibus inclamabant. *At* sinamus eos Zingarico more ludere; Si tamen ludit, qui alienus à Deo, ab Ecclesia, à veritate, conscientiæ stimulis cruciatur; nec verum inuenit, qui falsum diligit; haud iuræ negligitur, quod chlarè diligitur.

LECTIO III.

De Verbo Dei Scripto Rem veram ac realem significante, falsè per Apparentiam, testificationem, & signo coram hominibus à Protestantibus explicato, ac macerato.

1 NOn audiet Deus vocẽ Protestantium, qui vocem eius non audiunt, nisi fortè tot prauis expositionibus maceratam; & ad huc non qualem à magistro acceperunt, sed qualem à suis ministris Cacangelicis proponi placet sensu & textu. *Addunt* prædictis, nouos modos deprauandi Scripturas, cùm in multis magnisq; materijs, eiusdẽ verba denotantia, Rem veram & realem, vafrè, vt solent, de apparẽtia, testificatione, seu significatione coram hominibus, exponunt.

2 Loca Scripturæ quæ Rem veram, ac realem significant, tamen de re apparenti ineptè explicantur à Protestantibus, *Accipe*. Scarpius de Iustificat. contru. 5. non de vera fide, exponit illa verba Lucæ 8. *Ad tempus credunt*, & illud Timoth. *Circà fidem naufragauerũt*, & illud ibid. cap. 4. & 6. *Discedent à fide: circa fidem exciderunt.* Item loc. Ezechielis cap. 18. *Cum auerterit se Iustus à iustitia sua*, non vult intelligi de verè iusto, aut vera iustitia: Neque illud Matt. 12. *Cum immundus spiritus exierit ab homine*, de Diabolo verè eiecto: Præterea, illud Matt. 24. *Refrigescet Charitas multorum*, de vera Charitate; Nec testimonium ad Galat. 5. *A gratia excidistis*, de vera gratia: nec illud 2. Petri. 2. *Sus lota* &c. de vera lotione exponit, sed tantùm de apparenti.

Digitized by Google

3 Eodem modo Caluinus, verba nuper allata Ezechielis cap. 18. v. 24. de apparẽtèr iuxto explicat ibidem, dicens: *Quomodo Ezechiel intelligit iustos excidere? Quæstio ista facilè soluitur: sinè non agitur ac viua iustitiæ radice, sed de externa specie sinè apparentia vt vulgo loquuntur.*

4 Beza in Colloquio Montisbelgard. fol. 388. illud *per lauacrum regenerationis*, exponit de apparenti regeneratione, dicens: *Nos dicimus baptismum aquæ esse lauacrum regenerationis: hoc est significare, & representare regenerationem interiorem:* Addas iniquè: quæ verè & realitèr fit interiùs in anima.

5 Verba & Loca Scripturæ rẽ verã significãtia, de re in externa specie, seù de sola testificatione coram hominibus, ab hæreticis deprauatoribus explicata, sũt: Verba illa 1. Corinth. 12. v. 3. *Ore confessio fit ad salutem*, explicant, non de vera salute, sed de *testificatione* salutis, Ita Lutherus apud Schusselburgium tom. 7. Catalog. hæret. fol. 234. verba illa, explicat: *Scilicet (ait) testificandam salutem per fidem acquisitã*. Et Petrus Martyr ibid. inquit: *Salus accomodatur Confessioni, quia inde incipit tanquam ab externo signo declarari.* Idem Schusselburg. ibid. fol. 235, illud: *Tristitia secundùm Deum operatur panitẽtiam operum ad salutem (ait) hoc est, iuxtà Lutheri interpretationem, opus eiusmodi quod de salute testificatur.*

6 Caluinus in Ephes. 5. v. 26. ly *ablait*, explicat de sola testificatione ablutionis, dicens: *Quod nos abluit docet Paulus, ideo est, quòd illic nobis ablutionẽ nostrã testatur Deus, & simul efficit quod figurat.* Efficit hoc Sacramentum virtute Dei, vt Dei instrumentum.

7 Sadeel lib. de vera peccatorum remission. fol. 108. & tom. 2. Controu. 2. cap. 16. fol. 84. sic scribit: *Verba actiua quæ de Sacramentis vsurpantur in Sacra Scriptura non causam aut actionem causantem, & efficientem gratiæ significant, sed actionem dumtaxat testificantem.*

8 Illud Ioann. 5. *Omnem palmitem in me* &c. ly *in me*, in opinione hominum explicat Caluinus ibidem, dicens: *Respondeo, multos in vite censeri opinione hominum, qui re ipsa radicẽ in vite nõ habent.* Et ly *credidit* Actor. 8. ver. 13. ita exponit idem Caluin. ibid. *credere se putat.*

9 Zanchius in Summa Prælator. tom. 7. colum. 276. illud Ezechiel. 18. *Si auerterit se iustus* &c. sic exponit: *Non est de verè iusto, sed de eo qui hominibus tantùm iustus esse videtur, intelligendum.* Et lib. de Perseuerant. cap. 2. col. 141. illud Ioann. 12. *Multi crediderunt in eum*, sic interpretatur: *Quia sibi ipsis videntur verè in Christum credere, cùm tamen non verè credant.*

10 Aretius in locis part. 1. fol. 90. illud Tobiæ, *Eleemosyna à morte liberat*, ita exponit: *Liberat à morte æterna; hoc est, sunt indicia, & firmissima argumenta in Pijs, quod ab ea morte liberati sunt:* taliter, quòd accipit ly *liberat*, pro, *ostendit liberatos.*

11 Bucanus in Institutionibus loc. 18. ait, quòd Zacharias in illis verbis, *Cõuertimini ad me* &c. *Loquitur de exteriori conuersione*, & loc. 30. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, exponit, *non apud Deum sed apud homines*. Vrsinus in Catechismo quæst. 63. illud *qui facit iustitiam iustus est*, explicat, *nempè corã hominibus.*

12 Ex his manifestè colligimus, quòd apud Nouatores, nihil est in Scriptura certum, & verum, si modò eorũ erroribus aduersetur; sed omnia secundum ipsos, sunt apparẽtia. Et vndè est illud quod asseuerabant scilicet Scripturam Regulam esse fidei? Si regula errat, & incerta est, nec verum continet, oportet vt cuncta Regulata ruant.

IN-

Digitized by Google

INSTRVCTIO V.

De apertis contradictionibus inter verba Sacrarum, Scripturarum, & Protestantium.

HOc habet omnis hæresis, vt Anphisibænis Serpentis ad instar in contraria currat, & à se ipsa resiliat, incerta omnium, incertissima sui. Est vt Vipera quæ cùm parit, perit; est vt Vulpes, quæ cauda supprimit, quod vestigio exprimit, anfractuum amica simul & tenebrarum. Hæretici in contraria currunt, dum Scripturam, ad quam solam aliquando solebāt superbè prouocare Catholicos, ne dum peruersis expositionibus lacerāt, vt vidimus; Verùm & manifestis contradictionibus oppugnant, vt videbimus; & Scripturarum earundem diuinam auctoritatem, quam, Prædicationis vestigio in suorum pectoribus impressérant, mox Vulpium more contradictionum cauda nituntur obliterare: Hoc totum ex eorummet cōfessione euincemus, vt indè discant Morologi isti, sua falsa dogmata nullo Diuino testimonio niti, sed mera esse figmenta, ad decipiendum Populos excogitata.

LECTIO I.

In qua demonstratur ad oculum ex Protestātium Confessione, se Verbo Dei scripto contradicere, vbi & multa Orthodoxæ veritates ex Scriptura, & Hæreticorum Confessione probantur.

1 IAm verba verbis comparando, vidimus, Protestātes apertissimis Sacræ Scripturæ testimonijs contradicere. At quia suis falsis, ac puerilibus explicationibus possent adducta Verbi Dei testimonia, suis erroribus infensa; Hæretico more; deprauare; vt omnem eis viam elabendi præcludam, eorundē Protestantiū testimonia, ex eorū scriptis deprōpta, quibus FATENTVR SE VERBO DEI CONTRADICERE, in medium proferā; ita deq; fiet, vt etsi Proteo sint & angue versutiores, vndique constricti elabi non possint; & tandem victi dicant, apud eos nullā esse Ecclesiā, quàm in sincera Verbi Dei predicatione consistere autumant; & agnoscant se, non nos verbo Dei carere, vt sæpe iactarunt, dicentes, Romano-catholicam fidem, dumtaxat verbis, & auctoritate hominum niti, sua autem placita omnia, expressa Scriptura fulcire; idque simplicibus, & vetulis imponunt, eosque sic à Catholica fide, ad sua falsa dogmata trahunt. Ne autem hoc videamur ex nostro comminisci; eorundem Protestantium loca, ex eorum codicibus, quàm fidelissimè transcripta, proponam.

2 Audite quæso quomodo stertit Lutherus in primum ad Galat. fol. 275. *Papa*, (ait) *cùm nullam Scripturam habeat, qua se defendere possit, hoc vnico, ac perpetuo argumento contra nos vtitur, Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres.* Et tom. 2. in *Assert.* art. 2. inquit: *Nostra sententia de his verbis Diuinis traditur; contraria verò, verbis hominum, humanaque opinione.* Et ibid. fol. 475. dicit; *Vniuersa Scriptura à nobis stat per singulos apices.* Ergo Luthere non amplius vrges Dominum, cùm Scriptura sit seruata, sicut alibi fecisti, scripturæ testimonijs victus tom. 1. disp. de fide fol. 387. cuius

loci

loci verba recitabimus in 3. huius Instruc.Lectione,vna cum alijs tuorum blasphemijs. Audite & Sycophantam Caluinum in cap. 9.Actor. vers. 22.dicentẽ:*Papistæ nihil armorũ* non arma tuo more, sed veritatem querimus)*in Scriptura reperiunt, imò ipsam totam* (o mendacium palpabile sexquipedale?)*sibi aduersam esse vident*. Idem mendacitèr repetit in Antitodo concilij sess.6.cap. 8.dicendo:*Ego habeo totam Scripturam mihi suffragantem.* Sadeel etiam lib. de vocat. Ministrorum, ait: *Nostra doctrina, expresso Dei verbo nititur*. Et ad art.primum Abiurat;inquit: *Professi fuimus ipso etiam Cõfessionis Gallicè articulo, fidem nostram dumtaxat, omnino,& expressè, fundatam esse in Verbo Dei prout in Sacris literis comprehenditur.* Hæc eadem est cæterorum Hæreticorum cantilena,& gloriatio, quæ, quàm inanis sit & vacua, iam in præcedenti lectione, & Instruc.satis dilucidè,& ad oculum, in omnibus ferè materijs inter nos & ipsos controuersis, ostensum est, eosque manifestis scripturæ locis contradicere comprehendimus.Idẽque rursus in hac lectione, ipsis fatentibus,ac ex eorum doctrinis, in multis,& principalioribus fidei dogmatibus, manibus omnium palpandum,proponemus. Agamus ergo.

Bezæ Danæi Hospiniani &c.

§. primus. De Deo.

3 DE Deo dicũt quod vult peccatum,seu iniquitatem;Ita Caluinus lib. de prædestinat. fol. 727.*Inane* (ait) *est illud Diuinæ iustitiæ patrocinium:Quæ mala sunt, non eius voluntate, sed permissu dumtaxat fieri.Equidem, quatenus mala sunt, quæ malo animo perpetrant homines, Deo minimè placere fateor:sed quod otiosum ea permittere fingunt quæ Scriptura nõ tantum eo volente sed auctore fieri pronunciat, nimis friuolum est effugium.* Hoc idem repetit alibi sæpe. *Beza* etiam in 2. part. Respõsionum ad Acta colloquij Montisbelgartensis. fol. 177; inquit: *Quod primi parentes sese natiua illa bonitate priuarunt; nõ nisi ex Dei sic volentis decreto factum fuisse dixi, & dico*. His manus præbent Petrus Martyr in 1. Samuelis, cap.4. fol. 32; & alibi. Zanchius lib. 5. de natura Dei cap. 2. tom. 2. colum.565.Piscator in Thesibus lib. 2. fol.184. *Bucanus in Institut. Theolog.loc.14.fol.145.* Perkinsus in explicat. Symboli tom. primo colum. 773.Hæc illi.

4 Hec tamen aduersari Scripturæ,patet,tum ex illo psalmi 5.versu. 5.*Non Deus volens iniquitatem tu es.* Abacuhc primo ver. 13. *Mundi sunt oculi tui ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.*

5 Tum etiam patet ex Protestãtium confessione: Nam, Confessio Saxonica cap. primo, sic dicit: *Deus nec vult peccatum, nec approbat, nec adiuuat,sicut scriptum est,Cnm mendacium loquitur Diabolus, ex proprio loquitur; & primæ Ioannis 3. Qui facit peccatum à Diabolo est.*Gerlachius Lutheranus tom.2. disp.15.fol.627.inquit: *Impossibile: vt peccatum Deus velit,de quo psalmo quinto, non Deus volens iniquitatem tu es.*Polanus Caluinista in disput. priuatis fol. 235. ait: *Malum culpæ seu peecatum propriè acceptum Deus nec vult nec velle potest psalmo* 5.Et ex hoc eodem loco,probat Paræus Caluinista Collegio primo Theolo. disp. 2. quòd *voluntas Dei non sit causa, efficiens lapsum*. Ergo, ex confessione Protestantium habemus, quòd Protestantes Verbo Dei Scripto contradicant in hoc punto.

§ secundus.

6 DOcent Protestãtes, quòd Deus præcipitat peccare,& tentet ad peccatum; Ita Caluinus de prouident. fol. 739. vbi ait:

Quid?

Quid? Vbi Deus Satanam vindictæ suæ ministrum accersit, & dat apertum fallendi mandatum, An hoc non differt à solo permissu? Idem repetit Beza in abstersione calumniarum Heshusij fol. 314. 318. 324. & 382; vbi dicit: *Satan ad Acabum decipiendum Dei expresso mandato mittebatur.* Bucerus in cap. 6. Matt. fol. 170, ait: *Scriptura non veretur Deum facere auctorem tentationis, qui electos etiam in tentationem subinde inducat, & eam qua certè labuntur & peccant.* Hæc illi.

7 Hoc manifestè aduersari Scripturæ, patet, tum ex illo Ecclesiastici cap. 15. v. 21. *Nemini mãdauit (Deus) impiè agere.* Hieremiæ. 32. v. 35 *Edificauerunt excelsa Baalim &c. quæ non mandaui.* Idem Iacobi primo v. 13. *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur. Deus enim intẽtator malorum est: ipse autem neminem tentat.* Ecclesiast. 15. v. 11. *Non dicas ille me implanauit non enim necessarÿ sunt ei homines impÿ.*

8 Tum etiam constat ex Protestantium confessione; Nam, Riuetus tract. 3. sect. 33. ait; Scriptura expressè dicit, quòd *Deus non vult iniquitatem*, quòd *nemini præcipit malefacere*, quòd *non potest tentare ad malum*. Et Molinæus in suo Scuto fol. 97. inquit. *Deus non incitat homines ad male agendum sicut dicitur psalmo. 45. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.* Hæc illi pro nobis.

§ tertiùs.

9 PRotestantes fatentur Deũ non odisse fideles operãtes iniquitatem. Ita Beza de prædest. cont. Castell. fol. 49. *Et si (ait) omnem iniquitatem odit Dominus, non tamen omnes odit in quibus est iniquitas.* Et Zanchius tom. 7. in depulsio. calumn. Heshusij colum. 256. *Deus (inquit) electis cum peccant irascitur, sed eos nunquam odit.* Ita alij multi.

10 Hoc esse cont. Scripturam, liquet, tum ex illo psal. 5. v. 7. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem;* Ecclesiast. 12. v. 3. *Altissimus odio habet peccatores.* Matt. 7. v. 23. *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.*

11 Tum etiam patet ex Protestantium Confessione. Nam, apud Zanchiũ in sua supplicatione tom. 7. col. 58. habentur hæc verba: *Deus iram suam omnibus transgressoribus legis suæ minatur,* & citat illud psalm. 5. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.*

§ quartus.

12 PRotestantes docent, quod Deus non vult omnes homines saluos fieri. Ita Beza in 2. part. Responsion. ad *Acta* Colloquij Montisbelgartensis in præfati. fol. 10. per hæc verba: *Relinquitur particulam illa OMNES, prima Timot. 2. citata, minimè de singulis hominibus intelligendam.* Zanchius item de prædestin. cap. 4. ait; *Non omnes vult seruari.* Idem fatentur innumeri.

13 Hoc esse contra Scripturam patet, tum ex illo primæ Timot. 2. v. 4. *Deus vult omnes saluos fieri.* 2. Petri 3. v. 9. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reuerti.*

14 Tũ etiã cõstat ex Aduersariorum Confessione; Nam, Hemincius Protestans in Enchyridio Class. 3. fol. 220. inquit: *Deum mendacij arguit quicumque Deum quorundam salutem nolle putat, quantum scilicet ad consilium creationis attinet.* Idem Gesnerus Lutheranus in compendio loc. 3. ait: *Scriptura luculenter testatur, Deũ seriè velle omnes homines saluos fieri.* Consentit Affelmannus, Protestans de prædestinat. §. 36. vbi ait: *Deum velle omnes homines saluos fieri testatur Scriptura verbis, iuramento, annunciatione, & oblatione.* Quid dicitis Protestãtes? Videte similia quæ à vestris p.p. tract. 1. Instr. 1. retulimus.

§. 5.

Digitized by Google

§. quintus.

15 PRoteſtãtes aſſerunt, quòd Deus non vocet omnes ad ſe, neque offerat gratiam omnibus; Ita Beza lib. Reſpons. & Quæſtionum volum. p. fol. 685. *Vide (ait) quàm neceſſarijs rationibus illa vniuerſalis vocatio refutetur &c.* Zanchius in depulſio. calumniar. tom. 7. colum. 2605 inquit: *Non ad omnes re ipſa pertinent promiſſiones, ſed tantum ad electos.* Hos ſequuntur alij.

16 Hoc, contradicere Scripturæ patet, tum ex illo Matt. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Matt. 22. v. 28. *Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcumque inueneritis vocate ad nuptias.* Marci. 16. v. 15. *Euntes in mundum vniuerſũ prædicate Euangelium omni creaturæ.*

17 Tum etiam conſtat ex Proteſtantium confeſſione; nam, Illyricus in ſua Claue Scrip. part. 2. tract. 4. colum. 370. ait: *Quidam ſtudio malè intellectæ prædeſtinationis, ſolent noxiè VNIVERSALES Euangelij promiſſiones ac vocationes reſtringere, eaſque efficere particulares: quo ſuo errore, fũditus euertunt Euangelium CHRISTI.* Gerlachius tom. 2. diſput. 15. fol. 726. ait: *Voluntatem Dei vniuerſalem probant aperta teſtimonia Scripturæ.* Hemingius apud Schulſſelburgium lib. primo Theologiæ Caluiniſticæ art. 11. fol. 36. inquit: *Qui negant gratiam eſſe vniuerſalem, corrumpunt doctrinam Euangelij, & Chriſto ſe opponunt, & miſerè ſe ipſos, & alios ſeducũt concluſiunculis ſuis perperam ex Scripturis conſtructis capti.* Idem docet Schulſelburgius ipſe Lutheranus ib. fol. 39. Poſtremò, Caluinus in Iſaiã cap. 42. verſu 6; dicit: Quod, *Deus, omnes homines nemine dempto, ad ſe vocat.* Hæc Proteſtantes contra ſuos.

§. ſextus. De Chriſto.

18 IN materia de Chriſto, blaſphemant Proteſtantes, dicendo, quod eius humanitas, non poteſt inuocari, aut adorari; Ita Danæus in oration. Dominic. fol. 574. per hæc verba: *Non quà homo, ſed quà Deus Patri conſubſtantialis, Chriſtus eſt inuocandus.* Et in Exami. lib. Kemnitij fol. 1447; ait: *Qui ad ipſam carnem Chriſti ſuam adorationem aut inuocationem dirigit, is ex ipſius Dei ore eſt maledictus.* Item, Beza in Colloquio Montisbelgar. fol. 292; inquit: *Quod Chriſti humanitas ſit adoranda, nos quoque negamus.* (Et certè nam Audabertuli humanitatem adorabas) Conſentiunt in hoc alij Proteſtantes.

19 Hoc, Verbi Dei Scripti dictis aduerſari, manifeſtum eſt, tum ex illo ad Philipp. 2. v. 10. *Vt in nomine Ieſu omne genuflectatur.* Marci. 10. v. 47 & 48. *Cæcus clamabat Ieſu filij Dauid miſere mei;* Cananea. Matt. 15. v. 22. *Et duo cæci* Matt. 20. v. 31. *clamant* Lucæ 23. bonus Latro dicebat, *Domine memento mei cum veneris in Regnum tuum.* Matt. 2. v. 11. *Inuenerunt* Magi *puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* Matt. 28. v. 9. Dicitur de mulieribus: *tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eũ.*

20 Tum etiam liquet ex Proteſtantica Confeſſione, nam Caluinus Admonitione vltima ad Vueſphalum fol. 831; ait: *Obtendunt, nuſquam extare præceptum de adorando Chriſti corpore. Certè de Chriſto homine propriè dicitur; exaltauit illum Deus, & dedit ei nomen &c. Itaque merito hinc colligit Auguſtinus adorandam eſſe Chriſti carnem in Mediatoris perſona.* Idem ſentit Iacobus Andreæ in Colloquio Montisbelgart. Sic contra ſuos.

§. Sep-

§. Septimus.

21 CHristi humanitatem, vim viuificandi habere negãt veritatis Hostes ; Ita *Beza* in Colloqui. Montisbel. fol. 276; dum ait: *Quòd autem carni Christi vis, & virtus aliqua insit viuificandi, propter quã vim communicatam viuifica facta & viuificare dicatur, hoc nos pernegamus.* Item Zuuinglius lib. de vera & falsa Relig. cap. de Eucharistia tom. 2. inquit: *Secundùm diuinitatem tantùm salutaris esse potuit.*

22 Hoc, cum Scriptura aduersis frontibus pugnare, liquet, tum ex illo Matt. 9. vers. 6. & 8. *Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata &c. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum qui dedit talem potestatẽ hominibus.* Ioann. 6. v. 54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sãguinem, habet vitam æternam.* Actor. 4. v. 10. *In nomine Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.* Hebræor. 9. v. 13. *Si enim Sanguis Hircorum, & Taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sãctificat ad emundationem carnis, quanto magis Sanguis Christi qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti?*

23 Tum etiam patet ex doctrina Aduersariorum ; nam Hutterus Luteranus in Analysi Cõfessi. Augustanæ fol. 293, dicit: *Vim Viuificãdi carni Christi communicatam qui negare ausu fuerit, eum ipsi Seruatori Christo, hanc vim carni suæ cap. Ioann. 6. aliquoties adscribenti, dicam scribere manifestum est.*

§. Octauus.

24 CHristum Dominum non condidisse Nouum Testamentum diuersum à veteri somniarunt Protestantes; Ita *Beza* cont. Hesshusium volum. primo Theolog. fol. 283. dum ait: *Vetus & nouum fœdus vnicum est, & singulare fœdus, siue materiam, siue auctorem, siue finem, & scopum vtriusque spectes.* Petrus Martyr, in locis classe 2. cap. 16. §. 27. dicit: *Omnino statuendum est, Veteris, & Noui Testamenti vnum atque idem inter Deum, & homines esse fœdus.*

25 Hoc esse contra Scripturam patet manifestissimè, Tum ex illo Hieremiæ 31. v. 31. ad Hebræos 8. v. 8. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda Testamentum nouũ, non secundùm Testamentum quod feci Patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum vt educerem illos de terra Ægypti.* Hebræ. 8. v. 6. 7. *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò, & melioris Testamenti Mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa vacasset, non vtique secundi locus inquireretur.* Hebræ. 9. num. 15. *Et ideo Noui Testamenti Mediator est, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis.* Galat. 4. v. 24. *Hæc enim sunt duo Testamenta, vnum quidem &c.* Matt. 26. v. 28. *Hic est sanguis meus Noui Testamenti.* Lucæ 22. v. 20. *Hic calix Nouum Testamentum in meo Sanguine.*

26 Tum etiam patet ex Aduersariorum, fideique perduellium confessione ; nam, Gerlachius tom. 2. disp. 14. fol. 597. ait: *Hoc nihil est aliud nisi Apostolo contradicere ad Hebræos. 8. versu. 6. & 7. & cap. 9. v. 15.* Et Schusselburg. lib. primo Theologi. Caluinist. art. 17. fol. 59. inquit: *Verbum Dei docet duo fœdera seu Testamenta esse, non vnum, & idem substantia.* Idem fatetur Matthias Illyricus præfat. in commentar. in Nouum Testam.

§. nonus.

27 IMpiè asseuerant Protestãtes, Christum Dominum non redemisse nos suo sanguine, seu morte corporea; Ita Geneuanus Patriarcha Caluinus lib. 2. institut. cap. 16. §. 10. per hæc Verba: *Nihil actũ erat, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus.* Suo Magistro subscribit Vuitakerus lib. 8. contra Duræum sect. 18, dum ait: *Caluinus verissimè Scripsit: nihil actum fuisse, si mortem tantùm corporeã Christus obijsset.* Sic, & alij plures Protestantes.

28 Hoc tamen esse cõtra Verbũ Dei Scriptum, perspectum est, tum ex illo ad Colossen. 1. v. 22. *Nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem.* Et ver. 20. *Pacificans sanguinem crucis eius siue quæ in terris siue quæ in cælis sunt.* Hebræ. 10. v. 10. *Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel* Et cap. 9. v. 12. *Per proprium sanguinẽ introiuit semel in Sancta æterna redemptione inuenta.* Ephes. 1. v. 7. *In quo habemus Redemptionem per sanguinẽ eius.* Primæ Petri 1. v. 19. *Redempti estis pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Apocalyp. 5. v. 9. *Redemisti nos Deus in Sanguine tuo.*

29 Tum etiam patet ex Protestãtium Confessione; Nam, Serranus Caluinista cont. Hayum part. 2. fol. 256. ait: *Scriptura affirmat nos Christi Sanguine purgari, peccata nostra planè expiari, Deum illo pretio pro nobis soluto verè placari.* Caluinus se ipsum iugulans, in Respons. ad Sadoletum fol. 126. inquit: *Percurre quicquid habemus Oraculorum Dei, si vnicus Christi Sangnis vbiq; pro satisfactionis pretio, pro pacificatione, pro ablutione proponitur, qua confidentia tantum honorem ad sua opera transferre audeas?* Idem docet tract. de Cœna fol. 6. in sua Confes. fol. 109. cont. Scruetum fol. 607. & in Coloss. cap. 1. vers. 14. Item Confess. Caluiniana art. 17. vers. fin. docet, & dicit: *In morte Christi integram satisfactionem habemus, vt à peccatis, & iniquitatibus liberemur, & non nisi hoc remedio possumus liberari.* Igitur Protestantes, Caluinus qui contrarium docuit, vt modò vidimus, ex theatro fidelium ex vestra confessione est exibilandus. Illud etiã manifestum est ex Molinæo, qui in suo Scuto fol. 154. & sequen. ait: Quòd sit *Summa Euangelij, quòd mors Christi fuerit plena, & integra satisfactio.* Idem asserit Marc. Anton. de Dominis cont. Suarez cap. 2. n. 22.

§. Decimus.

30 ASserũt ministri tenebrarum, Christum non esse mortuum pro damnatis, seu pro Impijs, & reprobis; Ita Beza in Colloquio Montisbelg. fol. 447, dum ait: *Christus non est mortuus pro peccatis dãnatorum. Non pro impijs, & Damnatis effudit sanguinem in remissionem peccatorum.* Idem in 2. part. Respons. ad acta illius colloquij fol. 215. dicit: *Et certè nobis intolerabilis vox vestra visa est: Christum esse mortuum pro damnatis.* Item, etiam Zanchius in summa prælectionum tom. 7. colum. 272, inquit: *Christus secundùm propositum Patris pro ipsis tantùm electis natus, precatus, mortuus, passus est.* Ita alij quãplurimi.

31 Hoc esse contra Scripturam è diametro, patet, tum ex illo Roman. cap. 5. v. 6. *Vt quid enim Christus cùm adhuc infirmi essemus, secundũ tempus pro impijs mortuus est?* cap. 14. v. 15. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Primæ Corinth. 8. v. 11. *Et peribit infirmus in tua scientia Frater, propter quem Christus mortuus est.* Primæ Petri 3. v. 18. *Christus semel pro peccatis mortuus est, iustus pro iniustis.* 2. Petr. 2. v. 1. & sequen. *Fuerunt autem, & Pseudoprophetæ in populo, sicut, & in vobis erunt Magistri Mendaces, qui introducent sectas perdi-*

perditionis, & eum qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat.

32 Tùm etiam constat, ex Aduersariorum Cõfessione, nam Gerlachius tom. 2. disp. 15. fol. 628. ait: *Expressè in Scripturis asseritur Christum esse mortuum etiam pro ijs qui dãnantur.* Hunnius de Iustificat. fol. 59. inquit: *Directè prædicatur Christus mortus etiam pro ijs qui damnantur.* Audistis ne Protestantes?

§. Vndecimus.

33 IMpiè docent Protestantes, Christum non esse mortuũ pro omnibus; Ita Caluinus in primũ Ioann. cap. 2. v. 2. dum dicit: *Sub omnibus, reprobos non comprehendit.* Et in primum ad Timot. 2. v. 5. ait: *Particula vniuersalis, semper ad hominum genera referri debet, non ad personas.* Et Sadael ad *Articul. Abiurat.* 7. fol. 425. inquit: *Perperam loquuntur cùm aiunt per mortem Christi fuisse redempta totius mundi peccata.* Idem asserunt Zanchius in thesibus tom. 7. colum. 281. Perkinsus de prædest. tom. 1. col. 144. & de serm. domini in monte tom. 2. col. 341. Piscator in Thesibus lib. primo fol. 447. & lib. 2. fol. 371. Grossus in *Analysi* Abacuc. 2. v. 4. fol. 389. *Bucanus* in Institut. Theolog. loc. 36. fol. 396. & alij plures.

34 Hoc esse contra Verbum Dei scriptum, patet apertissimè, tùm ex illo 2. Corinth. 5. v. 15. *Si vnus pro omnibus mortuus est Christus.* 1. Timot. 2. v. 6. *Christus Iesus qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus* cap. 4. v. 10. *Qui Saluator est omnium hominum, maximè fidelium.* Hebræ. 2. v. 9. *Videmus Iesum &c.* 1. Ioann. 2. v. 2. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

35 Tùm etiam constat ex Protestantium confessione; nam, Hutterus Lutheranus in Analysi confess. *Augustanæ* art. 3. fol. 310. ait: *Falsum quod gens Caluiniana fingit, passionis & mortis Christi Sacrificium non pro omnibus, sed pro aliquibus dumtaxat esse præstitum: cuius dogmatis impietatẽ vniuersa Scriptura grauiter refellit.* Gerlachius tom. 2. disp. 15. fol. 622. inquit: *Horrendum mentiuntur, Deum Patrem satisfactionem filij sui pro aliquibus tantùm destinasse: Huic blasphemiæ opponimus clarissima Scripturæ verba.* Item Polanus Caluinista par. 3. thesium fol. 681. dicit: *Christus pro omnibus est mortuus* Roman. *cap.* 5. *v.* 2. *Corinth.* 5. *v.* 15. Hæc Protestantes contra suos.

§. Duodecimus.

36 BLasphemant Protestantes dicendo, Sanguinem Christi quo redempti sumus comprutuisse, nec amplius esse in rerum natura; Ita Perkinsus in cap. 5. Apocalyp. tom. 2. colum. 41. vbi de Christi Sanguine, ait: *Substãtia illius Sanguinis quæ effusa est, peryit, quicquid garriant Papistæ.* Germanus Banœrus apud Feu-ardent. in Theomat. Caluin. lib. 5. cap. 16. inquit: *Christi Sanguis substantialis non præbetur in cœna, quando quidem in terra corruptus fit. Antilutherani Vuittembergen. in exegesi, dicunt: Sanguis illeiam dudum effluxit, & dissipatus est.* Idem alij.

37 Hoc manifestè contradicere Scripturæ patet, tùm ex illo 1. Petri 1. *Non corruptibilibus auro, & argento redempti estis: sed pretioso sãguine quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati.* Et psal. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et psal. 29: *Quæ utilitas in sanguine meo, si descendero in corruptionem?*

38 Tùm etiam liquet, ex Protestantium Confessione; nam, Conradus Schlusselburgius, Saxonum in

Germania generalis Superintẽdens, lib. 1. Theologiæ Caluinisticæ art. 20. fol. 85. ex adductis locis Scripturæ probat, Sanguinem Christi quo redempti sumus, non computruisse; Immò, & alia loca subnectit scilicet Apocalyp. 1. 7. 12. 22. vbi de Sanctis cœlitibus dicitur, *Lauarunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni. &c.*

§. Tertiusdecimus.

39 PRotestantes, veræ Religionis hostes, negãt Animam Christi descendisse ad Inferos; Ita Vuitakerus lib. 8. cont. Duræum sect. 23; dum ait: *Caluinus defendit Animam Christi nunquam ad Inferorum sedes abijsse.* Et lib. 9. sect. 27; dicit: *Christi Animam à corpore solutam; non modò ad Inferos nequaquam descẽdisse, sed mox in cælum sublatam esse, credo.* Bucerus in cap. 27. Matt. fol. 512; inquit: *Quæ Theologi superioris sæculi de reali illo descensu Christi disputarunt, non sunt.* Idem sentiunt Perkinsus in explicat. Symboli tom. 1. col. 678; Beza in Actor. 2. v. 27. Serranus contra Hayum part. 3. fol. 522; Hemingius in Enchyrid. Theolog. Class. 3. fol. 263; Polanus in disput. priuat. Periodo 2. disp. 23. vbi dicit: *Christi anima ad nulla loca Inferni descendit*, & alij.

40 Hoc aduersari Scripturæ constat, tum ex illo Actor. 2. v. 27. *Non derelinques animam meam in Inferno.* Et ver. 31. *Prouidens loquutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in Inferno, neque caro eius vidit corruptionem.*

41 Tum etiam, quia, hoc idem ipsi Aduersarij fatentur, vt Lobechius Lutheranus disp. 6. fol. 1311 his verbis: *Credimus, & simplici fide vt verum, & Scripturæ ac Symbolis consonum amplectimur, quod Christus reuera descendit ad Inferos.* Et Lutherus in psal. 16. tom. 3. fol. 279. ait: *Quòd iuxta Prophetæ Verba anima Christi secundùm substantiã descendit ad Inferos.*

§. Quartusdecimus.

42 PRotestantes docent, quod Christus non sit ingressus ad discipulos ianuis clausis; Ita Petrus Pseudomartyr in Dialo. colum. 97. *Non erubuit (inquit) Euangelista Dominum esse ingressum ostijs nunquibus clausis.* Caluinus in Admonitio. vltima ad Vuestphalum fol. 805; ait: *Verùm si Christus diuina sua virtute fores clausas miraculo patefacit, &c.*; Bucerus apud Schullembugiũ lib. 1. Theol. Caluin. art. 31. fol. 163. Idem fatetur, cum Beza in Ioann. 20. v. 19: Vrsinus in Miscellan. Catechet. fol. 120. & alij.

43 Hoc esse contra Verbum Dei Scriptum, constat manifestissimè, tum ex illo Ioann. 20. v. 19. *Cum sero esset die illa vno Sabbatorum, & fores essent clausæ vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio.* Et ver. 26. *Et post dies octo iterum erãt discipuli intus, & Thomas tecum eis, & venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio &c.*

44 Tum etiam ex his, quæ dicunt Protestantes ipsi; Nam, Lutherus in defension. Verborum Cœnæ tom. 7. fol. 394; inquit: *Testimonia Scripturæ manifesta sunt, quod Christus ad discipulos suos per fores clausas transierit.* Et Zuinglius in historiam resurrectionis tom. 4. fol. 396. ait: *Fores fuisse clausas, Iesumque foribus clausis introijsse, Euangelista Ioannes testatur.* Hæc illi. Hæc ego.

§. Quintusdecimus.

45 CHristum in Cœlo non orare pro nobis, somniarunt Protestãtes; Ita Petrus Martyr in 1. Corinth. 13. fol. 195. vbi ait: *Sed Christum pro nobis intercedere apud Patrem, isti fieri debet nihil aliud esse,*

esse, nisi quod semper Patri adest, eiusq; præsentia &c. Polanus in Syloge Thesium par. 2. fol. 191; inquit: *Quòd Christus est deprecator apud Patrem, partim apparendo in cœlo coram Patre, partim rapiendo salutem electorum.* Idē docent Caluin. in Ioann. 16. v. 16; & in Roman. 8. v. 34; Beza in confess. cap. 4. sect. 16; Bucanus in instit. Theolog. loc. 35. fol. 372. Perkinsus in serie causar. cap. 18. tom. 1. col. 21. & alij.

46 Hoc contradicere Scripturæ apertè patet, tum ex illo Ioann. 14. ver. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Primæ Ioann. 2. v. 1. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum Iustum.* Romæ. 8. ver. 34. *Christus Iesus mortuus est, imo qui, & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Hebræ. 7. v. 25. *Vnde, & saluare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deum semper viuens ad interpellandum pro nobis.*

47 Tum etiã, quia idipsum Protestantes testãtur: Nam, Melanthon in Respons. ad Articul. Bauaricos tom. 3. fol. 376. inquit: *Detestandus est, qui negat Christum nunc pro nobis interpellare; cum manifestè scriptum sit ad Hebræos: semper viuens, vt interpellet pro nobis.* Et Kemnitius in Examine par. 3. cap. de inuocatione Sanctor. fol. 239. ait: *Hoc repugnare, & deijcere Christum à parte sui Sacerdotij;* scilicet asserere Christum nunc, non orare pro nobis. Hæc illi pro nobis.

§. Decimussextus.

De Angelis, & Sanctis Cœlitibus.

48 DE Angelis, & Sanctis dicunt, quòd omniũ Sanctorum gloria sit æqualis; Ita Petrus Vermilius Pseudomartyr. primę Corinth. 15. ver. 32. dum ait: *Quòd si Deus in attribuenda vitæ æternæ dignitatem nostrarum operum nõ respicit, vnde nam eliciemus istos præmiorum gradus?* Paræus lib. 5. de Iustificat. cap. 20. fol. 1458. inquit: *Fingunt (Papistæ) varios vitæ æternæ gradus.* Perkinsus in 1. Galat. tom. 2. fol. 591; dicit: *Omnes electi fruentur æquali gloria essentiali.* Hoc idem asserunt Lutherus, & alij contra nos.

49 Hoc esse contra expressũ Verbum Dei Scriptum, constat, tum ex illo primæ Corinth. 5. ver. 41. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum: Stella enim differt à Stella in claritate: sic & resurrectio mortuorum.*

50 Tum etiam patet, ex confessione Aduersariorum; Nam, Caluinus in primam ad Corinth. 15. v. 41. ait: *Diuersos fore honoris, & gloriæ Sãctis gradus verissimum est, & Scriptura testimonijs probatur.* Quid dicitis Protestantes? Patriarcha vester Geneuanus, est qui loquitur; Silete à facie eius.

§. Decimusseptimus.

51 VSque ad rauim clamitat Protestãtes, Angelos, & Sanctos in cœlis nõ orare pro nobis; Ita Confessio Gallica art. 24. *Credimus quicquid homines de mortuorum Sanctorum commenti sunt, nihil aliud esse quam fraudem, & fallacias Satanæ.* Sic etiam Confess. Heluetica cap. 5. Zuuingli. in explanati. Art. 20. inquit: *Ex Sacris Bibliis, neque doctrina, neque exemplum vllum adduci potest, quod probet Diuos in Patria pro nobis intercedere.* Ita similiter sentiunt Apologia Confession. Augustanæ cap. de inuocatione Sanctor. Reineccius tom. Armaturæ cap. 21. Bullingerus Decad. 4. serm. 5. fol. 224. Caluin. 3. Institut. cap. 20. §. 21; vbi dicit: *Quis vel Angelus, vel Dæmon, vllis hominum de eiusmodi, quam fingunt Sanctorum intercessione vnquam renunciauit?*

52 Hoc pugnare cum Verbo Dei Scrip-

Scripto, manifestatur, tùm ex illo Zachariæ 1.v.12: *Et respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituũ vsque quo tu misereberis Hierusalem, & vrbium Iudæ quibus iratus es?* 2: Machabæ: 15.v.13. *Erat huiusmodi visus (Iudæ) Oniam manum protendentem orare pro omni populo Iudæorũ.* Et ver.14. *Hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa Sancta Ciuitate Hieremias Propheta Dei.*

53 Tùm etiã ex Aduersar. cõfess. nã, Caluin. sibi contrarius, in cap. 1. Zachariæ v.12. inquit: *Testatur Scriptura Angelos coram Deo suppliciter pro nobis deprecari. Dicit Zacharias Angelum precatum esse: Domine exercituum* &c. Hæc illi contra se, pro nobis.

§. Decimusoctauus.

De Sac. Scriptura, & lege.

54 SAtis superque delirarunt Protestantes, dicendo; In Sac. Scriptura nihil esse difficile captu, vel obscurum, vt vidimus sup. ex Luthero lib. de seruo Arbitrio tom. 2. fol. 426. dicente: *Esse in Scriptura quædam abstrusa, & non omnia exposita, inuulgatum est quidem per impios Sophistas.* Et fol.440. *De tota Scriptura dico: nullam eius partem volo obscuram dici.* Sic etiã Gerlachius tom.1. disputat. 1. fol. 9. *Nos (ait) Verbum Dei adeo clarum esse asserimus, vt verã sententiam in rebus controuersis per ipsum ostendat.* Ita Hutterus in Analysi Confess. Augustanæ fol. 459. Salomon Gesnerus in compend. doctrinæ cœlestis (fortè erat Astrologus) loc. 1. fol. 342. & alij Lutherani. Item Caluin. in cap. 13. Matt. v. 11. ait: *Hoc semper fixum manet non esse obscurum Dei verbum, nisi quatenus ipsum mundus sua cæcitate obtenebrat.* Sequuntur eum sui, vt Bezza in Galat. 3. v. 1. Zanchius de Script. tom. 8. colum. 409. Vuitaker. contr. 1. q. 4. cap. 3. v. 16. *Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu.*

55 Tum etiam, quia, hoc ipsum fatentur Protestantes; nam, Christianus ad Portum lib. contra Verronẽ tom. 5. *Iesuiticæ doctrinæ*, impressum Rupellæ fol. 46. nomine omnium suorum Conreligionistarum, ait: *Ingenuè cum Apostolo Petro fatemur, sicut in epistolis Paulinis, ita etiam in reliqua Scriptura multa esse difficilia intellectu.* Hoc idem sentit Paræus in Galat. 2. & alij multi adducti loco cit. sup. in vltima probatione.

§. Decimusnonus.

56 CLamant Aduersarij, quòd lex sit contraria Euangelio, ita Illyricus in Claue Scripturæ part. 2. tract. 1. colum. 10. vbi ait: *Duo sunt genera doctrinæ, Lex, & Euãgelium, eaque per se suaque natura repugnantia contraria.* Schusselburg. tom. 7. Catal. Hæretic. fol. 448. vult, dicta legis *emendari, & corrigi per Euangelium.* Ita etiam Hũnius de Iustificat. fol. 176. consentit Caluinus lib. 2. Instit. cap. 9. §. 4. dicendo: *Paulus iustitiam legis, & Euangelij, facit inter se contrarias.*

57 Hoc aduersari Scripto Dei Verbo, manifestatur, tùm ex illo Rom. 3. v. vltimo: *Legem ergo destruimus per fidem? Absit; sed legem statuimus.* Galat. 3. v. 21. *Lex ergo aduersus promissa Dei? Absit.* Matt. 5. v. 17. *Non veni soluere legem, sed adimplere.*

58 Tum etiam, ex ipsa Protestãtium Confessione; nam, Serranus Caluinista cont. Hayum part. 3. fol. 354. de Hayo contrarium sentiente, dicit: *Crassiore, & Periculosiore rei ignoratione, legem Mosaycam, & legem Euangelicam tanquam Manichæi principia, committit, quasi inter se contrarias.* Et Paræus in Galat. 3. lect. 40. dicit: *Si doctrina legis, & doctrina Euangelij mutuò repugnent, Deus in*

ver-

verbo suo sibi repugnaret; quod absit. Hæc illi pro nobis.

§. Vigesimus.

De Apostolis.

59 APostolorum Principem latratibus impetunt, dicendo, Ecclesiam nō esse fundatam super ipsum, ita Germanus Patriarcha excucullatus Lutherus in cap. 16. Matt. 5. fol. 62. vbi inquit: *Super hanc, ideſt, super me, non super te.* Et fol. sequen. ait: *Edificare non potest intelligi super Petrum.* Vtique, si sit edificare turrim ex lapidibus, & cemento, non verò edificare doctrinam, & Religionem. O dementatum virum! Bucerus in Matt. 16. fol. 352. ait: *Ecclesia non super Petrum, sed Petram,* ideſt, *fidem.* Sic & alij Lutherani vt Vuigandus apud Schusselburgium tom. 3. Catalogi Hæret. fol. 264. Bidembachius in suo consensu fol. 60. & alij Lutherani. Consentit Calvin. in cap. 16. Matt. v. 19. vbi dicit: *Fingit Petrum vocari Ecclesiæ fundamentum: Quis autem non videt, quod transfert ad hominis personam, de fide Petri dictum esse.* Subscribunt Calviniſtæ, vt Beza in cap. 16. Matt. v. 18. Zanchius de Eccleſia cap. 9. tom. altero Miscellaniar. col. 94. Serranus cont. Hayum par. 3. fol. 94. Vorstius in *Antebellarmi.* fol. 64. Vuitaker. controu. 4. q. 2. cap. 2. fol. 545; & tandem Lohetus amanuensis Marci *Antonij* de *Domin.* Respons. ad Mariū cap. 6. fol. 82. ait: *Sed negat (* Marcus *Anton.) iuxta plurium Patrum* ſententiam, *tunc Petræ nomine, Petrum* ſignificari. Idem sentit Rainoldus in Colloquio cap. 2. sect. 1. & contrarium, dicit *esse commentum.* His subscribunt alij vtriusque sectæ.

60 Hoc esse contrarium Verbo Dei scripto, patet ad oculum, (si cœci non sunt Protestantes) tùm ex illo Matt. 16. v. 18. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam* (nota, ly, *tibi*, & exsuflabis aduersarios) ibid. *Tibi dabo Claues regni Cælorum.*

61 Tum etiam constat ex Hostiū fidei confessione; nam, Vuitakerus sibi inconstans, in eadem controu. quæst. & cap. fol. anteced. dicamus in eadem ferè pagina vbi sup. in presenti §. ait: *Nos fundamentum Ecclesiæ fuisse, & gubernatorem Petrum, non negamus; idque ei esse à Christo his verbis promissum, si requirent concedemus.* Et lib. 5. cont. Duræum sec. 4. ait: *Quis Petrum non fatetur esse Petram, & Ecclesiæ fundamentum?* Marcus Anton. de Domin. lib. 1. de Republica cap. 6. n. 23. ait: *Petræ namine ipsum met Petrum intelligi, & ad ipsius personam, vt erat publica, proximè referri illa verba: super hanc Petram &c. vehementer probant Neoterici.* Et postquam pro hac sententia retulisset multos Patres, ita subiungit n. 28. *His assentior & ipse libentissimè, atque hunc sensum Euangelica illa verba posse habere puto.* Item ibidem. *Hanc interpretationem Petræ pro Petro, vt fortasse literæ congruentem, admitto nunc & probo.* Ergo mēdax est *A*manuensis tuus Marce *Antoni*; nam, is dixerat supra in hoc §. quod tu, negabas nomen Petræ Petro fuisse appropriatum à Christo? *A*t mendax est ex alio capite; nam, sibi contrarius Lohetus in Respons. ad Marium cap. 3. fol. 48. inquit: *Scimus super Petrum dici edificandam esse Ecclesiam.* Causobonus in exercit. 15. cont. Baronium fol. 391. ait, esse *interpretationem rectam, & Orthodoxam, per Petram Petrum intelligere.* Rainoldus item sibi contrarius in suo Colloquio cap. 2. sect. 1. fatetur verū esse, *quòd verba Christi ad Petrum, continent hunc sensum: super te edificabo Ecclesiam meam.* Imò Lutherus in Postilla Sanctorum Petri, & Pauli sibi inconstans, ait: *Christus Petrum hic, Petram vocat.* Hæc illi, pro Romano-catholicis.

§. Vige-

Digitized by Google

§. Vigesimusprimus.

62 Ecclesiæ robustissima fundamenta, casso labore cõcutere, nituntur Protestantes; dũ, Apostolos fuisse fundamenta Ecclesiæ, negant. Ita Caluinus in primam Corinth. 2. v. 11. vbi inquit: *Ecclesiam in Christo fundatam esse oportet*. Consentit Beza in Ephes. 2. v. 20. *Apostoli (ait) & Prophetæ fuerunt huius templi, ideſt, Ecclesiæ Dei (vt etiam hodie fideles ministri) Architecti, non autem fundamentum ipsum.* Idem sentit Petrus Martyr. in loc. class. 4. c. 3. §. 4; Bullingerus Decad. 5. serm. 2. fol. 289. Vuitakerus controu. 4. q. prima cap. 2. fol. 546. Molinæus in suo scuto fol. 380 vbi inquit; *Ipsimet Apostoli non sunt fundamenta.* Iunius. controu. 3. lib. 1. cap. 11. & alij Caluinistæ.

63 Hoc apertè contradicere Sac. Scripturæ, manifestatur, tum ex illo Apocalyp. 21. *Et murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim, nomina duodecim Apostolorum Agni.* Et ad Ephes. 2 versu 20. *Estis ciues Sanctorum, & domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.*

64 Tum etiam, patet, ex Protestantium Confessione; etenim; Rainoldus Caluinista in suo colloquio cap. 2. sect. 1. ait: *Apostoli duodecim fundamenta vocantur Apocalypsis capite 21. v. 14.* Elienſis in Responsione ad Bellarmin. cap. 8; inquit: *Ostendo edificium, cuius duodecim fundamenta sunt Apostoli,* & citat Apocalypsim c. 21; Et Serranus item Caluinista cõt. Hayum part. 3. fol. 100. dicit: *Omnes Prophetæ, & Apostoli Appellantur (in Scriptura) fundamenta Ecclesiæ.* Hæc Hostes pro Romana Catholicis.

(·) (·) (·) (·)

§. Vigesimussecundus.

De Ecclesia.

65 Negant Protestantes, Pastores, Põtifices, & Ministros, semper esse in Ecclesia; Ita Lutherus in psalm. 129. tom. 3. fol. 568. dicendo: *Ecclesia sub Antichristo non habuit verum ministerium.* Caluinus de vera Eccles. Reformation. fol. 322; ait: *Non absre contendimus, ita saculis aliquot laceratam, & dissipatam fuisse Ecclesiam Dei, vt destituta fuerit veris Pastoribus.* Idem sentit Beza de Notis Eccles. volum. 3. fol. 147. Sadeel Respons. ad artic. abiurat. fol. 533; Danæus controu. 3. fol. 426; Lutherus lib. 5. de Ecclesia capit. 5. & alij.

66 Hoc cum Scriptura pugnare, patet, tum ex illo Hieremiæ 33. ver. 21. *Hæc dicit Dominus: Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies, & nox in tempore suo, & pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius qui regnet in Throno eius, & Leuitæ, & Sacerdotes Ministri mei.* Et ad Ephesios 4. ver. 12. *Dedit Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis sui, donec occurramus omnes in vnitatem Fidei, & agnitionis filij Dei.*

67 Tum etiam ex Confessione Protestantium; Nam, Melancthon apud Lutherum tom. 1. fol. 483; ita dicit: *Vbi est Ecclesia, ibi necesse est instam ordinationem Ministrorum esse, quia Ordinatio Ministrorũ est inter dona Ecclesiæ propria, iuxta illud* Ephes. 4; *dedit Pastores, &c.* Et Kemnitius in exami. part. 2. tit. de Sacramen. Ordinis fol. 192; ait: *Ministerium docentium Euangelium ipse filius Dei perpetua vocatione vult in Ecclesia conseruari. Sic Paulus ait Ephesiorum* 4. Præterea, Caluinus sibi contradicens in epist. ad Ephes. 4. versu 13. dicit: *Hic admo-*

*admonet (*Paulus*) vsum ministerij non esse temporalem, sed perpetuum quandiu in mundo versamur.*

§. Vigesimustertius.

68 NEgant Protestantes Ecclesiam perpetuò durare, Ita Luther. in cap. 49. Geneſis tom. 6. fol. 666. dum ait: *Papa extinxit Ecclesiam. Tu excullatæ ſuſcitaſti* cum Catharina Borena; Beza cum Candida, & Audebertulo; Caluinus cum Idelletta, & Sodoma. O demẽtiam! Rurſus Caluinus lib. de ſcandalis (an fugiendis an imitandis videat ipſe) fol. 132; inquit: *Eouſque res deueniebat, vt palam esset conſpicuumque eruditis ſimul, & indoctis, verũ Ecclesiæ ordinẽ tunc interijſſe & proſtratum fuiſſe Chriſti regnum, cum erectus fuit hic principatus.* Idem autumat Beza in Confeſſ. cap. 5. ſect. 29; Danæus in Auguſtinum de Hæreſibus 49; Vuitakerus controu. 2. q. 4. cap. 3. fol. 489. vbi Eccleſiam non eſſe perpetuo duraturam, his verbis affirmat: *Nihil eſt vniuerſali Eccleſiæ promiſſum, quod nõ ſimiliter particularibus Eccleſij promittitur.* Cõsentit Caſtalio lib. 2. de Eccleſ. fol. 151; dicendo: *Falſum eſt, Eccleſiam nunquam interruptam iri.* O belluinam ſententiam tanto doctore dignam!

69 Hoc è diametro cum Scriptura pugnat, vt patet, tum ex illo Matt. 16. ver. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram edificabo Eccleſiã meã, & portæ inferi non preualebunt aduerſus eam,* Lucæ 1. ver. 33. Angelus ad Virginem de Chriſto ait: *Regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis.*

70 Tum etiam ex Confeſſione Aduerſariorum; Nam Vuitakerus ſe ipſum deſtruens, controuer. 2. q. 3. cap. 2. fol. 476; ita inquit; *Qui negat, aut dubitat Eccleſiam eſſe in æternum fundatam, & perpetuò duraturam, is non eſt Chriſtianus.* Dicam ego. ergo tu non es Chriſtianus Vuitakere qui hoc ſupra negaſti.

§. Vigesimusquartus.

71 NEgant præterea Proteſtantes, Eccleſiam fore perpetuò viſibilem; Ita Caluin. in Catechiſmo cap. de fide per hęc Verba: *Nec cernitur (*Eccleſia*) perpetuò oculis, nec ſignis dignoſcitur;* Et in præfat. Inſtitut. idem habet. Similitèr Danæus controu. 4. lib. 4. cap. 8. fol. 761; ait: *Vera Eccleſia deficere aliquãdo poteſt.* Idem aſſerit eadem cõtrou. lib. 3. cap. 12. fol. 716; dum dicit; *Deus ſæpe vult eſſe viſibilem aliquã Eccleſiam in terris, ſæpe nullam.* Sequuntur Caluinum, Scharpius de Iuſtific. controu. 5. fol. 81. Vorſtius in Ante-Bellarm. fol. 136; & alij.

72 Hoc tamen diſſentire à Scriptura, patet, tum ex illo Matt. 5. verſu 15. vbi Ieſus Chriſtus ad diſcipulos, ſeu ad Eccleſiam à ſe collectam, ait: *Vos eſtis lux mundi, non poteſt Ciuitas abſcondi ſupra montẽ poſita.* Et cap. 18. ver. 17. *Dic Eccleſiæ: Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.*

73 Tum etiam ex Aduerſariorum Confeſſione; Nam, Danæus, ſibi cõtradicendo, lib. de Viſibil. Eccleſia fol. 1604; ait: *Qui negat veram Eccleſiam Dei, eamque viſibilem ab initio mundi extitiſſe, ille proculdubio ſe vel primæ Sacrorum Bibliorũ paginæ ignarum oſtendit.* Et Reineccius tom. 4. Armaturæ c. 3. fol. 26; ait: *Teſtimonia Scripturæ docent, cœtum viſibilem nunquam penitus intercidere.*

§. Vigesimusquintus.

74 IMpiè dogmatizarunt Hæretici, aſſeuerantes, Eccleſiam poſſe errare etiam in fundamentalibus articulis Fidei; Ita Vuitakerus dũ controu. 2. q. 4. cap. 3. fol. 489; ait: *Deus Eccleſiæ hoc non promi-*

Digitized by Google

*sit:Vniuersalis Ecclesia errare potest.Ecclesia militans errare potest. Omnes Ecclesiarum Patres, & Episcopi errare possunt.Tota Ecclesia errare potest.*Rursus, Beza de Notis Eccles. volum. 3. Theoleg. fol. 139;inter alia,in margine scribit:*Posse aliquos errores in Ecclesiam irrepere, etiam in aliquo fundamentali capite fidei.* Hos, sequitur Danæus controu.4.lib.3.cap.17. fol. 733; Musculus in loc. tit.de Ecclesia tom. 1.fol.588. Academia Nemausiensis in Resp. ad Turnonios fol. 653; & alij.

75 Hoc esse contra Verbum Dei Scriptum, patet euidentèr; tum ex illo Isaiæ cap. 69. ver.vltimo:*Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus:Spiritus meus qui est in te:& verba mea quæ posui in ore tuo,non recedent de ore tuo & de ore seminis tui, dicit Dominus amodò, & vsque in sempiternum.* Matt. 16.versu 16.*Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*Ioann.16.ver. 13. *Cùm venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem.*Primæ Timoth. 3.v.15.*Quæ est Ecclesia Dei viui,columna, & firmamentum veritatis.*

76 Tum etiam,ex doctrina eorundem Protestantium;nam, Caluinus 4.Institut. cap. 1. §. 10. contra suos Assectas sup. in hoc §. recensitos,sit ait:*Quibus verbis (*1. Timoth*) Significat Paulus,ne intercidat veritas Dei in mundo,Ecclesiam esse fidem eius custodem.*

§. Vigesimussextus.

De Sagramentis.

77 PErtinacitèr negant Protestantes,aquam,vel inuocationem Sanctissimæ Trinitatis, esse necessariam ad Baptismum; Ita *Beza* epist. 2. volum.3.Theolog;per hæc verba:*Desit etiam aqua, & tamen Baptismus alicuius differri cum edificatione non possit, nec debeat, ego certè quouis alio liquore non minus ritè quam aqua baptizarim.* Polanus in sylloge Thesium part.2.fol.556.ait:*Materia Baptismi externa, & sensibilis est aqua, aut ea deficiente, alius liquor analogicus.*Idem sentit Festus Hominus, in disp. 45. fol. 273. & alij Caluinistæ. His fauet Lutherus in colloqui. Mẽsalibus cap.15. Riuettus trac. 3. sec. 3. fol. 705; & Sadeel in Artic. *Abiurat.* 11. fol. 429... Quantum ad secundum,scilicet,quòd non requiratur ad *Baptismum Inuocatio* Sanctissimæ Trinitatis, expressit Lutherus de captiuit. Babil.tom.2.fol. 75. per hæc verba: *Quocumque modo tradatur Baptismus, modo non in nomine hominis, sed in nomine Domini tradatur,verè saluum facit &c.* Caluinus de vera Ecclesiæ Reformatione fol. 325.ait: *De forma Baptismi disputantes (*Papistæ*) in nudam verborum pronunciationem insistunt, ac si Christus cùm Apostolos in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti baptizare iussit, magicum nescio quod carnem dictasset.* Sequitur eum Vorstius in Antibellarm. fol. 366.;& Polanus in disput. priuat. Disp. 30. & alij.

78 Hoc, Scripturis contradicit, verboque Dei aduersatur, vt patet, tum ex illo Ioann. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto,non potest introire in Regnum Dei.* Ephes. 5. v. 26. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ:* Et Matt. vlt. v. 10. vbi prescribitur forma Baptismi, per hæc verba: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti.*

79 Tum etiam ex Protestãtium confessione; nam, Reineccius tom. 4. *Armaturæ* cap. 18. fol. 201. ait: *Beza deficiente aqua, alium liquorem assumi licere, vanissimè opinatur.* Et postea, hoc suum dictum probat, ex multis scripturæ locis.Imò Beza ipse sibi contrarius,lib. quæstion. & Responsionum volum.3. Theolog. fol;

348.

Digitized by Google

348; inquit: *Si quispiam in Trinitatem non baptizaret, aut pro aqua, præsertim sciens prudens, nescio quid aliud usurparet prorsus diuersum, non esset hic certè Baptismus à Christo institutus.* Paræus in Collegi. Theolog. 9. disp. 22. dicit: *Baptismum aquæ tantum in nomine Patris & filij & Spiritus Sancti iuxtà Christi institutionem administrari debere, nemo quidem Christianus ambigit.* Hæc illi, pro veritate.

§. Vigesimusseptimus.

80 BAptismum esse Infantibus necessarium, negãt; Ita Confessio Scotica Generalis fol. 159, vbi dicitur: *Detestamur, & repudiamus crudele ipsius (* Papæ *) iudicium contra infantes sine Baptismo morientes, Baptismi absolutam quam asserit necessitatem &c.* Lobechius in Disp. 11. fol. 239; & alij Lutherani in colloquio Ratisponensi; Caluinus de vera Eccle. Reformati fol. 325; (ait) *Qui ita necessarium statuunt Baptismum, vt à spe salutis excludant, nisi qui eo tincti fuerint; in Deum sunt contumelioſi.* Idem repet. in Marc. 16. v. 16. & in Refutat. Catalani fol. 385. vbi affirmat, infantes saluari absque Baptismo. Petrus Martyr in Thesibus fol. 1008. inquit: *seruantur Christianorum paruuli & si pereant ante baptismum.* Ita alij Caluinistæ, vt Beza cont. Vuesphal. volum. 1. Theolog. fol. 256. Danæus controu. de baptism. fol. 368. & alij.

81 Hoc, aduersari Scripturæ, patet; tum ex illo Ioann. 3. v. 5. *Amen Amen dico tibi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.*

82 Tum etiam, ex propria Protestantium confessione; nam, Philippus Melãcthon in Cathecheſi. tom. 3. fol. 24. ait: *Respondeo: Infantibus baptismum necessarium esse, quia mandatum Christi, est vniuersale Ioann. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Vrbanus Regius in epist. ad Hemiges tom. 2. fol. 87. inquit: *Ecclesia Catholica ex Scripturis rectè credit, quod baptismus sit necessarius ad salutem.* Et in Catechismo minore, tom. 1. fol. 104. & 107. idem habet. Ita etiam Hutterus in sua Analysi fol. 394. Adamus Franciſci in Margarita loc. 15.

§. Vigesimusoctauus.

83 NEgant Aduersarij Veritatis, quòd liberi fidelium, sint in statu damnationis, antequam baptizentur; Ita Caluinus lib. 4. Institut. cap. 16. §. 24. dum ait: *Infantes fidelium iam à matris vtero in fœdere continentur.* Et §. 31. inquit: *Qui nascuntur ex fidelibus, supernaturali gratia Sancti sunt.* Ita etiam alibi sæpè. Ei manus prebẽt Beza cont. Heshusium volum. 1. Theolog. fol. 307. vbi ait: *Ab vtero coram Deo Sancti sunt fidelium pueri*; Perkinsus de baptism. tom. 1. col. 842. Zuuingli. de baptismo tom. 2. fol. 91. Vorstius in Antibellarmino fol. 542. Hemingius in Enchyridio class. 3. fol. 322. & alij.

84 Hoc, esse contra verbum Dei scriptum, patet, tùm ex illo Ephes. 2. vers. 3. *Eramus natura filij iræ sicut & cæteri.* Roman. 5. vers. 12. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt.* Et vers. 15. *Si vnius delicto multi mortui sunt* &c. & vers. 18. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & vnius iustitiam* &c. Tùm etiam constat, ex voluntaria Nouatorum confessione; nam Schusselburgius lib. 1. Theolog. Caluinist. art. 18. fol. 65. ait: *Fidelium liberos ab vtero matris non esse Sanctos, multis rationibus ex verbo Dei demonstrari potest.* Qui igitur habent Scripturam nos, an vos Protestantes? Hæc illi pro veritate.

Digitized by Google

§. Vigesimusnonus.

85 ASseuerant Nouatores, quòd Baptismus non est lauacrum Animæ, nec abluit peccata; Ita Lutherus lib. de Captiuitate Babilon. cap. de Baptismo tom. 2. fol. 75. dicendo: *Baptismus neminem iustificat, nec vlli prodest.* Vrbanus Regius in loc. tom. 1. fol. 314. *Consequitur* (ait) *baptismum aquæ non abluere peccata.* Sic, & Lutherani quamplurimi. Caluinus item lib. 4. Instit. cap. 15. §. 10. ait: *Iam perspicuum est, quàm falsum sit per Baptismum solui nos & eximi ab originali peccato.* & §. 2. *Quis nos aqua ista mundari dicat?* Scriptura, Caluine. Hos sequuntur Beza in compendiario Catechismo vol. 1. Theolog. fol. 693. *Aqua* (inquit) *hæc abstergit ne peccata? Nequaquam.* Vinum quæris Beza. Sequitur hos & Danæus controu. de baptismo cap. 4. fol. 323. Piscator in thesib. loc. 25. fol. 404. Vuitakerus controu. 2. q. 6. cap. 3. fol. 566. & alij contra veritatem.

86 Hoc, verbo Dei scripto contradicit, vt patet, tùm ex illo Ephes. 5. v. 26. *Christus dilexit Ecclesiam & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Ad Titum 3. v. 5. *Secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti* 1. Petri 3. v. 21. *Quòd & nos nunc similis formæ saluos facit baptisma.* Actor. 2. v. 38. *Baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum* &c. & cap. 22. v. 16. *Baptizare, & ablue peccata tua.*

87 Tum etiam constat, ex propria Nouatorum confessione; nam, Beza in Præfat. 2. part. Responsionũ ad Acta Colloquij Montisbelgart. fol. 11. se ipsum destruens, ait: *Baptismum esse lauacrum regenerationis, quòd expressis verbis testatur Apostolus, ecquis vnquam Christianus est inficiatus? Tu, nequam.* Vt dixi sup. Schusselburgius lib. 1. Theol. Caluin. art. 18. fol. 61. inquit: *Hanc blasphemiam Caluinistarum*, quod baptismus non abluat peccata, *Spiritus Sanctus in multis locis refutat.* Idem sentit Grauerus in absurdis Caluinisticis cap. 14. sect. 10; Et Marcus Anton. de Dominis lib. 5. de Republica cap. 4. num. 27. inquit: *Sacramenta efficere sua modo, hoc est, vt diuina instrumenta, gratiam, & hanc ex opere operato, hoc est, ex se & non ex merito ea suscipientis, sed dispositi, fuit Ecclesiæ Catholicæ etiam purè & incorruptè sensus perpetuus, ex ipsa Sacra Scriptura manifestè habitus est & eductus.* Hæc illi pro veritate.

§. Trigesimus.

88 NEbulones Protestãtici, de Eucharistia, negant, quòd sit Corpus Christi; Ita Melanchthon in epist. ad Comitem Palatinum apud Petrum Martyrem, in Dial. col. 112. & apud Hospinian. part. 2. histor. fol. 260. vbi ait: *Paulus non dicit, vt Bremenses, panem esse substantiale Corpus Christi: non dicit, vt Heshusius, panem esse verum Corpus Christi.* Hospinianus ipse loc. cit. fol. 61. inquit: *Panis Cœnæ non est substantiale Corpus Christi.* Idem habet Bucerus apud eundem ibidem, cont. proprium Præceptorem Lutherum; consentit Oecolampadius ibidem fol. 118. His manus præbet Caluinus, qui in cap. 3. Matt. v. 16. ait: *Vocatur panis Sacræ Cœnæ, Corpus Christi, non quia sit, sed quia testatur nobis verè dari.* Igitur si testatur, eius testimonium verum erit, ergo verè ibi est Corpus Christi. Si verè ibi non est, ergo Christi, & Scripturæ testimonium verum non erit. Quid dicis Caluine? vel Scripturam neges opus est, vel victus à veritate verum Christi Corpus in Eucharistia nobiscum adora. Caluinum delirantem sequuntur Beza in Catechis. compen-

Digitized by Google

pendiario sect. 9. volum. 1. Theolog. fol. 693; Danæus cõtrou. de Eucharist. cap. 10. fol. 546; Petrus Martyr cont. Gardinerum coll 147. Volanus lib. 1. cont. Scargam fol. 793, Iuuellus in defens. Apolog. part. 2. cap. 10. diuisione 1. fol. 209. Bellus in Antepasto Iesuitico fol. 44; Musculus in locis tit. de Signis tom. 1. fol. 607. vbi dicit: *Panis cœna Dominica non est ipsum Corpus Christi*. Hæc Orthodoxæ Veritatis Hostes.

89 Hoc, quã manifestissimè Scripturis Sacris contradicit, vt patet, tum ex illo Matt. 26; versu 26. Marci 14. versu 22. Vbi Dominus Iesus de eo quod manibus suis porrigebat Apostolis manducandum, dixit: *Hoc est Corpus Meum*. & Lucæ 22. vers. 19. *Hoc est Corpus Meũ quod pro vobis datur*. Et primæ Corinth. 11. versu 24. *Hoc est Corpus Meum, quod pro vobis tradetur*. Rursus, Ioann. 6. ver. 51. *Panis quem ego dabo, Caro Mea est pro mundi vita*. & vers. 55. *Caro Mea verè est cibus, & Sanguis Meus verè est potus*. Præterea, Matt. 26. versu 28; de eo quòd Christus porrigebat bibendum, dixit: *Hic est Sanguis meus Noui Testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; Et Marci 14. versu 24; & Lucæ 22. versu 20. *Hic est Calix Nouum Testamẽtum in Meo sanguine, qui pro vobis fundetur*, & primę Corinth. 11. versu 25. *Hic Calix Nouũ Testamentum est in Meo Sanguine*.

90 Tum etiam, quia illud esse contra Scripturã ipsimet Protestãtes, sibi ipsis contradicendo, fatentur; Nam, Beza apud Hospinian. p. 2. Histor. fol. 300; cùm interragaretur, an improbaret, quod quis diceret: *Panis cœnæ est Corpus Christi*; *Respondit*: *Minimè: sunt enim Verba Christi*. Et Hospinianus, item sibimet contrarius, loc. supra citato fol. 156. ait: *Non negamus Panem, & Vinum esse Corpus & Sanguinem Christi. Ipse n. Christus dixit: Hoc est Corpus Meũ*. Et Musculus, sibi inconstans, manifestè fatetur illud esse contra Scripturam, nam loc. sup. cit. in locis tit. de Cœna fol. 651; ita scribit. *Non licet, vt dicam panem Cœnæ non esse Corpus Domini: hoc enim dicens, contradicerem Domino dicenti: Hoc est Corpus Meum. Item, Alioquin Panis non esset Corpus Domini, contra expressum ipsius Verbum*. Caluinus item, se ipsum iugulans, in Admonit. vltima ad Vuestphalum fol. 812; inquit: *Quin voluerit Christus clarissimè loqui* (de Veritate sui Corporis in Eucharist. vt pat. ex contextu) *non inficior*. Et Zuuinglius in explanat. art. 18; ait: *Quid clarius dici potest, quàm: Hoc est Corpus Meum? Ita ne? Quare aliò hoc ipsum negas?*

§. Trigesimus secundus.

91 SAcratissima illa Verba cõsecrationis: *Hoc est Corpus Meum*: Sic peruersè exponi debere blasphemant Protestantes: *Hoc significat Corpus meum*; Ita Caluinus in forma administrãdæ Cœnæ fol. 41; dicendo: *Satis habemus, si panis ac vinũ nobis pro nota, & signo datur*. Sic, & idem alibi sæpè. Idem autumat Zuinglius dè cœna tom. 2. fol. 289. *Panis (ait) figura tantumodo est, qua Corpus illud significatur cuius nos recordari oportet*. Idem, idem repetit fol. 292; & alibi. Hos sequuntur omnes Sacramentarij contra Veritatem.

92 Hoc tamen aduersari expresso Dei Verbo Scripto, patet ad oculum, tum ex locis adductis in præcedenti §. *Hoc est Corpus Meum quod pro vobis datur*. Lucæ 22. versu 19. & *Hic est Sanguis Meus Noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionẽ peccatorum*; Matt. 26. versu 28. Non enim in his testimonijs, & in facto esse, figura corporis est Tradita in nostræ salutis pretium, sed ipsum verum Christi Saluatoris Corpus: Nec figura Sanguinis est effusa in remissionem peccatorum, sed verus ac realis Christi Domini Sãguis.

93. Tum

93 Tum etiam, ex ipsa Aduersariorum confessione, qui hanc impiã expositionem respuunt; nam, hoc, (se ipsos iugulantes) fatentur Caluinus, & Zuuinglius locis adductis in fine præcedentis §. Rursus Beza item Sacramẽtarius, contra se, suosque, in Repetit. Saintis fol. 8. ait: *Christus non potuit expressiùs, aut significãtiùs de Sacramentis loqui.* Et cõtra Selneccerũ, inquit: *Si de verbo (cœnæ) quæritur, nullum sanè expressiùs habemus.* Idem fatetur Musculus in locis tit. de Cœna; & apud Schusselbugium lib. 1. Theolog. Caluinisticæ art. 22. fol. 102. dum ait: *Cauenda est expositio illa, qua verba Christi idem esse putantur, ac si dixisset: Hoc significat corpus meum: nam hoc non agit Christus, vt ostendat panem hunc significare corpus suum.* Hæc Musculus sibi contrarius, vt patet ex supradictis. Idem fatentur alij Protestantes, vt Perkinsus de cœna colum. 858. Hospinian. part. 1. Histor. cap. 2. Hinc Kemnitius in examine concil. part. 2. tit. de Missa, loquens de his Christi verbis, ait: *Quæ dementia est, à simplici sententia quæ habet certa, & manifesta Scripturæ testimonia discedere, & comminisci peregrinam explicationem?* Quæ ergo vos dementia cæpit ô Coridon Caluine, ô Protestantes, peruersam hanc explicationem comminiscendo? Tandem audite quid de vobis, quid de vestra hac verborum cœnæ explicatione dixerit vester ille Protestans Matthias Illyricus; Is enim in sua Glaue Scripturæ parte 2. tract. 4. colum. 283. per hæc verba, vestram ignorantiam arguit: *Nihil (ait) facilius est quàm dicere, Tropus est, figura est, modus quidam dicendi est, Hebraismus est, vt grauiter Augustinus monet.* Hæc Protestantes, pro veritate Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia; & pro Romano-catholicis; contra se, ac suos.

§. Trigesimus secundus.

94 PRæfrictæ frontis Nebulones, negant Christum Dominum nostrum, dedisse nobis verum suum Sanctissimum Corpus ad edendum, & verum suum pretiosissimum Sanguinem ad bibendum; Ita Zuuinglius lib. de Religione cap. de Eucharistia tom. 2. epistola ad Bellicanum fol. 264. dum ait: *Docemur, corpoream Christi Carnem edi nulla ratione posse.* Et fol. 296. *Scimus (inquit) Christum carnem suam ad manducandum non dedisse vnquam.* Beza in Responsion. ad Acta Torgentia volum. 3. fol. 56. dicit: *Quod ore comeditur, nihil ad vitam æternam, aut spiritualem facit.* Et in Apolog. cont. Saintem volum. 2. fol. 294. ait: *Quod ipsi in hac materia non nisi inuiti vtuntur nomine substantiæ: nempè cùm dicunt substantiam Corporis, vel Sanguinis Christi comedi, & bibi.* Idem sentit Caluinus in defensione 2. cont. Vuesphal. fol. 774. dicendo: *Efficaciter dixi exhiberi in Cœna Christi corpus, non naturaliter, secundum virtutem, non secundum substantiam;* ac proinde ait, non verè manducari. Idem fatentur alij contra Orthodoxam veritatem. De Sanguine Christi Zuuinglius in subsidio tom. 2. fol. 245. ait: *Christus non præbebat Sanguinem testamenti ad bibendum.*

95 Hæc omnia expresso Dei Verbo Scripto contradicere, patet, tum ex illo Matt. 26. v. 26. vbi Christus ait: *Accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum.* Et v. 28. *Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus.* Ioann. 6. v. 53. *Nisi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et v. 56. *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus.* Quid per Deum immortalem dici poterat explicatiùs? Et Matt. cap. 26. v. 28. *Accipiens Calicem gratias egit, & dedit illis*

Digitized by Google

illis dicens; Bibite ex hoc omnes, hic est enim Sanguis meus Noui Testamenti.

96 Tum etiã patet ex manifesta Protestantium confessioni; nam Caluinus sibi contrarius lib. de necessitate Reformati. Ecclesiæ (ò bellum Licurgum) fol. 57. ait: *Christus Apostolis clara voce pronunciauit, suum illis corpus se dare.* Item Beza se ipsũ destruens epist. 5. dicit: *Ego vero respondeo perinde hoc esse, ac Christum mendacij arguere; vt qui claris, & perspicuis verbis dicat, se illud ipsum corpus dare quod traditum est pro nobis.* Et Apologia prima contra Saintem fol. 292. ait; *Negare omnem carnis mãducationem, esset ipsa Christi verba manifestè inficiari.* Hæc Protestantes contra se, ac suos, pro Orthodoxa Romano-Catholica veritate.

§. Trigesimustertius.

97 NEgant quoque, quòd Calix Eucharistiæ, sit nouum Testamentum: Ita Zuuingli. in subsidio fol. 245. *Poculum (ait) Hoc non erat sanguis testamenti, neque ipsum testamẽtum.* Beza in Colloquio Montisbelgart. fol. 38. inquit: *Miror Cœnam Domini à te testamentum appellari, quod mihi planè nouum videtur.* Molinæus de Eucharist. cap. 2. fol. 6. dicit: *Nec Calix, nec id quod intus est, potest esse testamentum quoad substantiam.* Hæc Hostes, contra veritatem.

98 Hoc esse contra expressa Scripturæ testimonia; patet, tum Lucæ 22. v. 20. vbi Christus dixit: *Hic est Calix nouum Testamentum in meo sanguine.* Primæ Corinth. 11. v. 25. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine.*

99 Tum etiam, ex ipsa Aduersariorum confessione; nam, Simlerus apud Hospinianum part. 2. Histor. fol. 348. habet hæc verba: *Horũ verborum, quæ citauimus ex Scriptura, genuinus sensus est: Poculum esse nouum Testamentum, scù Sanguinem noui Testamenti.* Iacobus Andræ in Colloquio Montisbelgartensi fol. 38. ait: *Mihi prorsus nouum, & inauditum videtur, quod Cœna Domini Testamentũ Christi esse negetur, contra aperta verba ex Luca recitata.* Idem fatetur Musculus Caluinista in loc. tit. de cœna fol. 361. dicendo: *In Luca, & Paulo prædicatur de hoc poculo, quod sit nouum Testamentum.* Hæc Aduersarij pro veritate.

§. Trigesimusquartus.

100 FIlij tenebrarum, negant, matrimonium esse vnũ ex septem Sacramentis Ecclesiæ; Ita Confessio Heluetica cap. 19. *Matrimonium (ait) agnoscamus esse institutum Dei vtile, sed non Sacramentum.* Caluinus in sua Confessione fol. 111. inquit: *Ex Sacramẽtorum numero matrimonium expungimus.* Idem sentiunt Beza de Diuortijs volum. 2. Theolog. fol. 88. Iuellus de Defens. Apolog. par. 2. c. 8. sec. 2; Et alij Protestantes.

101 Hoc, verbo Dei Scripto aduersari, patet, tum ex illo Ephesi. 5. v. 31. *Propter hoc relinquet homo Patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*

102 Tum etiam ex Aduersariorum confessione; Nam confessio Vuittembergica cap. de coniugio, ita ait: *Fatemur coniugium esse genus vitæ diuinitus institutum, & approbatum, & esse Mysterium, vt vulgo exponi solet, Sacramentum magnum in Christo & Ecclesia sicut Paulus ait.* Hæc pro veritate.

§. Trigesimusquintus.
De fide.

103 PRotestantes negant, fidẽ posse esse sine bonis operibus.

Digitized by Google

ribus. Ita Lutherus in Galat. 5. tom. 5. fol. 407. dum ait. *Quis ferat doceri, quòd fides donum Dei per spiritum Sanctum infusum cordibus possit stare cum peccato mortali?* Ergo Lutheræ in tua sententia, cum omnia opera nostra sint peccata, & vniuersi sint in peccato, nulius habebit fidem, neque tu, neque tui. Perijt ergo fides. Cogita quæ dicis nebulo. *Apologia* item Confess. Augustanæ cap. 5. *Sõniant* (inquit) *fidem posse stare cum peccato mortali*. Caluinus in *Antitodo* Concil. sess. 6. fol. 280. ait: *Nihilo magis fidem à Charitate separabunt, quàm Christum à Spiritu Sancto.* Idem sentiunt *Beza* primæ Corinth. 13. v. 2; Petrus Martyr in Roman. 11. fol. *636.* in folio. *Iuellus* in defens. Apolog. part. 2. cap. 20. sec. 1. & alij.

104 Hæc omnia esse cõtra Scripturam, patet, tum ex illo *Iaonn.* 12. v. 42; vbi dicitur de Principibus quibusdam, qui credebãt in Christum, sed eum non confitebantur: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei*. Primæ Corinth. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes tranferam, Charitatem autem non habuero: nihil sum*. Iacobi 2. v. 2. *Quid proderit si fidem quis dicat se habere opera autem non habet?* Quibus testimonijs euincitur, posse esse fidem, sine charitate, & bonis operibus, quam *Tpeologi* vocant, fidem informem, quia non informatur Charitate quæ est forma omnium virtutum.

105 Tum etiam ex Protestantium confessione patet, illud aduersari Scripturæ; Nam, *Schusselburgius* lib. primo *Theolog. Caluinisticæ* artic. 15. fol. 69; inquit: *Aretius asserit fidem, & bona opera coniuncta esse vt species, & sua proprietas, vt homo, & sua ratio: Nos vero ex verbo Dei docemus, & discimus id dogma esse falsum.* Hæc Lutheranus iste, contra Lutherum, *Aretium*, & reliquos suos Conreligionistas, pro veritate Orthodoxa.

§. Trigesimussextus.

105 ACtum Fidei, esse actum virtutis, & imputari nobis ad iustitiam, Negant veræ Fidei hostes; Ita Sadeel ad art. 44. abiurat. fol. 480; per hæc Verba; *Non actio. seu opus Fidei nostræ, ideſt, nostrũ credere nos instificat.* Perkinsus in Galat. 3. tom. 2. col. 126; ait; *Actus credẽdi non est nostra Iustitia.* Ita, & alij etiam Lutherani.

106 Hoc, esse contra manifesta Scripturæ testimonia, patet, tum ex illo Roman. 3. versu 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Ibidem versu 5. *Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur Fides eius ad Iustitiam*. Et v. 9. *Reputata est Abrahæ fides ad iustitiam.* Item Galat. 3. v. 6.

107 Tum etiam ex doctrina Protestantium; Nam, Lutherus ipse, cõtra suos in cap. 15. Genes. tom. 6. fol. 177; ait: *Spiritus Sanctus testis Fide dignus affirmat, hoc ipsum credere, seu hanc ipsam Fidem esse iustitiam seu imputari ab ipso Deo pro iustitia, & haberi pro iustitia.* Præterea, Vrbanus Regius in loc. fol. 40; dicit: *Fides non simulata in misericordiam Dei, & Iesum Christum, ipsissima est iustitia nostra; credenti imputatur Fides ad iustitiam: Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iustitiam*. Nota hic, quòd aliud est Fidem imputari ad iustitiam, hoc est actum credendi esse actum iustitiæ; aliud accipere iustitiam per Fidem. Primum verum est, secundum falsum, vt aduertit Doctissimus Stapletonius in *Antitodo* ad Rom. 4. v. 5. Hæc illi pro Veritate Orthodoxa.

§. Tri-

Digitized by Google

§. Trigesimusseptimus.

De operibus.

108 TOtius mali fautores, negant, bona opera esse necessaria ad salutem; Ita Lutherus in Galat. primo tom. 5. fol. 286. vbi habet: *Pseudoapostoli docuerunt praeter fidem in Christum opera legis diuinae necessaria esse ad salutem.* Hunnius de Iustificat. fol. 187; ait: *Hanc propositionem, qua praedicatur Opera ad salutem necessaria, vt cumque pingatur, & fingatur, eliminandam censeo ex Ecclesia* (adde) Brutorum. Vt est Lutherana. Idem quod supra, sentiunt Lobechius Disp. 9. fol. 198. Herbrandus in compend. Theolog. loco de bonis oper. fol. 6. & 7. Illiric. in Claue Script. par. 2. trac. 6. colum. 545. Schusselburg. Hutterus, & alij Lutherani. His manus praebent Caluinus in Antitod. Concil. sess. 6. can. 20. fol. 291; vbi ait: *In eo differt à lege Euangelium, quia non sub conditione operum sicut illa, sed ex fide vitam promittat.* Paraeus lib. 3. de Iustific. cap. 12. fol. 815. Foxus in Actis editis an. 1610. fol. 1143. & alij Caluinistae contra Veritatem Orthodoxam.

109 Haec omnia, esse contra expressum Verbum Dei Scriptum patet, tum ex illo Matt. 15. ver. 21. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisaeorum non intrabitis in Regnum Caelorum.* Et cap. 18. versu 3. *Amen dico vobis: nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum Caelorum.* Et cap. 19. versu 17. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Hebraeor. 10. versu 36. *Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* Et cap. 12. versu 14. *Pacem sequimini cum omnibus, & Sanctimoniã, sine qua nemo videbit Deum.*

110 Tum etiam constat, ex Cõfessione Aduersariorum; nam, Piscator in thesibus loc. 10, ait: *Scriptura tradit bona opera ad Salutem necessaria esse.* Ita statuunt etiam Electorales in colloquio Aldeburgico. Haec pro Veritate.

§. Trigesimusoctauus.

111 NEgant praeterea Protestãtes, bona opera esse causam salutis; Ita Lutherus in Galat. 2. tom. 5. fol. 308. per haec verba: *Hoc modo liberamur à peccato, iustificamur, & donatur nobis vita aeterna, non propter nostra merita, & opera, sed propter fidẽ.* Illyricus in Claue Script. part. 2. trac. 6. col. 547. ait: *Nemo propter sua opera saluabitur.* Consentiunt Schusselburg. tom. 8. Catalog. Haeretic. fol. 488; Herbrandus in compen. Theolog. loc. de bonis operibus fol. 343; Hunnius de Iustific. fol. 286. & alij Lutherani. His subscribit Caluinus in Roman. 4. v. 16; dicendo: *Si per opera nobis eueniat hereditas salutis, collabetur eius fides, abrogabitur eius promissio.* Beza in sua Confess. cap. 4. sect. 19, Petrus Mart. in Rom. 9. fol. 349. in folio; Zanchius, Vuitakerus, Perkinsus, & alij veritatis oppugnatores.

112 Hoc tamen è diametro aduersari apertissimis Scripturae testimonijs, patet, tum ex illo Matt. 25. v. 23. *Quia super pauca fuisti fidelis supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* & v. 34. *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mũdi; exuriui enim, & dedistis mihi manducare &c.* Roman. 8. v. 10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero viuit propter iustificationem.* 2. Corinth. 4. v. 17. *Quod in praesenti est momentaneum, & leue tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Et cap. 6. v. 10. *Quae secundùm Deum est tristitia paenitentiam in salutem stabilem operatur: saeculi autem tristitia mortem operatur.* Galat. 6. v. 8. *Qui se-*

minat in carne sua, de carne, & metet corruptionem. Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternã. Philipp. primo v. 28. *Et in nullo terreamini ab aduersarijs, quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo.* Et cap. 2. v. 12. *Cum metu, & tremore salutem vestram operamini.*

113 Tum etiam patet ex Protestantium confessione; nam, Matthias Illiricus, sibi ipsi contrarius, tractatu 6. citato, titulo de varia bonorum operum predicatione, fol. 551; ait. *Bonis operibus nimios quosdam effectus aut laudes, atque adeo ipsam salutem* in scripturis *tribui audimus liquidò patet, sæpissime aliquid nimiæ laudis bonis operibus ascribi, quod illis nequaquam conuenit, nec ascribendum est, si exactè, verè, ac propriè loquendum est.* Vides ne, quomodo dicat, Scripturam tribuere nimios effectus bonis operibus, tribuat eis ipsam salutem, tribuat eis nimias laudes, & effectus qui operibus non conueniunt, nec tribui possunt &c? Si ergo Scriptura, & tribuit nimium operibus, & quæ ijs non conueniunt, & quæ tribuenda non sunt, an non asserit iste Protestans, quod Scriptura falsò illa omnia attribuit? ac proinde falsum continet? ò impudentiam? ò prefrictæ frontis audaciam?

§. Trigesimusnonus.

114 RVrsus negant, quod opera bona sint meritoria; Ita Lutherus de seruo arbitrio tom. 2. fol. 480; dum ait: *Nullum est meritum prorsus.* Zuuinglius in expositione Fidei tom. 2. fol. 558. *Constat (*ait*) meriti aut premij nomen haberi in diuinis literis, sed loco liberalis doni.* Caluinus 3. Instit. cap. 16. §. 2; inquit: *Hominibus merendi opinionem tollimus.* & cap. 17. §. 3. *Seruorum. Dei opera probrum magis quàm laudem perpetuò merentur.* Idem alibi sæpe. Sequuntur eum Beza in primũ Ioann. primo v. 9. Perkinsus in Catholico Reformato controu. 5. cap. primo & Scharpius de Iustific. controu. 15. fol. 218. & alij.

115 Hoc contrariari Scripturæ, patet, tum ex illo Ecclesiast. cap. 16. v. 14. *Omnis misericordia facit locum vnicuique secundum meritum operum suorum.* Hebræ. 13. v. 16. *Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus.*

116 Tum etiam, ex Protestantium Confessione; Nam, Apologia Confession. Augustanæ Melanctonis loc. 3. fol. 78; ait: *Cum opera sint quædam impletio legis, rectè dicuntur meritoria, rectè dicitur eis deberi merces.* Et fol. 79. inquit, quod *Textus Scripturæ ait, operibus reddi vitam æternam.* Hæc pro nobis Aduersarij.

§. Quadragesimus.

117 DE ijsdem bonis operibus negant, quòd sint facienda propter Deum; Ita Lutherus tom. 2. lib. de votis fol. 280. dũ ait: *Fidelis conscientia opera sua bona apprehendit (* ergo aliqua opera nostra bona sunt; at hoc alibi negasti Excucullate*) & dictat esse facienda gratis, ad comodum solum proximi, & ad exercendum corpus.* Et in primam Petri primo tom. 5. fol. 449. *Coram Deo (*ait*) vacandum ab operibus, ergæ proximum ijs sedulo incumbendum.* Et postill. in Dominicam 4. post Trinit. fol. 289. dicit: *Ad vnum hominem veniunt dirigenda (*opera*) nõ ad Deum.* Non vult ergo Lutherus facienda esse bona opera, vt in illis, & per illa glorificetur Deus. Hæc illæ, cum alijs Protestantibus, contra Veritatem.

118 Hoc tamen manifestè pugnare cum Sac. Scriptura, patet, tum ex illo primæ Corinth. 10. v. 31. *Sive manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Matt. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram*

coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

119 Tum etiam ex confessione Aduersariorum; nam, Kemnitius in locis tit. de bon. operib. part. 2. fol. 18. ait: *Testimonia Scripturæ manifestissimè docent, quod bona opera propter Deum sunt facienda.* Hæc pro veritate.

§. Quadragesimus primus.

De Virginitate.

120 FOedus iste Protestantiũ grex, negat Virginitatem Consuli in Scriptura; Ita Lutherus lib. de votis tom. 2. fol. 272. vbi ait: *Consilia quæ illi (scilicet Papistæ) fingunt, fermè sunt quæ Christus Matt. 5. docet, his adde Virginitatem, & continentiam; esse autem hæc omnia non Consilia &c. primum hoc probat &c.* sequuntur eum sui; & Caluinus cum innumeris ex eodem grege cont. Veritatem.

121 Hoc, esse contra Scripturam, patet, tum ex illo primæ Corinth. 7. v. 25. *De Virginibus, Præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Et v. 36. *Si quis turpem se videri existimet super Virgine sua, quòd sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat, non peccat si nubat.*

122 Tum etiam, ex Protestantiũ Confessione; nam, Vrbanus Regius in loc. tom. primo fol. 372. inquit: *Virginitas consulitur in Euangelio, non præcipitur.* Et in interpretatione locorum fol. 49. dicit: *Virginitas consilium tantùm, non præceptum est.* Hæc pro veritate.

§. Quadragesimus secundus.

De Peccato.

123 PEccatum, posse manare simul cum iustitia autumant Nouatores; Ita Lutherus in Galat. cap. 3. tom. 5. fol. 335; dum ait: *Christianus simul iustus, & peccator, amicus, & hostis Dei est. Hæc contraria nulli sophistæ admittunt, quia veram rationem iustificandi non tenent.* Idem fatetur Caluinus in Matt. cap. 17. v. 24; dicendo: *Cùm nusquam perfecta extet fides, sequitur ex parte esse incredulos.* Beza lib. Question. fol. 672. ait: *In vno eodemque subiecto, diuersis tamẽ respectibus, sunt puritas & sordes, lux & tenebræ, fides & incredulitas.* Idem sentiunt Petrus Martyr in loc. Clas. 2. cap. 15. §. primo Paræus lib. 4. de Iustific. cap. 17. fol. 1139; Abbotus in Diatribam Thomsoni cap. 25. fol. 214; qui ait: *Peccatum cum Iustitia habitat in nobis.* Hæc Hostes contra Veritatem.

124 Hoc tamen aduersari Scripturæ, patet, tum ex illo 2. Corinth. 6. v. 14. *Quæ participatio Iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras?* Sapient. primo v. 4. dicitur, quod Spiritus Sanctus *non habitat in corpore subdito peccatis.*

125 Tum etiam patet, ex Aduersariorum Confessione, nam Lutherus sibi ipsi contrarius, in eodem prorsus loco, & pagina immediatè sequenti, ad locum citatum scilicet, in Galat. 3. tom. 5. fol. 336; ait: *Ista ex diametro pugnant: Christianum esse iustum, & amari à Deo, & tamen simul esse peccatorem.* Præterea ibidem dicit: *Quomodo simul vera sunt ista duo Contradictoria? Habeo peccata, & sum dignissimus ira, & odio Diuino, & pater amat me.* Hæc contra se, & suos Lutherus.

§. Quadragesimus tertius.

126 NEgant Protestãtes peccatum mortale eijcere hominem à gratia; Ita Academia Tigurina apud Zanchium tom. 7. colum. 704, vbi dicit; *Cum in Sanctis lucta Spiritus aduersus carnem sit perpetuò,*

petuò, consequitur spiritum in eis perpetuò manere, quamuis pondere carnis perpetuo vincatur. Caluinus in 2. Petri 2. v. 21; ait: *Peccant quidem, & fideles, sed non excidunt à Dei gratia.* Igitur, Caluine, peccatum mortale, non est offensa Dei. O dementiam! Sequuntur tamen eum Beza in Cõfess. cap. 4. sec. 20. Paræus lib. 3. de Iustific. cap. 14. fol. 871; Zanchius de perseuerantia Sanctorum tom. 7. col. 359; Perkinsus de Baptismo tom. primo colum. 819; Abbotus in Diatribam Thomsoni cap. 22. fol. 209. Scharpius contro. 6. de Iustific. fol. 94. & alij contra Veritatem.

127 Hoc tamen, expresso Dei verbo scripto contradicere, constat; tũ ex illo Galat. 5. v. 4. *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.* Ioann. 3. v. 8. *Qui facit peccatum, ex Diabolo est.* & v. 15. *Scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Numeror. 18. v. 22. *Vt non accedant vltra filij Israel ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum.* Roman. 5. v. 12. *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt.* Ephes. 2. v. 5. *Cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo.*

128 Tùm etiam patet ex Confessione Protestantium; nam, Hemingius in Enchiridio Class. 2. fol. 188. ita dicit: *Si conuersus labitur contra cõscientiam, vt Dauid Adulterio, & homicidio, excutit Spiritum Sanctum, & reus fit iræ Dei, & nisi rursus agat pœnitentiam, ruit in æternam pœnam:* Horrenda insania est dicere, tales retinere Spiritum Sanctum, cùm Paulus apertè dicat Galatas 5. *Manifesta sunt opera carnis, talia facientes Regnum Dei non possidebunt.* Hæc ille nobiscum.

§. Quadragesimusquartus.

De Iustificatione.

129 Dicunt Protestantes, quòd Iustificatio, vel gratia nos iustificans, nunquam amittitur; ita Bucerus apud Zanchiũ de perseuerantia cap. vltim. tom. 7. col. 172; ait: *Nihil vtilius, quàm prædicare, credentibus impossibile esse vt vnquam à gratia excidant.* Academia Heidelbergens. apud eund. col. 70. ibid; ait; *Electi semel in gratiam recepti ab ea postea non excidunt.* Caluin. 3. Instit. cap. 2. §. 11. ait: *Nunquam disperit semen vitæ in electorum cordibus insitum.* Et lib. primo cap. 14. §. 18 inquit: *Nego vinci vnquam vel opprimi à Satana fideles posse; vulnerantur, sed non lethaliter.* Subscribit Beza in Galat. 5. v. 4. Polanus in disput. priuatis period. 2. disput. 6. Perkinsus lib. de Descrtione colum. 126; Rainoldus thes. 2. fol. 77. & alij veritatis oppugnatores.

130 Hoc esse contra Scrip. patet, manifestè tum ex illo Matt. 12. v. 43. *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non inuenit: tunc dicit, reuertar in domum meam vnde exiui, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Ioann. 15. v. 6. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittet, & ardet.* Roman. 5. v. 22. *Vide in te bonitatem Dei, si permãseris in bonitate alioquin, & tu excideris.* Galat. 5. v. 4. *A gratia excidistis.* Apocalyp. 2. v. 5. *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam.*

131 Tum etiam patet ex Protestantium Confessione, nam, Confessio Saxonica cap. 11; habet hæc verba: *Ex dicto Luce 11. vadit, & assumit alios spiritus &c. & similibus dictis manifestum est, alios renatos contristare & ex-*

& excutere Spiritum Sanctum, & rursus abijci à Deo, at fieri reos iræ Dei, & æternarum penarum. Hæc illi pro veritate.

§. Quadragesimus quintus.

De vita æterna.

132 NEgant Protestantes, Vitam æternam esse mercedem; Ita Ministri Saxonici qui in Colloquio Aldeburgensi Scripto primo fol. 6. reijciunt hoc dogma, *Pro bonis operibus dari vitam æternam vt præmium, & compensationem.* Illiricus in Claue Scriptu. part. 2. trac. 1. col. 41. ait: *Vita æterna iam vocatur donum ac hereditas quod propriè est: iam præmium, quod est per accidens, & impropriè.* Ita etiam Gerlachius tom. 2. disp. 26. fol. 3095. Bullinger. Decade 3. serm. 9. fol. 150. & alij Lutherani. Quibus subscribunt Caluinus in Antitodo Concil. sess. 6. cap. 17. fol. 288. *Quod vitam (* ait*) æternam faciant mercedem, in eo ab illis dissentio.* Et 3. Instit. cap. 18. §. 3. *Intelligant (*inquit*) donum se gratiæ, non operum accepisse mercedem.* Petrus Martyr in Roman. 4. fol. 96; Piscator in thes. loc. 16. fol. 274. Imò Lutherus apud Scioppium in Ecclesiastico cap. 67. ait: *Si calum apertum viderem, idque culmo stramineo de terra sublato mereri possem, culmum nequaquam vellem tollere.* Hæc à vita æterna alieni, filij gehennæ, contra veritatem.

133 Hoc manifestissimè aduersari verbo Dei scripto, patet, tùm ex illo Matt. 5. v. 12. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cælis.* Roman. 2. v. 6. *Reddet vnicuique secundum opera eius, ijs quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Colossen. 3. ver. 24. *Quodcumque facitis ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes quod à Domino accipietis retributionem,* (Beza vertit *mercedem*) *hæreditatis.*

134 Tùm etiam ex Confessione Aduersariorum; nam, Apologia Cõfess. Augustanæ apud Melãcthonem tom. 3. fol. 78. ait: *Scriptura vitã æternam vocat mercedem.* Rursus ibid. *Nomen mercedis hac ratione conuenit vitæ æternæ, quia vita æterna compensat bona opera.* Idem docent Ministri Electorales in Colloquio Aldeburgico scripto 6. fol. 110. Hæc illi pro veritate.

§. Quadragesimus sextus.

De Inferno.

135 NEgant, quòd Infernus sit locus; Ita Lutherus serm. de Diuite, & Lazaro tom. 3. fol. 267. vbi ait: *Infernus nihil aliud esse potest, quàm fidei expers, & peccatis madens conscientia.* Brentius apud Hospinian. part. 2. histor. ann. 1562. fol. 308. ait: *Anilia vestra deliria de illo vestro corporali, & locali Cælo, & Inferno ridco.* Et fol. 331. inquit: *Infernus localis fictitius est.* Acquiescit his Lobechius disp. 6. fol. 133. Perkinsus in cap. 2. Apocalyp. tom. 2. col. 90. Bullinger. in repetit. consensus fol. 74. Quibus subscribunt Caluinus 2. Instit. cap. 16. §. 9. vbi inquit: *Concludere in carcere puerorum animas, puerile est.* Tillenus in Syntagmate cap. 6. fol. 69. & alij veritatis oppugnatores.

136 Hoc esse immediatè, & expresè contra Scripturam, patet, tùm ex illo Lucæ 16. v. 22. *Mortuus est Diues, & sepultus est in Inferno.* Et v. 28. *Habeo quinque fratres, vt testetur illis ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Et artic. Symboli: *Descendit ad Inferos.*

137 Tùm etiam, patet, ex Confessione Aduersariorum, nam Bucanus loc. 40. fol. 452. sic dicit: *Infernus est certus locus abditus, & horribilis, dam-*

damnatis hominibus, & Angelis malis ad pœnã æternam (audite miseri Protestantes *) à Deo destinatus numerorum* 16. 30. 33. *Matthæi* 8. 12. *&* 28. 41. 2. *ad Tessalon.* 1. 9. Piscator etiam in locis lib. 1. loc. 22. ait: *Quòd damnati cruciatus istos perpessuri in Inferno, seù gehenna, loco scilicet subterraneo supplicijs illorum destinato, passim testatur Scriptura.* Et Vrbanus Regius in loc. tit. de peccato, inquit: *Scriptura duo animabus loca deputat expresè, cœlum pijs, Infernum Impijs. Hoc tamen verum est si loquamur de Adultis, & locis æternis; nam pro infantibus decedẽtibus absque Baptismo ante vsum rationis, destinatur Lymbus; & pro Adultis decedentibus absque peccato mortali; assignatur Purgatorium.* Hæc fidei Romano-catholicæ perduelles, pro Romano-catholicis, contra suos.

§. Quadragesimusseptimus.

138 Dicunt Hæretici Nouatores, nos non debere orare, vt legem impleamus; Ita Perkinsus in 3. ad Galat. col. 135. *Non precamur, vt impleamus legem, sed vt operam dare possimus pro virili ad implendam legem.*

139 Hoc aduersari Scripturæ, patet, tum ex illo Matt. 6. v. 10. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra.*

140 Tum etiam ex Confess. eiusdem Protestantis Perkinsi in explicat Oration. Dominicæ tom. primo colum. 936; vbi inquit: *Fiat: hoc est, obedientia præstetur ei, illa præstetur ab omnibus.*

§. Quadragesimusoctauus.

141 Negant, voluntatem hominis esse liberam in malis; Ita Caluinus 2. Instit. cap. 3. §. 5; per hæc verba: *Quòd libertate abdicatã voluntatem dico necessitate in malum vel trahi vel duci, mirum est, si cui videatur aspera locutio.* Danæus controu. 6. fol. 1224. ait: *Peccata esse actus liberi arbitrij, falsum est.* Paræus in Collegi. Theolog. primo Disp. 3. & alij mendaciorum assertores.

142 Hoc esse apertissimè contradicere Verbo Dei Scripto, patet, tum ex illo Genes. 4. v. 6. *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum aderit, sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Eccles. 15. v. 18. *Ante hominẽ vita, & mors, bonũ, & malũ, quod placuerit ei dabitur illi.* Iosue 24. v. 15. *Optio nobis datur, eligite hodie quod placet cui seruire potissimum debeatis.* Et v. 22. *Testes vos estis, quia ipsi elegeritis Dominum vt seruiatis ei.* primæ Corinth. 7. v. 37. *Qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autẽ habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare Virginem suam, benè facit.* Ad Philemon. v. 14. *Sine consilio autem tuo nihil volui facere, vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.*

143 Tum etiam ex Aduersariorũ confessione; nam, Vrbanus Regius in loc. tit. de Peccato fol. 302. ait: *Asserere cum Manichæo, hominem peccatum vitare non posse: hic error, hæresis est.* Hæretici ergo sunt, qui hanc veritatem impugnant, adhuc ex suorum Conreligionistarum sententia.

§. Quadragesimusnonus.

144 Protestantes sæuientes in mortuos; negant esse pro defunctis orandum; Ita Confessio Scotica Generalis fol. 159. dum ait: *Detestamur ipsius (* scilicet Papæ *) preces pro mortuis.* Caluinus epist. sua 366. inquit: *Præcationis formula, vt Deus bonam, & felicem resurrectionem det mortuis, quia ad regulam benè præcandi (* ò bellum censorem *) non quadradat, repudietur.* Item, Brentius in Domin. 12. post Trinit. ait: *Etsi mortuis optare liceat omnia fælicia, tamen*

vana

vana est oratio pro mortuis. Iuellus in art. 18. sect. 3. fol. 158. dicit: *Hoc precandi genus pro mortuis, planè superstitiosum est, omnique prorsus Diuini Verbi auctoritate caret.* Hos sequuntur Protestantes innumeri, contra veritatem.

145 Hoc tamen esse contra expressum Dei verbum scriptum, patet, tùm ex illo 2. Machabæorũ 12. v. 43. *Iudas facta collatione, duodecim millia drachmas Argenti, misit Hierosolymam offerre pro peccatis mortuorũ sacrificium.* Et v. 46. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur.*

146 Tùm etiam ex Protestantiũ Confessione, nam Lutherus contra suos Saxones ita scribit sermone de Diuite, & Lazaro tom. 7. fol. 268. *Nolumus, neque etiam possumus pronũciare illos impiè agere, qui pro mortuis orant. Non peccatum committes, si pro eis numen interpellaueris.* Hoc idem fatetur Zuuinglius in *Artic.* 60. vbi inquit: *Si quis pro mortuis sollicitus, apud Deum gratiam eis implorat, aut precatur, non damno.* Idem sentiunt Vrbanus Regius in Formulis cautè loquendi tom. 1. fol. 86. & in locis communib. fol. 322. Fieldus lib. 3. de Eccles. cap. 17. & alij, quos (Deo dãte) suo loco pro Orthodoxa veritate recensenbimus.

147 *Alias* similes contradictiones doctrinæ Protestantium cum expresso *Dei* verbo scripto, adhuc ex ipsorum met *Aduersariorum* cõfessionibus, hic possem annectere; Ne autem, candide Lector, sim longus mihi, & importunus tibi, hæ, vel nullæ certè tibi, & Aduersario sufficient, ad probandum intentum.

148 *Ex* his colligimus primo non nos, (vt ventosi iactabant, Romano-catholicæ Veritatis Hostes) sed Protestantes, in omni fermè materia, inter nos & ipsos controuersa, Verbo *Dei* scripto carere, eorumque asserta nullo Diuino testimonio niti. *Imò* eos apertissimè Scripturæ testimonijs contradicere; Idque ipsis met scientibus, & confitentibus, taliter vt in angustias redacti, ac vndique præcluſi, ne rima quidẽ eis elabendi superſit.

149 Colligimus secundo. Omnia hæc recensita fidei dogmata, (per Paragraphos digesta, & à Protestantibus impijs sententijs oppugnata, vt vidimus) expresso *Dei* verbo niti, ex ipsorum *Aduersariorum* confessionibus, vt ostendimus. Cantillent ergo & modulentur vt libet *Aduersarij*; Verba Scripturæ retulimus, suis, suorumque commentarijs explicata; quæ omnia Orthodoxam Veritatem redolent, probant, & stabiliunt; Quod fusiùs proprijs sedibus tractãdum, *Deo* dante, relinquimus.

150 Vnum supereſt ostendendũ, scilicet, quòd isti Sacræ Scripturæ fastuosi vindices, qui, Catholicos omni verbo *Dei* destitutos, illudque per singulos apices pro se stare iactabant, post eiusdem verbi *Dei* lacerationes, ac oppugnationes per manifestas contradictiones, & praua expositiones; tandem, (quod est summum totius impietatis apicem attingere) scommata, irrisiones, ac blasphemias in illud effutiant; Scripturæ, ac personale ipsius Omnipotentis Dei testimonium, negando. Et hoc in sequenti lectione, ex eorũ testimonijs præstabimus; *Indeque* euincemus, eos iam ad *Atheismum* peruenisse.

LECTIO II.

De aliquibus verbi Dei scripti testimonijs quibus Protestantes illudunt, ac repugnant, vbi tandem Scripturam, ac ipsiusmet Dei testimonium negant ex eorundem confessione.

1 OStendam hic, quod Protestantes qui soli verbũ *Dei* scriptum habere gestiebant, soli non

non habent. Litera eis deest quia aliena est, sensus etiam, quia eorum est; vtrumque sine fundamento, quia vtrumque sine Ecclesiæ testimonio, & quia vtrumque sine testimonio, vtrumque sine vtroque testamento, & ipsi sine spe vtriusque quia sine fide vtriusque. *Aperiendum* est in hac lectione Nouatorum vlcus, ne si lateat, non curetur. Nolite igitur Protestantes irasci medico, dū morbo contradico, cum officium amici sit amici vtilitas. Igitur Nouatores, immemores eorum quæ dixerant; scil. ne tantillum à Scriptura recedēdum, cuius sensum quisque obuiū, ac manifestum prædicabat, modo mutatis vicibus *Diabolico more*, Scripturas Sac. eneruant, irrident, ac contemnunt quando vident se apertis illius testimonijs premi, quæ nec negare valent, nec deprauare. Ita taliter quòd quando in quauis materia litera, & claritas Scripturæ eorū errores euertit, clamitant non esse hærendum litere, non esse eam vrgendam. Huius impietatis exempla in hac lectione recenseo.

2 Zuuinglius coactus ad asserendum matrimonium esse indissolubile vinculum, ac coniuges nulla ex causa posse separari ex illo manifesto testimonio Matt. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, tom. 4. fol. 104. ad loc. illum, dixit: *Verba Christi: Quod Deus coniunxit homo non separet, sic arida sunt, vt videantur coniuges nulla ex causa separari posse.* Quia tamen locus iste (vt dixi) contra ipsum facit, addit: *Sed nolumus Iudaico more sic literæ hærere superstitiosè.* Et in cap. primum Marci ibid. fol. 143. *Non verbis (ait) aut literæ nudæ mordicus hærendum, sed litera ad spiritus regulam exponenda, & dirigēda est.*

3 Hac eadem astutia vsus est Caluinus; qui, cum expressis Scripturæ verbis præmeretur ad asserendum in Eucharistia esse verum ac reale Christi corpus, 4. instit. cap. 17. §. 20. dixit: Christi verba non subijci communi regulæ, nec debere ad Grammaticam exigi. & §. 23. ibid. ait: *Vetant boni magistri (Romani) vt literati appareant, vel tantillum à litera discedere.* Nosque ibi appellat Syllabarum accupes, morosos, & præfractos litere exactores, stultos ac ridiculos litere Magistros. Scio scio, non potuit Caluinus opere, & veritate ab expresso Dei verbo Catholicos deterrere, ad scommata actus in tabiem puerilitèr confugit. Meminerit tamen Caluinus quòd dùm litera pro se facit, eam vehemētissimè vrget; vt cum Paulus Eucharistiam vocat Panem, is literaliter hoc intelligi vult de pane materiali, ait enim in cap. 26. Matt *Papistæ negant ostendi panem, sed eorum delyrium refutat Paulus, affirmans panē quem frangimus esse communicationem corporis Christi.* Et malitiosè non aduertit quod Scriptura quater dicit: *est corpus meum*; & nunquam dicit: Eucharistia est Panis. Mira certè temeritas! His adde quòd plurimis manifestissimisque epithetis Scriptura restringit literam (*Corpus*) ad proprium Christi Corpus denotandum, addendo, quod sit corpus *datum, Traditum fractum* pro nobis, quòd totum Caluini figmentum, de signo corporis euertit.

4 Quòd si aliquando Romanocatholici obstinatè contra Protestātes literā vrgent, tunc ex alio capite Scripturæ auctoritatem eludūt, scil. Obuium eius sensum in controuersiam vocando, indeque clamant esse petitionem principij, ex sensu Scripturæ controuerso, contra ipsos arguere. Ita faciunt Sacramētarij dum contra ipsos verba consecrationis vrgemus, inter quos Humfredus ad 2. ration. Campiani fol. 118. sic dicit: *Sed erit ineptus, qui ex hoc loco (verborum cœnæ) disputat, de quo controuertitur.* Et Auctor Orthodoxi consensus apud Schusselburgium lib. 4.

Theo-

Digitized by Google

Theolog. Caluinisticæ art. 20. fol. 125. *Manifestus (*ait*) est abusus verborum cœnæ in probãdo eo, quod ex verbis in quæstione vel controuersia est.* O res certè risu digna! Si istis inter se dissidentibus Pedotribis, stultum ineptumque videtur argumentum illud, quod ex expressis Christi *Domini* verbis, quæ quidem clara sunt, & ex professo dicta vt ijs explicaret quid Eucharistia sit, quæque sola ab illo in hunc finem dicta sunt; dicant nobis Nouatores, quod nã vnquam argumẽtum ex Scripturæ verbis desumptum, legitimum erit? Altum de hac re silentium.

5 Nec reticenda est alia Protestantium vafrities. Contendunt ipsi, Scripturæ sensum non esse colligẽdum ex verbis, dictis ex professo vt sciremus quid res illa sit, sed ex verbis alijs, dictis de re alia. Sic Zuuinglius lib. de vera, & falsa Religion. cap. de Eucharist. fol. 267. in 8. dicens: *In his anxijs verborum (*Cœnæ*) excussionibus, nemo se offendi patiatur. Non enim ijs nitimur, sed hoc vno verbo,* Caro *non prodest quicquam;* Et Respons. ad *Billicanum* fol. 264. *Disputatio ista (*ait*) non nititur his verbis:Hoc est enim Corpus meum. Videri nolumus nostram sententiam his elementis fulcisse. Id enim nefas.* Bullingerus item apud Schusselburg. loc.sup.cit. ait: *Nos cupimus ab aduersarijs nostris, ne post hac, vt antea fecerunt, verba Cœnæ Dominicæ de quibus controuertitur, veluti sua sententiæ fundamenta ponant.* Petrus Martyr cont. Gardinerum colum. 440. *Friuolum (*inquit*) est quod addit, in mysterio Eucharistiæ ad instituentis Domini verba confugiendum.* Dicite quæso Protestantes, *(*vestram enim salutem & conuersionem ex intimis opto*)* si friuolum, & ineptum est *(*vt blasphematis*)* ad Christi *Domini* instituentis verba recurrere, quem, verba vitæ æternæ habere Petro testante nouimus; ad quem, pro maiori certitudine dogmatum fidei, confugiemus Catholici? Iam verba institutionis Eucharistiæ Christi sunt, clara sunt, ex professo, vt sciremus quid Eucharistia sit, dicta sunt. Quid adhuc alijs egemus testibus? In eius testimonio qui via, veritas est, & vita quiescunt captiuantes intellectũ in obsequium veritatis Romano-catholici. Fidei verò perduelles, Iesu Christi Saluatoris, & Domini nostri testimonio neglecto, suo magistro Diabolo fidem prestant, eique credunt, sic Luther. de missa priuat. & Zuuinglius in materia Cœnæ.

6 Ex his certo certius colligo, hæreticos dudum ad *Atheysmum* peruenisse, dum fidem, fideique mysteria, non ex Scriptura, non ex Ecclesia, Concilijs, *Traditionibus*, ac *Patribus*, sed aliunde collegerint. Ipsorum sunt hæ voces: *Nos putamus (*ait Zuuingl. in exegef. tom. 2. fol. 347.*) fidẽ ex verbis (*Scripturæ*) hauriri non posse, sed fide magistra quæ proponuntur verba intelligi.* Et *Auctor* exegeseos inquit: *Non oportet ad verba, sed ad mentem Christi respici, & secundùm illam iudicare.* At dicant *Aduersarij*, vnde eis de Christi *Domini* mẽte constat? non ne mens Christi, est verbis illis explicata? Ita certè, sic enim per vniuersas ætates eius spõsa prædicauit Ecclesia. Pergamus. Victorinus apud Schusselburg. loc. cit. fol. 107. ait: *In certamine de Cœna Domini sinistro oculo respiciendum est ad verba Christi, dextro verò naturas Christi, & antiquitatis scripta.* Hoc est enthusiastem agere, fidemque non ex Dei verbis, sed aliunde haurire. Similiter Enthusiastarum Coryphæus Suencfeldius apud eundem loc. cit. art. 23. fol. 117. idem docuit, per hæc verba: *Remoue ex oculis: Accipite, & comedite. Hoc est enim corpus meum, & porrò considera, quæ nam sit natura corporis humani, Comestionis, ac Sacramentorum, & veterum typorum: sic veritatem inueniet certissimam.* Melius

dicaret: Remoue verba primæ Veritatis scilicet Christi, & inuenies Diabolica mendacia euidentissima, vt sunt dogmata vniuersa, contra fidē Romano-catholicam, à Protestantibus asserta.

7 Pergunt *Impij*, & genus arguēdi ex expressis Sacræ Scripturæ verbis irridēt, Sic fecit Petrus Vermilius Pseudomartyr apud Schusselburg. lib. 4. Theol. Calun. art. 20. Vbi Argumentum quod sumimus ex verbis consecrationis, vocat, *quinque verbiam probationem*. Zuuingli. de peccato original. tom. 2 fol. 122. inquit: *Quàm stultus videretur, qui propter verba (Scripturæ) contenderet nos aqua baptismali à peccatis ablui.*

8 Neque hic eorū effrontis perfidiæ meta. Maleolentia ora panduntur, & in ipsa Sacrosācta Scripturæ verba euomunt blasphemias. Hospinianus parte 2. histor. fol. 63. verba illa Sanctissima cōsecrationis, *quinque magica verba*, blasphemando, appellat. Gratianus protestās, tom. 6. doctrinæ Iesuitice fol. 158. de ijsdē verbis, ait: *Adesse Gregorio, est corpus Christi è Cælo elicere virtute quinque verbica, seu magica.* Rursus blasphemantdum dicunt, quod lex Dei continetur mendacio, ita Poach Lutheranus apud Schusselburg. lib. 4. cit. fol. 305. *Necesse est (ait) legem cum sit neque Christus, neque in Christo, errore, mendacio, & morte contineri. Et Scriptura, vt Lutherus in suis disputationibus ait: Non contra, sed pro Christo intelligenda est, ideo ad eum referenda, vel pro vera Scriptura non habenda.* Et Lutherus tom. 3. in cap. 3. ad Galat. fol. 345. Penitus, & nullo modo Scripturam recipiendam esse docuit: Nam, cum in materia de lege, & operibus, valdè vrgeretur, ita docet suos respondere: *Simpliciter eis sic respondendum est: Hic Christus est, illic Scripturæ testimonia de lege, & operibus. Christus autem, Dominus est Scripturæ: Tu urges seruum, hoc est, Scripturam; hunc seruū relinque tibi: ego urgeo Dominum, qui est Rex Scripturæ.* At quando Christus Lutherum est alloquutus? numquā certè. Vnde ergo de Christi mente contra Scripturam Luthero cōstat? Diabolus, quem magistrum agnouit, hoc Luthero reuelauit. O virum Diabolicum! Ex hoc Lutheri dicto sic ad hominem cont. ipsum concludo: Id quod de fide credit Lutherus in materia de operibus & lege, non est in Scriptura, ergo aliquid credit de fide quod non est scriptum, ergo credit verbo tradito. Igitur præter verbum scriptum verbum traditum est admittendum in rebus fidei. Videamus si caput attritum attollas. Sternāt hunc Achillem gloriori milites Lutherani.

9 Apertiùs idem Lutherus Atheus factus, omnia verba Scripturæ reiicit tom. 1. Vuittembergēsi in Germanica editione vt refert Scioppius in suo Ecclesiastico cap. 2. fol. 9. dum ait: *Tametsi Papistæ ingentem cumulum locorum Scripturæ afferant,* (nō sumus ergo omni verbo Scripturæ destituti, vt sæpe vociferasti) *in quibus bona opera præcipiuntur: ego tamen nihil curo omnia dicta Scripturæ, si etiā ys adhuc plura afferantur. Tu Papista (barbam tibi vellicant Papistæ) valde quidem fastidis, & ferocem te facis cum Scriptura, quæ tamen Christo, & Domino subest. Itaque nihil ea re moueor. Age sanè famula, nitere quantum voles, at ego titor Christo (dicas Diabolo verius. Tu alibi dixisti) vero magistro, Domino, & Imperatore Scripturæ.* His pompaticis verbis populos decipis) *Huic ego assentior, & scio eū nihil mihi mentiturum, neque me in errorem inducturū esse.* (Igitur, Verbū scriptū tè in errorem inducit? ò blasphemiam! *Illi honorem habere, & credere malo, quàm vt omnibus dictis Scripturæ, vel latum vnguem à sententia mea patiar dimoueri.* Et in Colloquijs Islebiensibus cap. de verbo Dei fol. 22. inquit: *A nobis quidem*

(Scrip-

(Scriptura) contemnitur, adulteratur irridetur. Quare ergo semper ad Scripturas prouocabas Catholicos? Præterea tom. 1. disput. de fide fol. 387. ait: *Quod si aduersarij Scripturã vrserint contra Christũ, vrgemus Christum contra Scripturam, nos Dominum habemus, illi seruos*. Rectius dixisses infelix Apostata, nos neque Deum, nec Dei verbum habemus; Romano-catholici verò, Scripturam Scripturæque auctorem habent. Negat ergo Scripturam Lutherus, non igitur audebit in posterum ad Scripturas prouocare Catholicos.

10 *Audite maiora. Boni isti Irreligiosi* Protestantes, vt suorum inuenta stabiliant, Sacra Traditione contempta, etiam Scriptum verbum reijciunt, & nouas traditiones obtrudunt; sic Adolphus Venator Minister Alchmarienſis tract. de præcipuis Controuersijs fol. 174. & Script. Sac. reijcit, & ait: *Vera, optima, certissima, & perfectissima norma totius fidei Christianæ est confessio Belgica, & Catechismus Heildelbergensis*. Rursus fol. 175. inquit: *Ex Verbo Dei non potest vera doctrina purè intelligi, (ex* verbo hominum ergo, vel *Diaboli*, benè intelliges iniquè*) sed solum ex Confessione, & Catechismo, & Verbum Dei non est Christianis tàm necessarium ac vtile, quàm Confessio, & Catechismus. Et vbi Confessio, & Catechismus est, non egemus verbo Dei; denique auctores Confessionis, & Catechismi fuerunt prudentiores, & fideliores pro Ecclesia, quàm Apostoli, & Euangelistæ*. O impietatem! Vt suas nouitates obtrudant Protestantes, etiam Verbo Scripto tandem valere iusserunt.

11 Postremò Athei facti Protestãtes, se nec Deo omnipotẽti crediturosesse autumant: *(hoc expectabatur)* Audite cæli, & obstupescite, audite noui Euangelij preconẽ, Zuuinglium dico apud Schusselburg. lib. 4. Theolog. Caluinist. art. 9. fol. 344. diabolica voce dicentem: *Etiam si Deus cum omnibus Angelis beatis descenderet de Cælo, & iuraret, in Cœna Domini Corpus, & Sanguinem Christi omnibus eam accipientibus præberi, attamen nec possem, nec vellem id credere, nisi meis oculis, & manibus Christum coram viderem, & palparem*. O miserũ homunculũ! ò putridum hæreticũ! ò Atheistam fætidum. Totius impietatis cõpendium.

22 Ex his perspectum est, Protestantes, nõ tantum verbis, sed & sensui Scripturæ repugnare, imò Scripturam Deumque Scripturæ auctorẽ, Diabolica temeritate contemnere; & hi sunt Ecclesiæ Protestanticæ reformatæ (imò deformatæ) eiusdẽque Euangelij fructus. Superi meliora.

Digitized by Google

TRACTATVS VI.

De Supremo Veritatis Magistro Deo, qui loquutus est per Os Sanctorum.

IDEST,

DE CONCILIIS PP. ECCLESIAE.

PROEMIVM.

COnstructio, & series Naturæ, occultis traducibus infima medijs, media supremis annectit: Sic nata cum Orbe Religio vna, veraque; per succedaneas seculorum series, felicitèr propagatur. Hanc videlicet inchoat Natura, Moysis lex continuat, consummat Euangelij; Quod Dei virtus omni credenti, Romanorum I. Nuncupatur; quoniam cæterorum eminentia pollet, estque velut promulsis, præludium æternitatis. Igitur abs veteri Lege, cui litera gladius, cortex (si solus remanet) venenum, migraturo ad gratiæ spiritum vitalem, pretium ingens fuit; fœdus mutuum, seu concors affinitas; affinis, inquam, concordia Ecclesiam inter, & Synagogam, Christum, & Mosem, vetus recensque Fœderis instrumentum.

Quod cùm ita sit, non modò mentis, verùm, & corporalium luminũ cœcitate laborat Caluinus dũ lib. 4. Inst. cap. 9. §. 2. Luthero subscribens, ex neutro Scripturæ testamento, aliquod pro Concilijs testimonium erui docet: cùm tamen geminum quod diximus Moysis, & Christi testamentum, (nouum scilicet & vetus) cortinæ duæ sint, quibus ex æquo velatur fœderis Arca: duæ in Ecclesiæ aula Cithare, eodem tono consonantes: lampades totidem, templum vnum collustrantes: Compendio absoluam, Christianitas, seù noua Lex surculus est, Mosaycæ legis trunco inoculatus. Quapropter, Luthero Caluinoque illud debuit esse perspectum, quòd simul ac Synagoga Pontifices habere cœpit, Seniorum Concilium simul à Deo institutũ accepit; quod, (vt testatur Philo lib. de temporibus) de Lege, de Rege, de Prophetis iudicandi ius habuit, & à Iudæis Sanhedrim appellabatur, teste Paulo Burgesio, ad quod omnes legis difficultates, ac fidei dubia referebãtur. Hinc, sicut in Veteri testamento numer. 11. Moysi à Deo mandatum est, *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quòd senes Populi sint, ac Magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi testimonij, faciesque eos stare tecum, vt descendam & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, & tradam eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus grueris.* Ita etiam, vt in nouo testamento Moysi Christus accineret, & vmbræ cederent veritati, voluit Saluator humani generis in Ecclesia sua Seniorum Concilia congregari Actor. 15. *Conueneruntque Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc*; quorum decreta inuiolabilem sibi in rebus fidei auctoritatem vendicarent; quandiu hæc, sicut illa Moysi, Pontifici Summo inhæserint, & de eius spiritu, ac sententia, Patres Conciliares decreuerint, quiin partem solicitudinis sunt assumpti. Sed tamen huius veritatis, ac lucis auroram habuere Iudæi; crepusculum Patriarchæ, lux verò plenaria, Christi Ecclesiæ dumtaxat affulxit,

dum

Digitized by Google

dum de huius tantùm Synodis legatur, *Visum est Spiritui Sancto, & nobis* &c. Et item: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*: & rursus: *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ego sum*. Quod si Deuteronom. 17. de illis scriptum est, *sequeris sententias eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram*; Satis apertè Protestantes insaniunt, dum Oecumenicis Nouæ legis Concilijs, quibus abundantioris gratiæ repromissio facta est, auctoritatem infallibilem, in Moyse adumbratam, sub Euangelio plenè possessam, adimunt. Quisquis diuersum sentiens, eam quam diximus auctoritatem inconcussam Concilijs adimit, nugatur ineptissimè: harmoniam pietatis confundit: veteris, & noui Testamenti compagem, funditus demolitur: mendaciumque fucatur, ac calamistrat quàm aferrimè.

Agatur ergo pro nostro more breuitèr, sed virilitèr, & contra Conciliorum, eorumque inconcussæ auctoritatis inuasores, pro Catholica Veritate pugnemus. Sit igitur

INSTRVCTIO VNICA,

DE CONCILIORVM AVCTORITATE.

NE *in syluam ligna feramus*, vt aiunt, hic, ea tantùm discutiemus, quæ ad Conciliorum Oecumenicorum incõcussam auctoritatem propugnandam attinent, & ad aduersariorum audaciam comprimendam subseruiunt. Et primò quidem, de inconcussa Conciliorum legitimorum auctoritate. Secundò quòd impiè Protestantes Concilia, ac præcipuè Tridẽtinum in examen adduxerint. Tertiò, quòd Papa sit supra Cõcilium. Quartò in *A*ppendice, Illustrissima *S*orbonæ schola ab impostura Spalatesis vindicatur. *De* Conciliorum verò diuisione, notione, & similibus, copiosè actũ est à quamplurimis doctissimis Romanæ Ecclesiæ filijs Turrecremata, Caietano, *I*acobatio, *B*ellarmino, Bouerio, Grauina, & alijs. Qui plura, auet, eos consulat.

LECTIO I.

De inconcussa legitimorum Conciliorum Oecumenicorum auctoritate.

1 NOstri temporis Sectarij hæretico furore percit:, omnem Concilijs in rebus fidei decernendis, ac terminandis auctoritatem adimunt, omnique veritate spoliant: dicentes, ea, quantumuis Oecumenica, pura, ac legitima fuerint, plurimis errorum næuis laborare. Quod, ne nostrum videatur, commentum, audite.

Mendacium Protestantium.

2 LVtherus in lib. de Concilijs, Conciliorum auctoritatem adeò extenuat, vt cum eis, Parrochorũ, & Ludimagistellorum auctoritatem conferat, dum ait: *Putas ne adeò esse tenue, aut angustum officiũ Parrochi, aut Ludimoderatoris, vt non possint aliqua ex parte conferri ad Concilia? Dicam, & quiddam amplius, maius lumen accedit doctrinæ Christianæ ex Catechismo puerili, quàm ex omnibus Concilijs*: Et infra: *Et quid opus est verbis, etiamsi omnium Synodorum decreta possent per infundibulum demitti in tuum corpus, tamen non dum esses Christianus, quia nimis parum conferunt.*

Digitized by Google

runt. Et in *Assert.* 29. ait: *Via nobis facta est eneruandi auctoritatem Conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis &c.*

3 Sequuntur eum sui Vuittembergenses in Confessione cap. de Concilijs, dicentes; *Testantur quoque exempla, non Pontifices tantùm, sed etiam Concilia errasse.*

4 Consentit Kemnitius præfat. 1. part. Exam. Concil. Trident. *Rectè, (ait) & necessariò is facit, qui non statim atque aliquid à Concilio quantumuis Pontificia auctoritate munito, definitum est; id putat esse infallibile.* His subscribunt cæteri Lutherani.

5 Caluinus, Luthero manus prebet, dum lib.4. Inst.cap.9.§.8. post dixerat se Conciliorum auctoritate non vrgeri, in priscas illas Sanctissimas Synodos his verbis inuehitur; *In ipsis quoque antiquis, & purioribus Conciliis, est quod iurè desideres; vel quod eruditi viri, multa non prospiciebant; vel quod grauioribus occupati, nõnulla subterfugiebant; vel quod simpliciter, vt homines, imperitia falli poterant, vel quod nimio affectu nonnunquam præcipites ferebantur.*

6 Demum (vt cæteros omittam) Marcus Antonius de Dominis lib. 7. de Republica Christiana cap. 3. post longam cantilenam. num. 22; inquit: *Nullum est concilium in Ecclesia, nullum fuit, nullum futurum, quod de se, dum celebratur, possit esse Ecclesia certa, & infallibilis regula credẽdi, siquidem omnia possunt errare.* Hæc sunt Protestantium effata. Sed contra stat.

VERITAS CATHOLICA.

Concilia generalia legitimè congregata, & à Summo Romano Pontifice confirmata, & approbata, nec in fide, nec in moribus possunt errare.

8 SVpponẽdum primo, Concilia generalia, haud esse ita absolutè necessaria pro dirimendis fidei litibus, sicut victus, dicitur necessarius ad vitæ substentationẽ; sed tãtùm secundùm quid, sine quibus idẽ finis non ita suauitèr, comodè, & congruentèr haberi potest; cum in Romano Pontifice si definitiua potestas decidendi controuersias fidei. Idque, contra Spalatensem qui lib. 7. de Republica Christiana cap. 3. n. 25. contrarium docuit, ostenditur euidenter; nam, nulla stante Conciliorum generalium Congregatione, verè saluatur Ecclesia sub vno Capite visibili Christi Domini Vicario, parendo mandatis, & decretis Ecclesiæ quæ eidem, absque celebratione Concilij, proponi possunt à Summo totius Orbis Pastore: ergo Concilia non sunt absolutè necessaria ad cõseruationem Ecclesiæ. Rursus; si Concilia essent necessaria, maximè ob damnationem hæresum, ob extirpationem Schismatum, & ob alias id generis causas: At, his omnibus potest occurri à Summo Pontifice, vel per specialem Congregationem, vel per decreta Sedis Apostolicæ Romanæ. Nõ ergo sunt absolutè necessaria vt vult Spalatensis, qui eo deuenit superbiæ vt putaret, quòd pro sua damnanda hæresi nouum erat cogendum Concilium generale vt diximus PP, eiusdem mendacia recensendo.

9 Quòd si dicat Aduersarius: in Actibus Apostolorum, Apostolos Concilia celebrasse, *Conuenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc*; adeòque, Concilia esse absolutè necessaria.

10 Dicendum, inde non inferri absolutam Conciliorum necessitatem, sed eò conuenisse Apostolos, vt decidерẽt suauiùs de legalibus quæstionem, & plenior eorum esset definitio. Hinc fatemur, quòd quando æque comodè, & pari fructu potest fieri definitio sola collectione Nationalis, vel Prouincialis Concilij, aut

aut Collegij Cardinalium, non est necessaria Generalium Cõciliorum indictio; vt de facto aduersùs nonnullos hæreticos non fuerunt concilia generalia congregata.

11 Sunt autem Concilia generalia maximè vtilia in Ecclesia. Prima vtilitas est, quòd celeriùs, si quæ sunt Episcoporum causæ, iudicantur; & si quæ in Ecclesia contentiones vigent, suauiùs dirimuntur, vt definitur in Concil. Nicæno 1. sub Syluestro Pontifice can. 5. Secunda, quia impensiùs, & operosiùs reformationi morum insistitur, cùm abusus, & vitia, quæ sæpè in Ecclesia irrepunt, Synodorum *Sanctionibus* tollãtur, vt ait Concilium Aruernense primũ. Tertia, quòd Ecclesiastica dogmata maturiùs discutiuntur, vt testatur Capreolus Carthaginensis epist. ad Synodum Ephesinã. Quarta & præcipua vtilitas est, quòd dubia circa fidem emergentia, in ijs dissoluuntur facillimè, ipsaque doctrina fidei clariùs explicatur; cùm Sacer, ac vnanimis Conuentus in Christi nomine congregatus, *Spiritu Sancto* vndique afflatus, vel per legitimam diuinarum Scripturarum interpretationem, vel per diuinarum Traditionum, auctoritatem, (quarum fidelis est custos Ecclesia) de fidei rebus decernit, hæresumque maculis absterfis, puram fidei doctrinam fidelibus custodiendam tradit.

12 Supponendum secundò. Legatos Pontificis ad Concilia mitti (quando Pontifex non potest, vel ob iustas causas non vult interuenire) aliquando cum instructione eiusdem Pontificis, sicut factum legimus in Concil. 4. 6. & 7; aliquando sine instructione, sicut accidit in Cõcilio Tridentino, idque euenit ex eò, quia in illis primis, de vno tantùm puncto erat dissidium; & ita, facilè erat Pontifici suam Legatis explicare sententiam: In Tridentino autem non ita, etenim tot, & tam variæ erant soluendæ quæstiones, vt de eis non tam comodè haberi posset instructio.

Legati aliquando ad Concil. mittuntur instructi a Papa, aliquando non; & quare?

13 Supponendum tertiò. Quatuor modis contingere aliquod decretũ conciliariter sanciri. Primò, vt Patres Concilij definiant, Legatis Apostolicis dissidentibus. Secundò, vt definiant, illis consentientibus contra instructionem habitam à Pontifice. Tertiò, consensientibus Legatis qui nõ habuerunt instructionem. Quartò, consensientibus omnibus simul cum Legatis habentibus, & sequentibus instructionem Summi Pontificis. Concilium decernens primo, & secundo modo posse errare constat, quandoquidem Concilium Ephesinum 2. errauit, dum dissidentibus Papæ Leonis Legatis, voluit definire. Et Iulius Papa, vt Conciliabula habuit eos cœtus Episcoporum, vbi Legatus non interfuit, vndè in epist. ad Episcopos Orientales ait: *Regula vestra nullas habet vires, quando Romanæ Ecclesiæ Legatus non interfuit.* Errauit, & Constantinopolitanum tempore Nicolai 1, cum Legati cõtra instructionem Pontificiam egerunt; & hæc Concilia reprobata censenda sunt, idem enim est, Pontificẽ Concilium reprobare, ac Concilium contra voluntatem Pontificis (in quo residet fidei Magisterium, pro quo Christus rogauit, vt non deficeret fides eius) decernere. De tertio modo, res est dubia, dicerem tamen Concilium posse errare, etenim firmitas Concilij, ex consensione, & cõiunctione corporis cum Capite pẽdet; Atqui, tunc Caput siluit, esto enim ibi Legati nomine Papæ præsideant; non tamen ipsi sunt Pontifices, nec sciunt quæ sit Pontificis mens, nec eis non errandi priuilegiũ concessum est, sed Concilio omnibus circumstantijs vallato, inter quas prima est, approbatiua Pontificis sententia. Vndè Concilium Generale non censetur omnimodè absolu-

Quatuor modis possunt Concilia formare decreta.

Digitized by Google

solutum, nisi post confirmationem Summi Pontificis: Quando ergo dicitur, quòd Concilium Generale nõ potest errare, & quòd illius decreta certam fidem faciunt, id intellige de Concilio Generali penitus absoluto ideſt, à Summo Romano Pontifice approbato, & confirmato, videatur Turrecremata lib. 3. cap. 34. Bulla Pij 4. in qua confirmat Concilium Tridentinum, & Bellarminus tom. 2. lib. 2. cap. 11.

Quomodo Concil. Generale non potest errare.

14 Remanet quartus modus quo res fidei definiuntur à Concilio; & de hoc, certum esse videtur, Concilia errare non posse; etenim in tali Concilio reperitur expressus consensus Captis, & Membrorum, adeoque totius Ecclesiæ, que sine dubio non potest errare. Neque abstat, quòd talis instructio, non videtur esse sententia definitiua, ab Apostolica sede prolata; nam, quando consentit Cõcilium cum Pontifice, tunc incipit esse vltima difinitiua sententia, nè dum Concilij, sed & Pontificis, qui certò intelligit, suam sententiam esse à Deo, & iuxtà Christi sponsionem, eam esse indefectibilem.

Expressus consensus Pontificis cũ Concilio decreta reddit indubia.

15 Pro maiori autem huius rei claritate, sciendum est, Pontifices mittere ad Concilium Legatos instructos de Apostolicæ Sedis sententia, cum hac conditione, vt si Cõcilium Apostolicæ Sedis iudicio consensiat, tunc formetur decretum; sin autem, differatur decreti formatio, donec Romanus Pontifex consultus, quid decernendum sit, respondeat. Ita factum legimus in Concilio Chalcedonensi; nam, cùm Concilium Pontificis iudicio consensisset circa depositionem Dioscori, statim Legati formauerunt decretum: postea, cùm Concilium aliqua, contra Pontificis instructionẽ, vellet decernere; Legati dixerunt, id prius Apostolicæ Sedi significari debere.

Legatorum instructio.

16 Probatur Veritas Catholica generalibus Principijs Protestantiũ inhærendo ex Sac. Scriptura, ac totius antiquitatis consensu. Primò, ex Sac. Scriptura. Matthæi cap. 18. à Christo dictum est, *vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum*. Christi ergo spiritu præsente, immo & præsidente Concilijs, certo certius est ea; in decernenda fidei doctrina labi non posse

17 Huius loci apertos habemus hostes, & impugnatores, Caluinum in primis, qui lib. 4. Instit. cap. 9. §. 2. ait, eum ad quemuis particularem cœtum posse aptari, *Verum (*ait*) id nihilo minùs in particularem quemuis cœtum competit, quàm in Concilium vniuersale*. Caluino subscribit Marcus Antonius de Dominis lib. 7. de Republica cap. 3. n. 3. dicendo, locũ Scripturæ adductum, generaliter esse aptandum, omnibus qui simul congregantur, siuè Clerici, siuè Monaci sint capitulariter adunati, imò & si sint Laici qui ad concionem audiendam conueniunt; de quibus, sic congregatis, dicendum sit, eos, non posse errare.

18 His, cùm veram doctrinam impugnare propositum fuerit, mirum non est, quòd diuinarum institutionum, ac Conciliorum præsertim, quibus vera fidei doctrina traditur, apertos se hostes exhibeant. Quapropter, ad eorum cauilationes, dicimus; quòd, vt ex contextu patet, Christus Dominus, his verbis, sumit argumentum à minori ad maius, iuxtà expositionem Concilij Chalcedonensis in epist. ad Leonẽ, quæ extat ibidem in fine 3. Actionis, dixerat enim antea, *dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit* &c. Ideſt, si Congregationem Prælatorum, & Episcoporum Ecclesiæ nõ audierit, sed contempserit; scitote, quod Dei assistentiam quæ est in Prælatis, & Episcopis congregatis pro damnatione, vel absolutione peccatorum, contempnunt; nam, si *vbi sunt duo, vel*

Digitized by Google

vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in media illorum sum, vt assequantur lumen ad cognitionem mysteriorum fidei, & eorum quæ necessaria sunt ad salutem, quanto magis Prælati, Episcopi, & Pastores Ecclesiæ sub Supremo Pontifice Ecclesiæ Capite adunati in nomine meo, qui publica Ecclesiæ negotia tractant in Spiritu Sancto legitimè congregati obtinebunt Spiritus Sancti directionem? Euanescit ergo Caluini, & Spalatensis commentum, nam non eodem modo Christi Spiritus assistit Laicis, Clericis, vel Monacis congregatis, in Capitulo, vel concione, ac Episcopis congregatis in Concilio, nam illi proprias, isti communes, & publicas Ecclesiæ causas discutiunt; nec illis, sed istis de quibus præmiserat *dic Ecclesiæ*, &: *quæcumque alligaueritis super terram* &c. Spiritus Sancti plenissima assistentia promissa est.

19 Rem hanc totam enucleatè declarat Concilium Chalcedonense *Act.* 10. vbi allegato hoc loco Scripturæ, in rem nostram, ait: *Si Dominus duobus simul Episcopis promisit se interesse, quanto magis pluribus?* & Cælestinus Papa epist. 7. ad Concil. Ephes. hūc Scripturæ locum expēdens, ait; *Spiritus Sancti præsentiam testatur congregatio Sacerdotum. Certum est enim quod legimus, quia nec potest veritas nostra mentiri, cuius ista sententia est. Vbi duo, vel tres congregati fuerint, &c. quod cùm ita sit, si nec huic tàm breui numero Spiritus Sanctus deest, quantò magis eum nunc interesse credemus, quando in vnum conuenit tanta turba Sacerdotum?* Sic, ad nostrum propositum, Patres Ephesinos alloquitur Cælestinus Pontifex, à longe huius Scripturæ peruersores feriēs. Videatur S. Cyrillus in explanatione Symboli Nicæni versus initium.

20 Præterea, veritas principalis ex alio Scripturæ loco colligitur; Ioannis enim cap. 16. Christus Dominus idem pollicetur, eodemque argumento à minori ad maius vtitur, dicendo, *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*. His verbis innuitur, vniuersos sigillatim cuiuscūque Ecclesiæ Episcopos, Spiritū Sanctum habere Magistrum, omnem eis veritatem edocentem, ne tota errer Ecclesia; ergo, à fortiori, vniuersi Episcopi simul in vnum collecti, & congregati in Concilio, Spiritus Sāncti assistentiam habent, dum fidei controuersias dirimunt. Non ergo possunt errare.

21 Insurgunt primò Protestātes, & vt locum infirment, aiunt; id, solis Apostolis dictum esse, non item Episcopis Apostolorum successoribus.

22 Sed contra est id, quod dicitur ibidem, cap. 14. *Alium Paracletū dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Si ergo Spiritus Sanctus, iuxta Christi verba, mansurus est cum Apostolis in æternum, id non tantū de Apostolis dictum est qui iā mortui sunt, sed de Apostolorum successoribus, qui in æternum, vsque ad sæculi finem erunt, intelligendum est.

23 Insurgit secundò Spalatensis vbi sup. n. 4. & dicit, *non excluditur hic diuina permissio, qua Concilia labi solita sunt.* Si ergo locus istæ talem diuinam permissionem non excludit, potest Deus permittere, vt Concilia in errorem labantur. Hæc homo vafer.

24 Sed contra, nam Diuina promissio ne in errorem inducatur Ecclesia, habetur in Scripturis expressè, *super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non preualebunt aduersus eam*; Permissio autem lapsus, in Scripturis non legitur, adeoque illud firmissimè tenendum est, hoc repudiandum; & promissio permissionem excludit. Præter quamquòd, locus adductus, æternam veræ fidei firmitatem pollicetur; nam, si Paracletus datur Apostolis eorū-

Diuina promissio permissionem excludit.

Digitized by Google

que successoribus Episcopis, & in æternum manet cum eis, quomodo isti in errorem labi possunt? Nisi velint Protestantes permissum hunc lapsum, Spiritui Sancto Atheisticè affricare.

25 Rursus, *Actor.cap.15.* coacto Apostolorum Concilio, definitum est, legalia non esse seruanda, fornicationem esse peccatum; idque Gentibus, quæ, ea mala esse, ignorabant, est prohibitum; & multis alijs ad ritus, & Ecclesiasticam disciplinam spectantibus ibi stabilitis, *Apostoli* Conciliares dixerunt, ea, Spiritu Sãcto suggerente, & infallibiliter docente esse sancita, *visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Ergo Concilia posteriora (quorum hoc Apostolicum erat norma) in Spiritu Sancto legitimè cõgregata, propter Spiritus Sãcti assistentiam, ac Magisterium, errare non possunt in decretis fidei, morum, ac disciplinæ Ecclesiasticæ.

26 Lutherus ad hunc locum, Act. 15. vt Conciliorum auctoritatẽ infirmet, ait: *Spiritus Sanctus non Conciljs, sed solùm Christianorum quos nouit, cordibus, se adesse promisit.* Et post pauca: *Incerta sunt Concilia; neque fidendum est illis: nullum enim vnquam purum fuit.*

27 At nimis infideliter se gerit Lutherus, cùm Spiritum Sanctum concilijs adesse negat; quin, & precipitem temeritatem ostendit, cùm quæ in hoc Hierosolymitano Concilio ab *Apostolis* decreta sunt, à Spiritu Sancto minimè profecta existimat, cum id præclarissimis verbis affirment *Apostoli, visũ est* (aiunt) *Spiritui Sancto, & nobis.* Sed fortè prætendit excucullatus Apostata, Apostolos esse mendaces; & tunc, reliquum est, vt ipsas Scripturas Lutherus irrideat, quæ Apostolis Doctorem, ac Magistrum Spiritum Sanctum pollicentur Ioann. 14, & 16. & alibi. Huius tamen Concilij (contra Lutherum) meminit Synodus Constantinopolitana 2. Collatio n.8. in cõclusione trium capitulorum, his verbis: *Licet Spiritus Sancti gratia, & circa singulos Apostolos abundaret, & non indigerent alieno consilio, ad ea quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo, quod monebatur, si oporteret Gentes circumcidi, definire; priusquam communitèr congregati, diuinarum Scripturarũ testimonijs vnusquisque sua dicta confirmaret; vnde, communitèr de ea sententiam protulerunt, ad Gentes scribentes. Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil aliud imponere vobis oneris, præterquam necessaria, vt abstineatis ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Igitur, nimis apertè insanit Lutherus, Concilijs, Spiritus Sancti assistentiam adimendo, vt eorum inconcussam auctoritatem infirmet.

28 Quòd, si ad vetus Testamentũ inspexerimus, inueniemus profectò, inuiolabiliter ea esse sequenda, quæ in Concilijs stabilita sunt. *Deuteronom.17.* de Concilio à Moyse iussu Dei adunato *Numeror. 11.* sic dicitur: *Et facies quæcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & sequeris sententias eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.* Huius Concilij decreta, ex Dei testimonio, inuiolabilem sibi in rebus fidei auctoritatem vendicarunt. Quare Concilia nouæ legis, quibus à Christo, Spiritus Sancti assistentia, ac directio promissa est, idem non obtinebunt?

29 Probatur secundò ex auctorit. Summorum Pontificum, qui Cõcilijs inconcussam, & infallibilem auctoritatem tribuunt, modò sint legitimè congregata, & à Summo Romano Pontifice approbata. Iulius 1. Papa apud *Athanasium* epist. ad Diaconum Faccillum, Narcissum, &c. sic scribit: *Si enim, vt scribitis, inconcussam habet auctoritatem qualibet Synodus, & contumeliosè agitur cum* Iudi-

Iudice, cuius iudicium ab alijs examinatur; considerate quæso dilectissimi, qui nam sint, qui Synodum improbant, & qui aliorum iudicata rescindunt, ne singula excutiendo certos homines graue, &c. Qui nam sunt qui Synodum vituperant, & trecentorum Episcoporum calculos pro nihilo habent, & impietatem pietati anteponunt, nisi Arianamitæ ab omnibus vbique Episcopis condemnati, & abdicati? Sentit ergo Sanctus Pontifex, quòd legitima Concilia inconcussam habent auctoritatem, quam nō nisi hæretici infirmare conantur.

30 Cæleſtinus Papa epiſt. 7. ad Synodū Epheſinā, eamdem Cōciliorum inerrabilē auctoritatē teſtatus, ait: *Spiritus Sancti teſtatur præſentiam Congregatio Sacerdotum. Certum eſt enim quod legimus, quia nec poteſt veritas noſtra mentiri, cuius iſta ſententia eſt: Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum. Quòd cùm ita ſit, ſi nec huic breui numero Spiritus Sanctus deeſt, quanto magis eum nunc intereſſe credamus, quando in vnum conuenit tanta turba Sanctorum? Sanctum namque eſt pro debita veneratione Concilium.* Ex quibus verbis innuit Sanctus Antiſtes, quòd cum ex Spiritus Sancti directione Patres in Concilijs legitimè congregatis fidei dogmata finiunt, haud eſt ambigendum ea infallibilem auctoritatem habere.

31 Leo Papa epiſt. 78. ad Leonem Imperatorem, ſimiliter infallibilem, & firmiſſimam Conciliorum legitimorum auctoritatem agnouit, dum ibi cap. 3. dixit: *De rebus, & apud Nicæam, & apud Chalcenonam (ſicut Deo placuit) definitis, nullum audemus inire tractatum; tanquam dubia, vel infirma ſint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit auctoritas.*

32 Gelaſius Papa epiſt. 11. ad Epiſc. Dardaniæ, eidem Conciliorū infallibilitati teſtimonium perhibet, his verbis: *Quoniam Patres noſtri, Catholici videlicet, doctique Pontifices, in vnaquaque hæreſi, quolibet tempore ſuſcitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro Communione Catholica, atque Apoſtolica, ſecundùm Scripturarum tramitem, prædicationemque Maiorum, facta ſemel Congregatione ſanxerunt, inconuulſum voluerunt deinceps firmumque conſtare; nec in eadem cauſa denuò, quæ præfixa fuerunt, retractari &c.*

33 Hormisdas Papa epiſt. ad Remigium, in rem noſtram, ſcribit: *Paternas regulas, & decreta Sanctiſſimis Concilijs definita, ab omnibus ſeruanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam, & fraterna monita exhortationis oſtendimus. His ea, quanta dignum eſt reuerentia, cuſtoditis, nullum relinquit culpæ locum Sanctæ obſeruationis obſtaculum. Ibi fas nefaſque præſcriptum eſt: ibi prohibitū, ad quod nullus audeat aſpirare; ibi conceſſum, quod debeat mens Deo placitura præſumere.*

34 Gregorius Magnus Pontifex Romanus lib. 1. epiſt. 24. ad Patriarchas, Conſtantinopolitanum, Alexādrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum, illuſtre fert teſtimoniū pro inconcuſſa Conciliorum auctoritate, his verbis: *Sicuti Sancti Euangelij quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere, & venerari me fateor. Nicænum, ſcilicet, in quo peruerſum Arij dogma deſtruitur: Conſtantinopolitanū quoque, in quo Eunomij, & Macedonij error conuincitur: Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorij impietas iudicatur: Chalcedonenſe verò, in quo Euthychetis. Dyoſcorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione cuſtodio: quia in his, velut in quadrato lapide, ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, & cuiuslibet vitæ, atque actionis norma conſiſtit. Quisquis eorum ſoliditatem non tenet, etiam ſi lapis eſſe cernitur, tamen extra ædificium iacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Epiſtola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur: Theodorus perſonam Mediatoris Dei, & hominum, in duabus ſubſtantijs ſeparans; ad impie-*

tatis perfidiam cecidisse conuincitur: scripta quoque Theodoriti, per quæ Beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. Cunctas verò, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo; quas venerãtur, amplector: quia dum vniuersali sũt consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumit, aut soluere, quos ligant; aut religare, quod soluunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.

35 Probatur tertiò auctoritate Veterum Patrum. Athanasius epist. ad Epictetum, inuehitur in eos qui Nicænæ Synodi decreta in dubium vocabant: *Hæreseos refutandæ gratia illa Synodus (Nicæna) potissimùm coacta fuit. Qua igitur audacia fit, vt post tanti Concilij auctoritatem, disceptationes, aut quæstiones instituant?*

36 Cyrillus Alexandrinus Dialogo 1. cum Hermia, inquit: *Age igitur allatis in medium his, quæ accuratè & exquisitè in Sancta, & celeberrima Synodo, quæ olim in Nicæa Ciuitate cõgregata fuit, definita sunt, cõsideremus, quid reprehensibile sit in ijs, qui diuersa asserunt. Nam si quis fidem illam, à Sancta, & Magna Synodo optimè & Diuino afflatu definitam, ac expositam dicere voluerit basin animarum nostrarum, fundamentumque inconcussum, & munitũ, is vtique probatissimè loquitur, & ab ipso Christo laudem habiturus est, fidelis quoque & verus adorator relucebit.*

37 Ioannes Patriarcha Constantinopolitanus epist. ad Hormisdam Papam, loquens de quatuor primis Concilijs, ait: *Omnibus actis à Sanctissimis quatuor Synodis, id est, Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, & Chalcedonensi de confirmatione fidei, institutis Ecclesiæ assẽtior, & nihil titubare debere iudicatis patior: sed conantes, aut nisos vsque ad vnum apicem placitorũ perturbare, lapsos esse à Sancta Dei generali, & Apostolica Ecclesia scio.*

38 Epiphanius item Constantinopolitanus Patriarcha, epist. ad eũdem Pontificem Romanum Hormisdam, de ijsdem quatuor Concilijs, hæc scribit: *In his quatuor Synodis Sanctis, & Sacris magnum pietatis prædicatum mysterium, & omnium hominum est reposita salus. Eos enim qui fuerunt, vel sunt eiusdem sententiæ, & suscipio, & amplector, & vniri me eis diligo. E contra autem eos, qui præter istas quid sentiunt, aut prædicant, vel præterito tempore aliquid aonati sunt; à cœtu Orthodoxorũ exterres esse existimo.*

39 Ambrosius in Proœmio lib. 1. de fide ad Gratian. ait: *De Conciliys id potissimùm sequar, quod trecenti decem, & octo Sacerdotes, tanquam Abrahæ electi iudicio, consona fidei virtute victores; velut trophæum, toto Orbe subactis perfidis, extulerunt: vt mihi videatur hoc esse diuinum, quòd eodem numero in Cõcilijs fidei habemus oraculum, quo in historia pietatis exemplum.*

40 Hieronymus epist. 71. ad Theophilum, hæc habet: *Simul obsecro, vt si qua Synodica habes, ad me dirigas, quo possim, tanti Pontificis auctoritate firmatus, liberiùs, & confidentiùs pro Christo ora reserare.* & epist. 57. ad Damasum, scribit: *Nunc (proh dolor) post Nicænam fidem, post Alexandrinum iuncto Occidente decretum, triũ Hypostaseon ab Arianorum Præsule, & Campensibus, nouellum à me homine Romano nomen exigitur. Qui quæso ista Apostoli prodidere? Quis nouus Magister Gentium Paulus hac docuit?*

41 Augustinus lib. 7. cont. Donatist. cap. 53. de Conciliorum auctoritate illud protulit: *Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Cõcilio terminata sunt: id autem fiducia secura vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & Saluatoris, Iesu Christi vniuersalis Ecclesiæ consensione roboratum est.*

42 Vincentius Lyrinensis aduers. hæres. cap. 32. cæteris Patribus in rem nostram subscribit, dum ait: *Hoc sem-*

semper, neque quicquam preterea hæreticorum nouitatibus excitata Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi vt quod prius à maioribus sola Traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per Scripturæ chiragraphum consignaret: magnam rerum summam paucis literis comprehendendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei sensum, nouæ appellationis proprietate signando.

43 Vigilius Tridentinus lib. 5. cont. Euthychetem, de Euthychianis ait. *Alia noua, quàm quæ in Concilio Nicæno statuta fuerant, Chalcedonense Synodum decreuisse criminantur. Nescientes regulam, & consuetudinem Conciliorum Catholicorum, sic noua posterioribus Concilijs, prout necessitas emergentium Hæreticorum exegerit, sancire decreta, vt tamen inuicta maneant, quæ dudum antiquioribus concilijs contra veteres hæreticos fuerant promulgata &c.*

44 Probatur quartò rationibus ex Verbo Dei petitis. Ad Ephes. 4. & *Actor.* 20. Episcopi dicuntur Pastores, & Doctores. Ergo Episcopi congregati in Concilio, indubia fidei Decreta stabiliunt, quibus sub perfidiæ pœna tenemur assentiri. Antecedens est certum. Consequentia probatur; si Decreta circa fidem, ab Episcopis in Concilijs edita, non essent inconcussæ firmitatis, sed fallbiilia, & erronea; iam sequeretur, quòd Christus, contra omnem æquitatem præceperit Lucæ 20. *Qui vos audit me audit*; & quòd malè dixisset Doctor Gentium Hebræor. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis*; cùm horum doctrina Conciliariter firmata, posset esse erronea. Igitur ne Paulum, & Christum Saluatorem nostrũ malè Ecclesiæ suæ prouidisse dicamus; fatendum est, Episcopos in Cõcilio congregatos, errare non posse; adeoque, eorum decreta inconcussam obtinere auctoritatem.

45 Præterea; Pontificis Romani iudicium, non potest errare in quæstionibus fidei definiendis, vt diximus hic lib. 1. Trac. 3. Instr. 3. lect. 1. & 2; & vlterius constat Lucæ 22. ex Christi promissione, *Ego rogaui prò tè Petre vt non deficiat fides tua*. Ergo, neque potest errare Concilium legitimè congregatum. Probatur cõsequentia; nam, illud Concilium dicitur legitimum, vbi indictio, approbatio, & consensus Pontificis Romani concurrit.

46 Rursus, Si Concilium posset circa fidem errare, iam malè fuisset à Christo Ecclesiæ suæ prouisum, in casu quo, omnes Episcopi, & Pastores Orbis in Concilio Generali congregati errarent in fide, proponendo aliquid de fide credendum, de quo non constaret, verum ne sit, an falsum? Et sic, omnia essent dubia, & errori obnoxia. Hoc autem non est dicendum, dum iuxta Christi pollicitationem; Ecclesia vniuersalis, quandiu erit orbis, semper sit in Christi fide permansura, semperque in ea futuri sint Pastores, & Doctores, qui in doctrina sana populos instruant. Ergo Concilia legitima non possunt errare.

47 Probatur quintò specialibus principijs, & Confessionibus Protestãtium inhærendo. Lutherus, dum in Anabaptistas debachatur, in Commentar. ad psal. 82. ait: *Legimus quid Sancti Patres in Concilio Nicæno fecerint, simul vt Arianorum doctrinam legi audierunt, exibilarunt eam vnanimiter &c. damnarunt eos tanquam manifestè blasphematores.* Igitur, in Concilio residet inconcussa auctoritas in decretis fidei, contra hæreticos.

48 Idem Lutherus contra Oecolampadium, Conciliorum inconcussam auctoritatem, necessariam esse dixit; *Si diutius steterit mundus, iterum erit necessarium propter diuersas Scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conseruandam fidei vnitatem, vt Conciliorum decreta recipiamus.* Et iterum

in

in Disput. Lipsica, dixit: *Concilijs nihil derogo, sed omnium Sacratissimum fuit Nicænum.*

49 Succenturiatus est Luthero Paræus Caluinista, qui in Concilijs Generalibus tantum firmitatis, & inerrabilitatis auctoritatem agnouit, vt diceret, se eorum decretis obtemperaturum, sicut Deo ipsi nobiscum loquenti. Is enim, in Instruct. Gallica fol. 32. & 33. ait: *Concilia Generalia reueremur, ac obtemperare eis volumus ac ipsi met Deo nobiscum loquenti, illud sequentes quod Christus dixit Apostolis suis: qui vos audit me audit.*

50 Sed & Magister eius Caluinus lib.4.Inst.cap.9.§.8. dudum dixerat: *Nos Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem, ac similes priscas Synodos, quæ confutandis erroribus habitæ sunt, libenter amplectimur reueremurque vt Sacrosanctas; nihil enim continent, quàm puram, & natiuã Scripturæ interpretationem, quam Sancti Patres spirituali prudentia ad frangendos Religionis hostes accomodarunt.*

51 Et iterum idem eodem lib. 4. Inst. cap. 9. §. 13. considerans dissidiorum, ac controuersiarum fidei apud suos largissimam segetem, desperat iurgiorum finem; & à veritate coactus asserit, pro sedandis dissidijs nullum aptiorem medium fore nisi ad inconcussam Conciliorum auctoritatem confugere: *Nos libenter* (ait) *concedimus, si quæ de dogmate incidat disputatio, nullum esse melius, nec certius remedium, quàm si verorum Episcoporum Synodus conueniat, vbi controuersum dogma discutiatur.*

52 Caluino subscribunt sui Hugonoti in Confessione fidei, Regi Galliarum exhibita, vbi dicunt: *Et in hoc admittimus quod determinatum fuit per antiqua Concilia, & detestamur omnes Sectas, & hæreses, quæ reiectæ fuerũt per Sanctos Doctores.*

53 Sutcliffus in examin. Kelliſoni pag. 42. illud de Concilijs protulit: *Falsum est nos nullos præter ipsas Scripturas, Iudices admittere, semper enim ad Concilium generale appellamus.*

54 Ioannes Serranus Caluinista Arauxicanus lib.Cõcord. Relig. pag. 5. *Si perspicuum sit Ecclesiam in Concilijs, vt magnis suis Comitijs adunatam, ei doctrinæ assẽsisse; quis Christianorum dubitare amplius possit, illã veram esse doctrinam omnibus semper, & vbique ratam, quam Scriptura doceat, Doctores Orthodoxi Ecclesiæ interpretentur Ecclesia denique ipsa Catholica suo consensu confirmet?*

55 Denique, Spalatensis Archiapostata, loquens de Prisca Ecclesia Catholica lib.6.de Repub. cap.4.n.6. inquit: *Illa ergo Ecclesia Vniuersalis, quæ horum Conciliorum definitionibus approbatis, & admissis, mansit perfectè Orthodoxa, & ab impuris separata, illa profectò fuit tunc, & adhuc est nobis regula tutissima credendorum.*

56 Habes ergo amantissime Lector, quæ Conciliorum confirmandæ auctoritati subseruiunt, ex Aduersariorũ penu fidelissime deprõpta, quæ tamen puto, haud fore *Aduersarijs* ipsis ingrata. Remanet vt Argumenta soluamus.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

57 ARguunt primò, præcipuè Caluinus lib.4. Instit.cap.9.§.3. & objcit multa loca Scripturæ Testamenti Veteris, ex Hierem.6.Isaiæ 59.Oseæ 9. Ezechiele 22. vbi Sacerdotes, & Prophetæ, dicuntur mendaces, & violatores Legis, ergo Concilia possunt errare.

58 Respondetur primò, ea omnia, dici de Prophetis secundùm se consideratis, & prout de suo loquuntur, non verò prout diriguntur à Spiritu Sancto, maximè si sint in eodem Spiritu Sancto conciliaritèr congregati, nam de his dicitur Deutoronomij cap. 17.

Digitized by Google

cap. 17. *Et facies quæcumque dixerint, qui præsunt loco, quẽ elegerit Dominus, & sequeris sententias eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.* Et hos, Deus Moysi præcepit congregari Numeror. 11. *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quòd seues populi sint, ac Magistri.* Horum ergo, Dei iussu conuocatorum, ac Spiritu Sancto suggerente loquentium sententie, ac decreta, infallibilem obtinent veritatem. Et sic nihil proficit Caluinus.

59 Respondetur secundò, Caluinum, contra omnem æquitatem, eam consequentiam, ex illo antecedenti deducere, eaque Prophetarum, ac Sacerdotum veteris testamenti crimina, ad Sacerdotes noui testamenti, maximè legitimè in Concilio cõgregatis, transferre; Quandoquidem, à Deo abundantioris gratiæ donata, maioresque Dei promissiones habet Ecclesia Christi, quàm Iudæorum Synagoga; nàm de illa, non de ista dictum est ab Apostolo 1. Timoth. 3. quòd sit *Columna, & firmamentum veritatis*, & Matt. 26. *Porta inferi non præualebũt aduersus eam.* Et Actor. 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis &c.*

60 Arguit secundò, Caluinus ibid. §. 4. & obijcit loca ex 2. Petri 2. Actorum 20; vbi dicitur, quòd in Ecclesia erunt falsi Doctores, & Matt. 24. *Multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos*: Ex quibus deducit, quòd legitimè in Concilio congregati, eorumque decreta non contineant infallibilem auctoritatem.

61 Respondetur neg. consequentiam, & retorqueo argumentum; ergo Caluinus, & Lutherus, qui sunt Pseudoprophetæ, & Pseudodoctores, mentiuntur, ac plebes sua dicacitate decipiunt; adeoque, vt eorum mẽdacia, & errores ab Ecclesia profligentur, Concilium Tridentinum est legitimè congregatum, per cuius decreta lupi isti, ouium Christi mactatores, sunt iugulati. Et hæc est legitima consequentia; nam, vt dictum est, & Caluinus ipse eodem lib. 4. instit. cap. 9. §. 1. vltrò concedit, *est ius Christi, vt Concilijs omnibus præsideat*, & Siritus Sanctus, Patribus in Concilio congregatis suggerit quæ circa fidei doctrinam sunt stabilienda, iuxta illud Actor. 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, ex qua assistentia, decreta, maximè contra fidei hostes prolata, inconcussam obtinent firmitatem. Quare Iulianus Episcopus Coensis in Concilio Chalcedonensi ad Leonem Cæsarem dicebat, *Vbi congregata fuit tantorum multitudo Põtificum, & Sanctorum præsentia Euangeliorum, & frequens simul oratio, illic creaturæ totius Opificem inuisibili virtute credimus fuisse præsentem, per ora eorum loquentem.*

62 Arguit tertiò Lutherus in Assertionibus articulo 29. reprehendẽdo Concilium Apostolorum Act. 15. Decretum D. Petri Apostoli, quòd Gentiles non deberent cogi ad legalium obseruantiam, verum fuit, eũque defendit D. Paulus epist. ad Galatas per totam; illud tamen decretũ reprobatur à D. Iacobo, quod Iacobi decretum à toto Cõcilio fuit approbatum iubens, gentes abstinere à sãguine, & suffocato, ne Iudaizarent. Ergo Concilium illud Apostolicum errauit, dum permisit Gẽtiles Iudaizare.

63 Respondetur, quòd prohibitio illa de non edendo suffocato, & sanguine, erat de re, quæ non erat intrinsecè mala: sed ex eo, quia taliũ rerum comestio, poterat esse, in illis Ecclesiæ Christi primordijs, scandalo ipsis Iudæis si vidissent Gentiles vesci, vel sanguine, vel suffocato, vel carnibus immolatis, à quibus ipsi rigorosè se abstinebant. Ad hoc autem vt inter has duas nationes ex quibus Ecclesia erat cõgregãda, Iudæos scil. & Gentiles conuersos, seruaretur pax, & concordia, imò amor, & charitas Christiana; ad tempus facta est

in

Digitized by Google

in Concilio prohibitio illa, donec Ecclesia cresceret, & ex Gentilibus, & Iudæis coalesceret; quo peracto, sicut cessauit finis legis, ita & lex ipsa. Hæc responsio desumpta est ex D. Augustino lib. 30. cont. Faustum cap. 13. Constat ergo, Concilium illud, non erasse: sed neque Iacobum Petri sententiam mutasse, certum est; nam, antequam res esset definita, Iacobus putauit addendum præceptū temporaneum sententiæ Petri, deindè Iacobus, & cæteri, in sententiam Petri iuerunt, & ex sententia Petri definierunt, vt ait D. Hieronymus epist. ad Augustinum, quæ inter Augustini epistolas, est 11. non ergo errauit Concilium.

64 Arguunt quartò, Lutherus lib. de Concilijs part. 1. pag. 92. & alij. In Concilio Nicæno in vno Canone Sacerdotibus interdicuntur coniugia; & in alio canone dicitur, non esse ad Sacerdotium idoneos eos qui se castrauerunt. Rursus, ibidem refert idem, locum eiusdem Concilij de rebaptizandis hæreticis Paulinianis redeuntibus ad Ecclesiam, quæ omnia falsa sunt, & contra fidem.

65 Respondetur, quòd id eò Luthero erronea est lex continentiæ in Nicæno Concilio stabilita; quia; ipsi in omnem licentiam proripienti, lex illa impossibilis videbatur, vndè in Colloq. German. cap. de matrim. dicebat: *Vt nemo potest cibo, ac potu carere, sic fieri nequit, vt aliquis à muliere abstineat*; Nobis autem ex Dei gratia, ac carnis maceratione facilis, ac periucunda est. Neque in hoc Conciliū errauit, sed errat Lutherus Apostata, ab instituto, à fide, ab Ecclesia, à Deo. De hac re erit sermo ex professo 3. P. cum de Ministris Ecclesiæ.

66 Ad illud, quod in argumento additur de anabaptismo Paulinistarum, dicimus, quod cùm Paulinianistæ non baptizarent in nomine Trinitatis, (negabant enim Trinitatem, & Christum purum hominem asserebant;) eorum baptisma non erat validum, nec verè baptizabant; adeoque, redeuntes ad Ecclesiam, erant baptizandi; idque, non erat iterum baptizare, sed primo baptizare, propter primi baptismi inualiditatē.

67 Arguunt quintò, Lutherus Brentius, & Hamelmannus. In eodem Concilio Nicæno damnatur militia, eamque suscipientibus pœnitentia iniungitur, & tamen in Scriptura Lucæ cap. 3. à Ioanne Baptista tamquā licita approbatur, ergo errauit.

68 Respōdetur Concilium damnare militiam, eamque sequentibus, pœnitentiam iniungit, non quia militia mala sit secundùm se; sed quia interdum, militiæ cingulus dabatur ea cōditione, vt idolis immolarent, vt habetur ex Ruffino lib. 10. histor. cap. 32. vbi refert, Iulianum mandasse. *Militiæ cingulum non detur nisi immolantibus*; Et cingulus iste militaris, erat res maximi honoris, vt ait Eusebius lib. 8. hist. cap. 4. quia verò multi Christiani, fidei ardore succensi, nè idolis litarent, cingulum militare abijciebant; & postea Diabolo suadente, & ambitione ebulliēte, hunc honorem cinguli militaris affectabant, ac Idolis sacrificabant; Concilium, tanto malo occurrens, pro talibus pœnam constituit, eisque pœnitentiam iniunxit. Vbi error?

69 Arguunt sextò, præcipuè Hamelmannus. Sardicense Concilium (quod fuit generale) est receptū, & approbatū à Leone 4. dist. 20. cap. de libellis, & tamē hoc Conciliū, fuit hæreticorum Arianorum, dicente Augustino lib. 3. cont. Cresconium cap. 34. *Disce quod nescis, Sardicense Concilium Arianorum fuit*, &c. ergo &c.

70 Respondetur ex D. Hilario lib. de Synodis, & ex D. Athanasio in Apologia 2. quòd Concilium Generale Sardicense, fuit in duas partes discissum; vna pars fuit septuaginta Episcoporum Orientalium Arianorum; altera pars fuit trecentorum

Epi-

Episcoporum Catholicorum Occidentalium. Episcopi Orientales Schismate facto, à trecentis Episcopis Orientalibus, & à Legatis Iulij Summi Pontificis Romani se separarunt, & Catholicam fidem, ac *D.* Athanasium damnarunt. Episcopi verò Occidentales cum Legatis Summi Romani Pontificis remanentes, pro fide Catholica stabant, & Athanasium ad propriam Sedem dimiserunt, ac restituerunt; & horum decreta, non illorum fuerunt à Leone 4. Summo Pontifice confirmata. *Augustinus* autem, quia tunc temporis non vidit nisi decreta Episcoporum Orientalium *Arianorum*, ab Orientalibus Episcopis in *Africam* ad vniendos sibi Donatistas missa; vt Cresconij errorem exsibilaret, qui Episcoporũ Arianorũ Occidẽtaliũ decreta *Augustino* obijciebat; rectè ab *Augustino* ei responsum fuit. *Disce quod nescis, Sardicense Concilium quorum decreta contra fidem Catholicam obijcis, Arianorum fuit.* Et tunc nihil contra nos.

71 *Arguunt* septimò, Caluinus lib. 1. Inst. cap. 11. §. 14. & lib. 4. cap. 9. §. 9. Centuriatores cent. 8. cap. 9. Hamelmannus lib. 3. Prologomen. cap. vltimo. Septima Synodus, quæ & Nicæna 2. definiens cultum, & venerationem Sacrarum imaginum, destruit decreta sequentis legitimi, & generalis Concilij Constantinopolitani, tempore Copronymi *Imperatoris*, & Francofordiensis 2. in quibus Legati Summi Pontificis Romani sederũt; vbi, prædictus *Imaginum* cultus, seueriſsimè prohibetur. Ergo vel illud, vel ista errarunt.

72 Resp. Nicænam secundã Synodum nullius legitimi Concilij decreta destruere. Et quidem Cõcilium illud Constãtinopolitanum sub Cõstantino Copronymo, nec generale fuit, nec legitimum; nam, in illo, nec per se, nec per legatos Pontifex Romanus interfuit, vt ipsi Cẽturiatores aduersarij nostri non inuiti fatentur Centuria 8. cap. 9. col. 551; imò neque adfuerunt ibi Patriarchæ Alexãdrinus, *Antiochenus*, & Hierosolymitanus, vt ijdem Magdeburgenses ibidem affirmant; Quale ergo poterat esse Concilium generale, sine Episcopis Orientis, & Occidentis, sed dumtaxat cum Episcopis missis ab *Aquilone* ex quo panditur omne malum? Qualẽ, Concilium, cuius decreta non sunt à Romano Pontifice approbata, obtinebit fidei firmitatẽ?

73 Concilium verò Francofordiense, neque fuit legitimum; nam, esto rogatu Caroli Magni à Papa *Adriano* fuerit conuocatum, vt diximus pri. p. narr. 7. fol. 126. n. 49; tamen, quia multa eiusdem decreta, fuerunt edita, non consentientibus, sed repugnantibus Papa Adriano, & Legatis eius, vt testantur aduersarij nostri Protestantes Centuriatores Cent. 8. cap. 9. col. 634; fit indè, vt Cõcilium illud, eiusque decreta, vtpotè à Papa reprobata, nullius sint auctoritatis, ac roboris. Præterea eadem Synodus Francofordiensis decreuit, vltimum iudicium, diffinitiuamque sententiam, in causis, & controuersijs fidei, ad Supremum Romanum Pontificem pertinere, vt patet ex libris Carolinis, qui nobis obijciũtur. Igitur hoc Concilium se ipsum refellit. Videatur *Bellarm.* cõtrou. 4. cap. 8. col. 1217. & seq.

74 Arguũt octauò. Synodus Neocæsariensis (à Summo Pontifice Romano Leone 4. approbata dist. 20. can. de libellis, & in Concilio Nicæno 1. recepta, & Conc. Florent. sess. 7.) Canone 7. Prohibentur secũdæ nuptiæ, his verbis: *Presbyter conuiuio secundarum nuptiarum interesse non debet, maximè cùm præcipiatur secundis nuptijs pœnitentiam tribui.* Sed hoc est contra Scripturam, nam *D.* Paulus ad Corinth. 7. secundas nuptias concedit: *Si dormierit (ait) vir eius, liberata est, cui vult nubat, tantùm in Domino.* Ergo errauit Concilium.

75 Resp. ex Glossa 31.q.1. can. *De his qui frequenter*, Concilium non damnare secundas nuptias absolutè, vel mortua vxore in primis nuptijs ducta, de quibus nuptijs loquitur D. Paulus loco citato; sed damnare secundas nuptias, viuente, ac superstite prima vxore, quo casu quis Turcico more duas simul haberet vxores. Vel dicamus ibi non prohiberi secundas nuptias, sed solemnitatem, & cæremonias secundarum nuptiarum, quæ, secundùm Ecclesiæ ritum, tantùm in primis nuptijs sunt adhibendæ, vt erat (ex Ambrosio lib. 1. de *Abraham* cap. 9.) traditio veli, quo obnubebantur nouarum nuptarum capita. Prohibetur autem in Can. adducto, ne Presbyter, secundarum nuptiarum celebritati, & solemnijs interesit, quippè quæ erant Ecclesiasticæ praxi, ac consuetudini contrariæ; quid, & pœnam iniungendam voluit ijs, qui talibus repetitis solemnijs, Ecclesiasticas consuetudines violarent.

76 *Arguunt* nonò, Concilium Gangrense, (receptum à Papa Leone 4. dist. 28. can. de libellis) can. 4. excomunicat eos, qui nolunt interesse sacrificio, quod offertur à Presbytero coniugato. Hoc autem est cõtra Concilium Arelatense 2. can. 2. vbi definitur non esse *assumendum aliquem ad Sacerdotium in vinculo cõiugij*. Ergo fuit erratum.

77 Resp. Neutrum Concilium errasse; nam, Concilium Gangrense fuit celebratum contra Manichæos, & Eustasium Sebastenum, qui dicebant, esum carnium, & nuptias absolutè esse mala, & à Diabolo; indeque, propter odium nuptiarum, & matrimonij, etiam odio habebant Presbyteros, qui vxores habuerant; Concilium, vt tanto malo occurreret, illum quartum Canonem edidit, per hæc verba: *Quicumque discernit, à Presbytero, qui vxorem habuit, quòd nõ oportet, eo ministrãte, de oblatione percipere, Anathema sit.* Et ne putent Protestantes, ex hoc loco aliquid causæ suæ, contra Presbyterorum, coelibatum, accedere; notent Canonis verba, quæ non de Sacerdote, de præsenti vxorem habente; sed de eo qui vxorem *habuit*, sunt prolata, quos Manichæi, in odium nuptiarum, & Matrimonij, ferre non poterant, neque ex eorum manibus communionem percipere volebant.

78 Arguunt decimò, Caluinus, & alij ex Patribus. Gregorius Nanziãzenus in epist. ad Procopium, Concilia his verbis detestatur: *Ego, si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, vt omnia Episcoporum Concilia fugiam, quoniam nullius Concilij finem lætum, faustumque vidi &c.*

79 Resp. eam epistolam Nanzianzeni, fuisse responsiuam ad alteram Procopij, per quã ille, à Procopio, Imperatoris nomine, ad quoddam Concilium vocabatur; & cùm neque vellet, neque posset conuenire; duplici ratione se excusat; Primò, & præcipuè, quia morbo grauissimo detinebatur, & putaret se quotidiè moriturum: Secundo, quia illorum temporum infœlicitas nullum patiebatur omni ex parte legitimum iniri Concilium, propter hæreticorum multitudinem; & ita, desperans Sanctus Antistes se legitimũ Cõcilium eo tempore visurũ, scripsit illa verba in argumento allata, vbi loquitur de Conciliabulis, non de legitimis Concilijs.

80 *Arguunt* vndecimò, & obijciunt *Augustinum* lib. 3. cont. Maximianum cap. 14. dicentem: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus proferre Concilium, nec ego huius auctoritate, nec tu illius detineris.*

81 Resp. Augustinum dixisse se nõ detineri *auctoritate huius*, scilicet, Concilij Ariminensis, quod fuit illegitimum; sicut Maximinus, non detinebatur auctoritate (quã negabat)

San-

Sanctissimis Concilij Nicæni. Et quia D. Augustinus disputabat cum hæretico Ariano Concilium Nicænum respuente, cùm ex hoc loco nō posset aduersarium conuincere, & fortiora argumenta suppeteren t ex Scripturis, dixit: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense proferre Concilium*, ideſt, Conciliorum auctoritate proj nunc sepositā, ex Scripturis rem agamus. Non ergo Augustinus negauit auctoritatē Concil. Nicæni, quā maximi faciebat, vt patet ex his quæ paulò ante dixerat ibidē.

82 *Arguunt* 12. & obijciunt eundem Augustinum lib. 2. de Baptismo cap. 3. dicentem, *Concilia plenaria priora, emendari per posteriora*. Ergo (infert Hamelmannus lib. 3. prologom. cap. 16.) Concilia plenaria priora errarunt.

83 *Resp.* quòd ex Sanctorum Patrum sententia præcipuè eiusdem Augustini, & Isidori, ly *emendari*, idē valet ac explicari, & declarari ea, quæ fortassis obscurius in prioribns dicta sunt. Vel dicas, *D.* Augustinum loqui de Concilijs illecitimis prioribus, quorum decreta emendantur per posteriora legitimè congregata, vt pat. de Ephesino 2. à Chalcedonensi emendato. Vel dicendum, quod si loquatur de Concilijs legitimis prioribus, hæc *emendatio* non est intelligenda quantùm ad decreta fidei, & morum, sed quantùm ad aliquas cæremonias, & quantum ad ea quæ pertinent ad Ecclesiasticam doctrinam; potest enim Concilium secundùm loci, & temporis exigentiam, quædam talia immutare, ad vtilitatem: sicut antiquitùs, cum Sacrum in Ecclesia perageretur, totus populus respondebat *Amen*, & *cum spiritu tuo* &c. postmodum, ad euitandum turpem plebis strepitum in Ecclesia, statutum est, vt vel periti in arte psallendi, vel solus vnus respondeat; pariter, Eucharistia olim dabatur in manus, domique asseruabatur; decursu postmodum temporis, ad euitanda multa incomoda, hoc fuit interdictum; dabatur etiam paruulis &c. Hinc ait D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 1. in corp. quòd, cùm à Legislatore Christo relictum sit Præsidentibus multa determinare, & ordinare subditis, quid sit faciendum, vel vitandum, & de ratione legis sit, vt loco, & tempori sit conueniens, vtilis, aut necessaria; multa, antiquitus sancita, reuocantur, & emendantur, quorum obseruantia inutilis esset, ac pernicioſa, videatur etiam ibidem q. 97. art. 2. in corp.

84 *Arguunt* 13. præcipuè Marcus Antonius de Dominis lib. 7. de Republ. cap. 3. n. 9. Omnes Episcopi diuisiuè sumpti possunt errare; ergo etiam collectiuè & simul congregati. Probat consequentiam, nam talis congregatio Conciliaris in vno loco, non facit Episcopos indeuiabiles à fide, seù inobliquabiles. Ergo si diulsi possunt errare, etiā coniuncti.

85 *Resp.* quòd malè deducitur illa consequentia; nam, à diuisiuo ad collectiuum non valet argumentatio; vndè negatur consequentia illa; ad prob. dist. antecedens, non facit Episcopos indeuiabiles à fide, vt causa efficiens, concedo; vt conditio, nego antecedens. Spiritus Sanctus ergo, est causa quæ facit Episcopos indeuiabiles à fide, seù inobliquabiles; at idem Spiritus, non influit, nec tribuit hanc inobliquabilitatem, nisi Congregatis in vnum auctoritate Summi Pontificis Romani, ità quòd, exigitur ista congregatio in vno loco, tanquam conditio, ad hoc vt Spiritus Sāctus inobliquabilitatem tribuat. Sicut legimus Actor. 1. quòd in die Sancto Pentecostes, Spiritus Sanctus, tamquam conditionem, requisiuit, vt Apostoli, & discipuli essent in vnum congregati, ad hoc vt super illos descenderet, suaque dona, præcipuè indefectibilitatis à fide, super illos diffunderet.

Digitized by Google

86 Si autem dicat Spalatensis, hanc promissionem non minus esse factam consilijs Generalibus, quàm Prouincialibus, & Capitulis Monachorum; cùm Matth. 18. dictum sit, *vbi fuerint duo vel tres* &c.

87 Respondetur ex dictis in hac lect. num. 16. 17. 18. & 19. quod promissio illa, non est facta Concilio Prouinciali, neque Capitulis Monachorũ, eodẽ modo, ac Cõcilio Generali, sed aliter, & aliter Generali, ac Prouinciali Concilio est aptanda.

88 Arguunt 14. Ecclesia, à sola Diuina Omnipotentia, ab errore præseruatur, in fide firmatur, & in suis decretis obtinet infallibilitatem. Sed concilia potestatem, & auctoritatem condendi decreta ab humana commissione habent, & accipiunt, humanaque auctoritate cõuocantur. Ergo concilia non habent inconcussam, & infallibilem veritatem.

89 Resp. neg. minorem; nam potestas, & auctoritas condendi decreta in conciliis, est à Spiritu Sancto principaliter, estò etiam sit ab Episcopis ministerialiter. Et quamuis conciliorum vocatio, & iurisdictio non nisi per Summos Pontifices, qui quidem homines sunt, habeatur; radicaliter tamen vtrorum iurisdictio, Episcoporum scilicet, & Pontificis, diuina est; *Instituit enim Christus*, vt per Summos Pontifices, Episcopi assumerentur in partem sollicitudinis, & iurisdictio esset *sicut vnguentũ in Capite* Summo Pontifice, *quod descendit in barbam, barbam Aron*, id est, in Episcopos.

90 Arguunt 15. Frequenter Conciliorum decreta dependent ex sententia vnius Episcopi; & ita habemus *Hosius dixit*, N. *dixit* &c. sed sententia vnius non facit decretum infallibilis auctoritatis: ergo multoties Cõcilia Oecumenica possunt errare.

91 Resp. quod vtique concilij decreta multoties depẽdent ab vno tamquam à primo proponente, decretum suggerente, vel decreti motiua demonstrante, non tamen adæquatè, perfectè, & completè; itaut, ex sola vnius sententia, absque aliorum consensione, decretum illud infallibilitatem obtineat; sed vlterius exigitur, vt illius vnius sententia, à cæteris (re discussa) Episcopis approbetur, & definiatur. Et quando dictum est, *Hosius dixit*, tamquam Legatus, & Præses, hoc non excludit cæterorum Episcoporum consensum, qui Hosio subscripserunt, & in eandem illius sententiam collimarunt.

92 Arguunt 16. Spalatensis, & Protestantes communiter. Non cõstat de fide quòd hoc vel illud Concilium sit legitimè congregatum. Ergo non constat ex fide de eius infallibilitate. Prob. antecedens; nam non constat de fide Episcopos esse baptizatos, & ordinatos; neque aliunde cõstat Concilium esse legitimè congregatum, nisi ex historia humana, quæ fallibilis est.

93 Resp. quosdam seditiosos tẽpore Clementis 8. hoc eodem argumento, Summi Pontificis auctoritatem, & veritatem impetijsse; dicentes, nõ esse de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem, quæ fuit etiam fantasia Archiapostatæ Spalatensis lib. 4. de Republica cap. 10. num. 100. ijsdem prorsus rationibus innixa. Vnde, & nos sicut asseueramus esse de fide hunc numero hominem Innocentium XI. esse verum Pontificem, nullamque esse Spalatensis argumentationem, scilicet, quòd nobis non constet an sit verè baptizatus, & ordinatus ex defectu intẽtionis ministrorum &c. Ita proportionabiliter dicimus de Episcopis, in Concilio legitimè congregato, & à Pontifice approbato consedentibus, & definientibus: Et de vtrisque asseueramus, ad diuinam prouidentiam spectare non permissuram Pontificem non baptizatum in Cathedra sedere, vel de Cathedra

pro-

pronunciare; vel Episcopos nō baptizatos omnes in Concilio legitimo consentire, & sententiam conciliarē pronunciare. Nec inanitèr ad diuinā prouidentiam recurrimus; nam, etiā ad eamdem tenentur recurrere illi qui dicunt posse Episcopos congregatos ore assentiri dogmatibus, corde dissentire; & tamen, quia Ecclesia gaudet priuilegio non errandi, pro indubitato habemus, eos ex Dei prouidentia semper veritatem ad credendum proponere, ne Ecclesia decipiatur; aduersus quam, ex infallibili Diuina promissione, portæ inferi nunquam prævalebunt ad decipiendum, cùm sit Columna, & Firmamentum veritatis.

94 Quantùm ad id quod subditur in argumento, quòd scilicet ex humana historia constat, Concilia fuisse legitimè congregata; dicimus cum Cano lib. 11. de loc. de auctoritate humanæ histor., id nedum ex humana historia præcisè constare, sed tum ex historia Ecclesiastica humana, tum ex praxi Magistræ veritatis Ecclesiæ, quæ, continua temporum successione, semper, ijs Concilijs fidem adhibuit, Canones citauit, secundùm eosdem Canones iudicauit, eorumdemque auctoritatem agnouit, & strictissimè mandat ea, esse ab omnibus sub anathemate recipienda. Illud tamen verum erit, non esse hæreticorum historicorum dictis fidendum, sed dumtaxat Catholicorum qui, Ecclesiastica grauitate compositi, lacteo quidem, sed castissimo nitore decurrunt. Videatur Bellarmin. Controu. 4. lib. 2. cap. 9. qui ad hoc argumētum multis respondet; vbi citat Canum lib. 6. de Locis cap. vlt. in solut. 10. argu.

95 Arguit 17. Spalatēsis vbi sup. n. 9. & 10. Patres in Cōcilio cōgregati, per sua decreta, nō faciūt rē de fide, sed id quod de fide erat, eliquant; sicut fossores auri in fodinis, aurum non faciunt, sed latens eruunt; hoc est, quod vetus Ecclesia conseruabat, in lucem producunt ex Lyrinensi cap. 33. Ergo non in ipsis seu eorum auctoritate, sed in veritate quam ponunt, est infallibilitas.

96 Resp. distinguo antec; Patres non faciunt rem de fide in se, concedo; quo ad nos nego antecedens. Illa enim res quæ de fide erat, à Patribus in Concilijs declaratur, explicatur, & in lucem producitur; non quidem simplici veritatis manifestatione, sed auctoritatiuè mandando, & decernendo, eā rē, esse de fide tenendam. Quare, non sunt præcisè aurifossores, sed approbatores, & Iudices auri veræ doctrinę, quod aurum sit, & non plumbum; impurum à puro separantes; nè hæretici, plebes, & simplices decipiant, plumbum pro auro venditantes. Vnde, & obsignatores auri veræ doctrinæ dici possunt, vt reddatur moneta publica, sine deceptione currens, & expendibilis.

97 Arguit 18. Spalatēsis ibid. n. 2. Orthodoxi dum dicunt, Concilia errare non posse, id asserunt de Concilijs confirmatis à Papa: sed hæc est petitio principij. Ergo malè dicunt Orthodoxi. Prob. minor; Hoc est dicere, quòd absolutè, decreta Conciliorum, sunt incerta, & fallibilia, nisi adsit Papæ iudicium infallibile; ergo, non est amplius quæstio de auctoritate Cōciliorum, sed de auctoritate Papæ quæ cōtrouertitur. Vndè status etiam quæstionis immutatur.

98 Resp. neg. mi; ad prob. concedo antecedens; nam, Cōcilia, vt Cōcilia, de se absolutè sunt fallibilia, adeòque requirunt Papæ approbationem, ac confirmationem; nec Cōcilium dicitur absolutum, & cōpletum, nisi post confirmationem Papæ; omnis enim eorum firmitas, & infallibilitas, ex Pontificis Romani infallibili auctoritate, & confirmatione tanquā à priori dependet.

Ne-

Neque, vt fingit Spalatensis, est petitio principij; neque status quæstionis immutatur; nam, aliud est quærere de auctoritate Concilij congregati non approbati, aliud de auct. Conc. congregati, & approbati à Papa: & aliud est quærere de Concilio à Papa approbato, aliud de auctoritate Papæ; hoc secundum, controuersum non est, nisi apud Protestantes; contra quos, Papæ infallibilitas in rebus fidei probatur specialitèr ex multis Scripturæ locis, *ego rogani pro te Petre, vt non deficiat fides tua* &c. Aliud igitur est quærere de auctoritate solius Papæ, aliud de auctoritate Papæ cum Concilio, hoc secũdùm à multis Protestantibus, conceditur; illud primum ab ijsdem vniuersaliter hæreticè cõtrouertitur. Neque ergo principium petimus, neque quæstionis statum immutamus. Videantur ea quæ supra apposuimus lib. 1. trac. 3. instr. 3. lect. 1. & 2. de infallibili Iudicio Romani Pontificis.

LECTIO II.

Quod irreligiosè ac impiè Protestantes, Sacri Tridentini Concilij decreta in examen adduxerint.

1 PRotestantes cùm essent cõmunitèr ab Ecclesia profligati, ab Episcopis, & Prouincialibus Synodis appellantes, ad Generale Concilium prouocarunt, vt dilatione interposita, latiùs grassaretur pestis hæretica. Indicto tamen Oecumenio Tridentino Concilio, in aliam contrariam sententiam, sua instabilitate, declinarunt, totisque neruis in Conciliorum exterminium casso labore desudarunt; eaque, adhuc à Romano Pontifice approbata, nullius esse auctoritatis asseuerarunt; & non sine aliorum Oecumenicorum Conciliorum preiudicio, Sacrum Generale Tridentinum Concilium, eiusque decreta, examinanda censuerunt. Pat.

Protestantiũ astutia.

Mendacium Protestantium.

2 VOraciſſimus animarum predo Lutherus in *Assert.* assetione 29., censoria virga assumpta, omnium Conciliorum se iudicem facit, dum ait: *Via nobis facta est eneruandi auctoritatem Conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta*, &c. Luthero subscribit eius fidus Achates Melanchon in repetit. Confess. *Augustanæ*.

3 Caluinus in eadem hæret salebra, dum Sacrorum Conciliorum decreta ad Scripturæ amussim vult examinari lib. 4. *Instit.* cap. 9. §. 8. *Quoties* (ait) *Concilij alicuius decretum profertur, expendi primùm diligẽtèr velim, quo tempore habitum sit, qua de causa habitum, & quo consilio, quale homines interfuerint; deindè illud ipsũ, de quo agitur, ad Scripturæ amussim examinari*, &c. Idem repetit ibidem §. 9. & 12. Quin, & in Sacri Tridentini Concilij propudium, librum edidit, cui titulum præfixit, *Antitodũ Concilij Tridentini*,

4 His, subscripsit Martinus Kemnitius, qui non est veritus Sac. Tridentinum Concilium sub sui vertiginosi cerebri exameu adducere, vndè librum edidit de hoc argumẽto, attitulatum, *Examen Concilij Tridentini*; in cuius 2. parte in præfat. ne cõtentionis studio, ac veritatis odio Sacra eiusdem Concilij dogmata reijcere videretur; ex communi Protestantium sensu, tandem eiusdem Synodi decreta reijcit, eo prætextu assumpto, scilicet, quòd sint *depranatio cœlestis doctrinæ in Scripturis contẽtæ* (ait ipse) *& confirmatio superstitionum, & abusuum Regni Pontificij, ad normam Verbi Dei iterum examinanda sunt; nec pertinet ad Synodorum contumeliam si exigantur ad normam*

Ver-

Digitized by Google

Quænam est ista Ecclesia à Concilijs distincta, cui debent Cõcilia?

Verbi Dei, quando Concilia debent hoc Ecclesiæ, vt decretorum suorum rationẽ reddam, monstratis fundamentis &c.

5 Postremò Marcus Antonius de Dominis qui anno 1617. ex area Domini velut palea euolauit, lib. 7. de Repub. cap. 3. n. 90. inter alias cõditiones quas exigit in legitimo Cõcilio, est, vt eius decreta ex sola Scripturæ auctoritate promantur. His subscribunt alij. Sed contra stat

VERITAS CATHOLICA.

Sacri Tridentini Concilij, & cæterorũ Conciliorum Oecumenicorum decreta, vtpotè indubitatæ fidei, nõ sunt in dubium reuocanda, & examinada.

6 PRobatur generalibus principijs Protestantium inhærendo, ex Sacra Scriptura, ac totius Antiquitatis consensu. Primò ex Sac. Scriptura. Christus Lucæ 10. Apostolis, eorumque successoribus Episcopis, ait: *Qui vos audit me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Quibus verbis declarauit, doctrinam Apostolorum, & Episcoporum, seù Ecclesiæ simul in Cõcilio plurium collectæ, esse indubitatam; neque esse iterum examinandam an vera sit, ne videamur Christi doctrinam sub virga censoria Ludimagistellorum hæreticorum adducere; quod, nil aliud esset, quàm Christum spernere. Et quidem, quorsum Christus id de Ecclesia, siuè de Episcoporum conuentibus pronunciasset, nisi horum verbum, esset ipsum infallibile, indubitatum, & inexaminabile verbum Dei? Id docet apertissimis verbis D. Paulus 1. Tessal. 2. *Cùm accepistis (inquit) à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum; sed sicut verè est verbum Dei.* Porrò, si quis Paulum docentẽ audiens, ab eo percontatus fuisset: quo pacto cùm homo esset, Dei indubitatũ, ac inexaminabile verbũ, velut sibi proprium vsurparet? Respondisset equidem, se Euangelium, non ab homine sed à Deo accepisse, ea conditione, vt illud in Concilio plurium Apostolorum à Deo profectũ esse probaret; sic ipse ex diuina reuelatione sibi iniunctum fuisse fatetur ad Galatas 2. *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumpto, & Tito; ascendi autẽ secundùm REVELATIONEM, & contuli cum illis, quod prædico in gentibus.* Id autem non alia ratione factum credimus, quàm vt eo, plurium Episcoporum testimonio, ac conciliari decreto Euangeliũ probaretur, & redderetur indubium, & inexaminabile. Impiè ergo aduersarij Conciliorum Oecumenicorum, & præcipuè Tridentini decreta in dubium reuocant, & in examen adducunt.

7 Quid pluribus ago? Ipsi met Protestantes locum adductum, in rem nostram exponunt: Parentius Caluinista in Instruc. Gallica fol. 32. sic protestatur: *Concilia Generalia reueremur, & obtemperare eis volumus, as ipsi met Deo nobiscum loquenti illud sequentes quod Christus dixit Apostolis suis: Qui vos audit me audit.*

8 Præterea Actor. 15. dicitur: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis onaris.* In quibus verbis illud primum maximè notandum est, quod Apostoli in hoc Concilio congregati, non aliter quã ex communi consensione, de fidei doctrina decreuerunt, licet per se, tamquam fidei præceptores à Christo instituti, id præstare potuissent. Alterum, quod pròprius rem nostrã attingit, est, quod Apostoli, huius decreti verba, quæ à toto Concilio prolata sunt, Spiritus Sancti verba esse definiunt. Impie igitur agunt Protestantes, cùm Conciliorum Oecumenicorum decreta in ius vocãt, & in examen adducunt, cùm illa, nõ nisi Dei verbum sint: nisi fortè velint,

Digitized by Google

lint, Spiritus Sancti doctrinam, & verba, sub ferula sui examinis reuocare.

9 Probatur secundò ex auctoritate Summorum Pontificum. Sanctus Iulius Papa huius nominis primus, apud Athanasium ad Diaconum Faccillum, Narcissum, &c. à longè Kemnitium aliosque dementatos Conciliorū examinatores subodoratus, inquit: *Si enim, vt scribitis, inconcussam auctoritatem habet quælibet Synodus & contumelioſè agitur cū Iudice cuius iudicium ab alijs EXAMINATVR; considerate quæso dilectissimi qui nam sint, qui Synodum improbant, & qui aliorum iudicia rescindunt.*

10 Leo Magnus epist. 43. ad Marcianum Imperatorem cap. 2. prospiciens mala quæ sequerentur ex Conciliorum examine, præsertim quòd omnes omnium temporum hæreses in Concilijs damnatæ reuiuiscerent, sic scribit. *Obtestor Clementiam vestram, vt in præsenti Synodo fidem, quam Beati Patres nostri ab Apostolis sibi traditam prædicarunt, non patiamini quasi DVBIAM retractari; & quæ olim Maiorum sunt auctoritate damnata, rediuiuis non permittatis conatibus excitari: illudque potius iubeatis, vt antiquæ Nicenæ Synodi constituta, remota (audite Protestantes) hæreticorum interpretatione permaneant.* Ex quibus verbis elicimus, Conciliorum decreta nedum ex Scriptura, sed & ex Maiorum traditione sanciri; nec esse ab hæreticis examinanda.

11 Iterum idem Summus Pontifex Leo epist. 52. ad eumdem de hoc eodem argumento, ait: *Compressa, vel remota inquietitudine, ac prauitate paucorum, facilè firmabitur probanda concordia, si in eam fidem, quam Euangelicis, & Apostolicis prædicationibus declaratam, per antiquos Patres nostros accepimus, & tenemus, omnium corda concurrant, nulla penitùs disputatione cuiuspiam retractationis admissa, ne per vanam fallacemque versutiam aut infirma videantur, aut dubia, quæ in ipso Angulari lapide Christo fundata sunt, & sine fine mansura.* Ita, inquietitudo, & prauitas paucorum Protestantiū, expeteret inconcussam, & inerrabilem Sacrosancti Concilij Tridentini auctoritatem in dubium reuocare; cum tamen eius Concilij decreta sint in ipso Angulari lapide Christo, & in secundaria fundamentali Petri Petra fundata, quam non vincunt inferorum portæ.

12 Sed & Gelasius Papa epist. 11. ad Episcopos Dardaniæ, quasi importunos nostros Concilij Tridentini censores dudum redarguens, ait: *Nam, si limitibus etiam præfixis positarum semel Synodalium regularum, non cessant elisæ pestes, resumptis certaminibus contra fundamentum se se veritatis attollere, & simplicia quæque corda peruertere; quid fieret, si subindè fas esset Perfidis inire Concilium, cùm quamlibet illis manifesta sit veritas, numquam desit quod pernicioſa depromat falsitas, tametsi ratione, vel auctoritate deficiēs, sola tamen contentione non cedens? Quæ Maiores nostri diuina inspiratione cernentes, necessariè præcauerunt, vt quod contra vnamquamque hæresim coacta semel Synodus pro fide, communione, & veritate Catholica, atque Apostolica promulgasset, non sinerent nouis post hæc tractationibus mutilari, ne prauis occasio præberetur, quę medicinaliter fuerunt statuta, pulsandi: Sed auctore cuiuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato, sufficere iudicarunt, vt quisquis aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus, quoniam manifestè quilibet, vel professione sua, vel communione posset agnosci.*

13 Hinc, adhuc Imperatorum edicto cautum est, ne quis, cuiuscūque conditionis existat, audeat Conciliorum Oecumenicorum sanxiones examinare, vel in dubium reuocare; nam, vt refertur in Concilio Chalcedonensi Act. 3. Valētinianus, & ip-

& ipsius Collega Marcianus Imperatores edicto sequenti seueriſſimo, rẽ hãc mãdauerunt: *Ceſſet iam prophana cõtẽtio. Nam verè impius, ac ſacrilegus eſt, qui poſt tot Sacerdotum ſententiam opinioni ſuæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippè dementiæ eſt in medio, & perſpicuo die commentitium lumen inquirere. Quisquis enim poſt veritatem repertam aliquid vlteriùs diſcutit, MENDACIVM quærit.* (Et quidem Proteſtantes qui ſecundùm Iſaiam cap. 28. v. 16. dicunt. *Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus,* Mendacium quærunt, dum quæ in Sacris Concilijs, & præcipuè in Tridentino ſtabilita atque decreta ſunt, vlteriùs diſcutere, & examinare preſumunt; Deo, Eccleſiæ, ac Imperatorijs edictis iniurij.) ſequitur in eodem edicto: *Nemo itaque vel clericus, vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis de fide Chriſtiana publicè turbis adunatis, & aduenientibus tractare conetur in poſterũ ex hoc tumultus, & perfidiæ occaſionem requirens. Nam iniuriam facit iudicio religioſiſſimæ Synodi, ſi quis ſemel iudicata, ac rectè diſpoſita reuoluere, & publicè diſputare tentennit; cùm ea quæ nunc de fide Chriſtiana ſtatuta ſũt iuxta Apoſtolicas expoſitiones, & ſtatuta Sanctorum Patrum trecentorũ decem & octo, & centũ quinquaginta definita eſſe noſcuntur. Nam, in contemptores huius legis pœna non deerint, quia non ſolùm contra fidem bene compoſitam veniunt; ſed etiam, cum Iudæis, & Paganis ex huiuſmodi certamine profanant veneranda myſteria.*

14 Prob. 3. ex auctoritate Conciliorum, quæ quia Aduerſarijs iniuſtè poſſent eſſe ſuſpecta, ſufficiat pauca ex illis contra eoſdem adducere. Cùm Nicænæ 1. Synodi decreta nonnulli vellent ad examen reuocare, id nulla ratione illis fuit permiſſum; quin etiam mox Sancta Synodus exclamauit: *Si quis retractat, Anathema ſit. Si quis ſuper iſta requirit, Anathema ſit. Maledictus qui addit; Maledictus qui aufert; Maledictus qui innouat.* Ex Sozomeno lib. 4. cap. 17. Et ita maledicti à Deo ſunt Proteſtantes, qui auſu temerario, Sacri Tridentini Concilij decreta in examen vocarunt. Hæc ex Concilijs ſufficiat libaſſe in cauſa præſenti.

15 Prob. 4. Auctoritate Veterũ Patrum. Hilarius lib. ad Conſtantiũ Imperatorem, Proteſtanticos Conciliorum examinatores à longè redarguens ait: *Inter hæc Fidei naufragia cœleſtis Patrimonij iam penè profligata hæreditate tutiſſimum nobis eſt, primam, & ſolam Euangelicam fidem confeſſam in Baptiſmate, intellectamq; retinere, nec demutare quod ſolum acceptum atque auditum habeo bene credere: non vt ea, quæ Synodo Patrum noſtrorum continentur, tamquam irreligiosè, & impiè ſcripta damnanda ſint; ſed quia per temeritatem humanam vſurpantur ad contradictionem, quod ob hoc ſub nomine nouitatis Euangeliũ negaretur impericulosè, tanquam ſub emendatione innouetur.* Ergo iniuſtè agunt Concilij Tridentini Cenſores, qui eiuſdem decreta per humanam temeritatem ad contradictionem vſurparunt.

16 S. Athanaſius nõ ſemel agnouit, totius catholicæ Religionis ſtatum perturbari, ex nouo Conciliarium decretorum examine, ſignanter Apologet. 1. exertè rem explicat, his verbis: *Quæ nunc, à tot, & talibus Epiſcopis probata ſunt, ac decreta, clareque demonſtrata, ſuperuacaneum eſſe denuò reuocare in iudicium, nemo nõ confitebitur: ne ſi nunc quoque examinentur, & denuò iudicentur, ac rurſus examinentur, atque in infinitum exeat iſta curioſitas.*

17 S. Auguſtinus (quem tanquã Theologorum Corypheum veneratur Caluinus) in ſimili cauſa, Pelagianos alloquitur lib. 3. contra eoſdem cap. 1. *Veſtræ apud cõpetẽs iudiciũ cõmunium Epiſcoporum, modo cauſa finita*

est, nec amplius vobiscum agendum est quantum ad IVS EXAMINIS pertinet, nisi vt prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini; quòd si nolueritis, à turbulenta, vel insidiosa inquietitudine cohibeamini.

18 Capreolus Carthaginensis Epist. ad Synodum Ephesinam, similiter contra Examinatores Protestanticos, hæc scripsit: *Quòd si quid fortè nouarum Controuersiarum inciderit, id tempestiuè discussioni subijciatur oportet, vt vel certè dictum comprobetur, vel condemnatione dignum explodatur. At verò si quis in ea, quæ iam olim dyudicata sunt,* (intelligit in Concilijs quia ad Concilium scribit) *denuò inquirere tentauerit, is sanè nil aliud facere censebitur, quàm de fide quæ hactenus valuit apertè dubitare. Vnde ad posteritatis exemplum, tum vt ea quoque quæ iam olim pro Catholica fide definita, & constituta sunt, perpetuam firmitatem obtinere valeant, oportet ea omnia inconcussa immotaque conseruare, quæ superioribus temporibus à Sanctis Patribus constituta sunt.*

19 Respondet ad omnia hæc Kemnitius, & Caluinus, & dicunt, se nolle prolibito ad proprias suorum ingeniorum trutinas, decreta Conciliorum examinare, sed *illa hominum, & Angelorum statera*, scilicet Sacra Scriptura.

20 Verùm, falleris Kemniti, valdè falleris Caluine; nam, si vultis Cõciliorũ decreta ad Scripturæ amussim examinare, vndè constabit tuam Caluine Scripturæ interpretationẽ esse veram, & Kemnitij interpretationem falsam? Examinasti tu Kemniti Concilium Tridentinum, examinasti tu Caluine: & vt vultis, vierque illa hominum, & Angelorum statera Scriptura; cur tu Kemniti diuersam non rarò statutis sententiã, diuersam & è diametro cum Kemnitij sentẽtia Caluine tu profers? Vtri examinastis Sacratissima illa consecrationis verba, *Hoc est Corpus meum*, interpretatione toto Cœlo diuersa; Kemnitius Lutheranus de reali præsentia veri Christi Corporis, Caluinus de figura, & simplici signo eiusdem Christi Corporis. Vtrius iudicio securi stabimus? Quis horum Iudicum Iudex erit? Cur Christus aliter loquitur per Caluinum, aliter per Kemnitium? numquid diuersus, & diuisus est Christus? an hæreticorum more calidum simul & frigidum ex vno ore flare dicendum est? O insaniam! Irreligiosè & dementèr Sacrorũ Conciliorũ decreta ad Scripturæ examẽ trahitis, cùm potiùs huius interpretatio, ex legitimis Concilijs sit petenda, vt alibi asseritis, præcipuè Caluine in tuo lib. 4. Inst. cap. 1. §. 5. vt in vltima probatione sequenti perspicuum erit.

21 Prob. ratione; Si Conciliorum decreta à Põtifice approbata possent in dubium reuocari, & iterum examinari, nihil esset in Christiana Religione tutum, nihil certum; & semper quærendæ, numquam inueniendæ fidei esset locus; adeoque, essemus, vt ait D. Paulus 2. Timoth. 3. *Semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis peruenientes.* Sed hoc non est dicendum; ergo &c.

22 Rursus, Regis hominis edicta, quæ ad publicam Regni vtilitatem lata sunt, vbi semel pronunciata fuere, nemini licet impunè de ijs disputare, aut ea in examen adducere, sed ijsdem parere vniuersos oportet. Ergo, neque licet Spiritus Sancti decreta, quæ per os Ecclesiæ in legitimo generali Concilio prolata sunt, aliquo modo in dubium reuocare, eaque examinare. In hoc planè ingens læsæ Maiestatis crimen Protestantes incidunt, cùm legitimis Concilijs generalibus in definiendis rebus fidei, incertam, ac proindè denuò examinandam veritatem, tribuunt. Agnoscant ergo, legitimis Cõcilijs Oecumenicis adeò infallibilẽ, ex Spiritus Sancti præsentia, ac directio-

rectione veritatem adesse, vt certã, ac indubitatam de rebus fidei fidem faciant, iuxta illud *Actor. 15. Visum est Spiritui Sancto, & nobis.*

23 Probatur tandem specialibus principijs Protestantium inhærẽdo. Lutherus in *Resp. ad Dialog. Prieriatis* dixit: *Deus ingenti miraculo ità suam Ecclesiam seruat, vt nullo suo decreto errauerit.*

24 Caluinus lib. 4. Instit. cap. 9. §. 8. vltrò fassus est se recipere Concilia *quæ Sancti Patres ad frangendos fidei hostes accomodarunt*; & Confessio fidei Caluiniana Galliarum Regi oblata, Caluino subscribit, dicendo: *Admittimus quod determinatum est per antiqua Concilia, & detestamur omnes sectas, & hæreses quæ reiectæ fuerunt &c.* Sed si Concilia essent iterum examinanda, iam Ecclesia errasset, eiusque decreta non essent accomodata ad frangendos fidei hostes, nec esset cur Protestantes detestarentur sectas, & hæreses in Concilio damnatas; nam, esset dubium, adeoque examinandum, num eorum decreta essent ritè contra hæreses sancita; & ita, diceret *Arrius* se vellere examinare an Nicæna Synodus eum rectè iustèque damnauerit; & similia diceret Macedonius, de Constantinopolitana; Nestorius, de Ephesina; Euthychetes, de Chalcedonensi; &c. Ergo si Protestantes velint ad sua dicta consequentèr loqui, tenentur dicere, Conciliorũ decreta non esse in dubiũ vocanda, & examinanda.

25 Rursus Protestantes communiter, & præcipuè idem Caluinus vbi supra §. 14. contra æquitatem, Catholicis insultat, dicendo: *Subijcere in eum modum Dei oracula hominum censuræ vt ideo rata sint, quia placuerint hominibus, blasphemia est indigna, quæ commemoretur?* Cur ipsi oracula Spiritus Sancti, per Concilium loquentis, hominum *censuræ, & examini subijciunt, vt ideò rata sint, quia placuerint hominibus*, & se non blasphemare putant? Cùm aliqui Catholici dicunt, Scripturas veras, esse ab Ecclesia, & Concilijs determinandas, & in Canone ascribendas; non intelligunt quòd Concilia auctoritatem Scripturis tribuunt, quam secundũ se habent independentèr ab Ecclesia, & à Concilio; sed quòd explicant nobis, atque declarant, hanc esse Scripturam quæ secundùm se diuina est. Vbi in hac re *blasphemia indigna quæ commemoretur?* Blasphemia certè indignissima est Spiritus Sancti sententias per Concilium prolatas, *visum est Spiritui Sancto, & nobis*, in examen adducere, ac in dubium reuocare, vt ipsi aduersarij faciunt.

26 Deindè, Lutherus Commentar. in psalm. 82. acerbissimè in *Anabaptistas* inuehitur, & insimul contra eos vrget; decreta Conciliorum non esse iterum in disputationem, & examen adducenda, eò quòd sint satis superque concluſa, & declarata. *Legimus* (ait) *quid Sancti Patres in Concilio Nicæno fecerint* &c. & post pauca concludit: *D. Paulus Timotheo prohibet contentiones, & disputationes, quæ nihil aliud efficiunt, quàm quòd auditores perturbant. Nam tales communes articuli Christianitatis, sunt iam satis auditi, declarati, & concluſi, scripto, & confessione totius communis Christianitatis* &c. Iterum idem in Præceptorio, seù de decem præceptis, ait: *Nulli est licitum, iudicium suum, suam opinionem sequi, sed auctoritatem Ecclesiæ, & captiuandum sensum in obsequiũ Christi*: Irreligiosè igitur Protestantes, non captiuant sensum in obsequium Christi, sequendo proprium iudicium; dum, Conciliorum decreta, ab Ecclesia conciliariter cõgregata stabilita, declarata, & concluſa in dubiũ, & examen adducunt.

27 Caluinus item, vltimum remedium controuersiarum fidei sedandarum, Episcoporũ Synodos agnoscit; adeoque, vltra veritatem quærere, dementiam esse fatemur lib. 4.

Inst. cap. 9. §. 13. *Nos (ait) libenter concedimus, si quæ de dogmate incidat disputatio, nullum esse melius, ac certius remedium, quàm si verorum Episcoporũ Synodus conueniat, vbi controuersum dogma disputetur.* Præterea, idem Caluinus ibidem §. 8. Oecumenicis legitimisque concilijs Christi Spiritũ adesse, & præesse concedit, dum ait: *Porrò hoc est Christi ius, vt concilijs omnibus præsideat, nec socium habeat hominem in ista dignitate.* Quomodo ergo decreta in concilijs Christo moderante, præsidente, imo docente definita, possunt, absque indigna quæ cõmemoretur blasphemia, à quouis Ludimagistello in examen adduci?

28 Deindè idem Caluinus eodem lib. 4. Inst. cap. 1. §. 5. initio, Scripturæ interpretationem ex Sacris Sacerdotum Conuentibus, & Concilijs petẽdam esse, & non è contra, nec ex sola lege, apertissimè docuit, dicendo: *Videmus, vt Deus &c. velit suos alere documento Ecclesiæ &c. Hoc consilio voluit olim sacros haberi Conuentus ad, ad Sanctuarium, vt fidei consensum aleret doctrina per os Sacerdotis prolata &c. Sicut autem & veterem populum nõ ablegauit ad Angelos, sed doctores excitauit de terra, qui verè præstarent munus Angelicum, ità & nos hodie humanitùs vult docere. At sicut olim NON CONTENTES FVIT SOLA LEGE, sed Sacerdotes addidit interpretes, ex quorum labijs populus inquireret verum illius sensum, ita hodiè.* Ergo Sacri Couentus, & Sacerdotum Concilia legem, & Scripturas verè interpretantur; ergo iniustè conciliorum decreta per Scripturam examinari petunt.

29 Item Melãcthon in loc. commun. c. de Ecclesia, voluit, vt Ecclesia audiatur in rebus fidei, ne audaces, opiniones pro libito fingant, vndè ait: *Nec tamen laxetur frænum audacibus ingenijs, qua si non audiant Ecclesiam veram, fingunt opiniones, quæ nulla habent testimonia vllius temporis in Ecclesia, vt nostro tempore fecerunt Seruetus, Farellus, &c.*

30 Sed & nuperus Archiapostata Spalatensis eodem lib. 7. & cap. 3. §. 36. Scripturarum legitimam interpretationem Concilijs tribuit, his verbis: *Quid enim vnaquæque Ecclesia à prima sui per Apostolos, vel Apostolicos viros fundatione didicerat circa fidem, & Sacræ Scripturæ intelligentiam in necessarijs, per huiusmodi Conuentus facilè innotescebat &c. & hoc fuit vnicum, & singulare remedium ad puritatem fidei indaganda, & retinenda.* Si ergo Antoni hoc est vnicum, & singulare remediũ, quare hoc repudiato, aliud remedium inquiris; Conciliorum decreta, (inuerso ordine à te approbato,) ad Scripturæ examẽ reuocando? Et ne putemus eum solum de antiquis, & non nuperis Concilijs loqui, ipsemet locum adductum, allegata Tertulliani auctoritate, sic claudit loquendo de Concilijs: *Quòd si singula hæ Ecclesiæ satis erant ad docendum dogmatum essentialium veritatem, quanto iam VNIVERSÆ simul iũctæ poterunt eam confirmare?* Euge Antoni, Concilia Prouincialia, vt dicis, erant vnicum remedium pro Scripturæ intelligentia, & fidei veritate indaganda; nunc concludis, & rectè, à fortiori; hoc idem posse nunc Episcopos omnium ferè Ecclesiarũ, in generali Concilio congregatos.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

31 ARguit 1. Lutherus loc. sup. in Mẽdac. adducto, & Caluinus lib. 4. Inst. cap. 9. §. 12. *Quare (ait) nulla Conciliorũ, Patrum, Episcoporũ nomina (quæ tàm falsò obtendi, quàm verè vsurpari possunt) nos impediant quominùs & verborum, & rerum documentis moniti, omnes omnium spiritus ad Diuini Verbi regulam exigamus, quo probemus nam ex Deo sint.* Hæc ille, omnia Conciliorum, & Ecclesiæ decreta ad solam Scripturæ trutinam appendens.

32 Respõdeat Caluinus Caluino;

Si

Si omnia Conciliorum, & Patrum nomina, & verba sunt ex Scripturis promenda; dicat amicabiliter Caluinus, vox illa *Homousion*, & Consubstãtialitatis à Cõcilio Nicæno, Ario, & Arianis obiecta, vbi in Scripturis reperitur? Si reperitur, ostendat vbi. Si non reperitur, tunc deprehensus est Caluinus; dum, eam fuisse religiosè à Concilio excogitatam, & ex sola Traditione prolatam à pijs illis Patribus contra Arium, non inuitus fatetur. Præterea, doceat idem Caluinus, vbi sit in Scripturis nomen *Essentiæ*, vel *Trinitatis*? Dicet, nullibi expressè. Et tamen ipse met lib. 1. Inst. cap. 13. §. 3 ait: *Quid autem vbi Ecclesiam summa necessitate vrgeri, ad vsurpandas Trinitatis, & personarum voces, comprobatum fuerit: Si quis verborum nouitatem tum reprehendat, non ne meritò indicetur lucem veritatis indignè ferre? Vt qui tantùm hic reprehendat veritatem plenam, ac dilucidam reddi.* Et ibid. §. 5. *Si ergo non sunt inuenta nomina, cauendum est, ne ea repudiando superba temeritatis arguatur, qui nomen Trinitatis repudiat.* Igitur Caluine Conciliorum decreta, quibus hæc nomina iubemur suscipere, quæque non sunt ex Scripturis hausta, indubiæ veritatis sunt, & non possunt absque superbæ temeritatis nota in examen adduci. Videantur ea quæ vltimo loco ex Caluino de hoc argumento depromta sunt.

33 Deinde ad Lutherum, qui Cõciliorum decreta similiter Scripturarum examini subijcit, dicimus; An pueri sint baptizandi? Procul dubio, contra Anabaptistas, dicet, infallibili fide tenendum, vtique esse baptizatos? Rectè quidem. Iterum ab eo inquirimus, an hoc dicat ex verbo Dei Scripto, nec ne? si sine Verbo Scripto, ergo Conciliorum decreta, hac de re, sine Scriptura edita, sunt infallibilis auctoritatis, adeòque inexaminabilia. Si illud dicat ex verbo Dei Scripto, ostendat quo loco Scriptura dicat, paruulos esse baptizãdos. Cæterum, ipse in Libello Germanicè scripto contra Anabaptistas, de hac re, ait: *Mos ex Apostolorũ Traditione semper obseruatus, docet, paruulos esse baptizandos, etiam si nulla Scriptura id esse faciendum precipiat.* Igitur Luthere, cùm Patres in Concilijs ex sola Traditione de fide paruulos esse baptizandos, vel aliquid aliud decernunt; non est ad examen Scripturæ reuocandum, sed sufficit si vel ex sola Scriptura, vel sola Traditione, vel praxi, vel Ecclesiæ consensione, definiant.

34 Arguit secundò Kemnitius. In Concilio Apostolico *Actor.* 15. doctrina illa tradita ad sopiendas controuersias legalium, ex Scripturæ fõtibus hausta est, vt his firmamentis contrariæ opiniones damnarentur, & ad capita, in suis decretis posita, transmissa doctrina est, vt certa ratione constaret fidelibus, quid tenẽdum, quid respuendum esset. Ergo Conciliorum decreta ad Scripturæ trutinam sunt examinanda.

35 Resp. ex Chrysostomo homil. 33. in Acta Apost. Eam legis interpretationẽ, non ex Dei verbo scripto, sed ex sola Traditione fuisse factam, ait enim Chrysostomus de Petri decreto circa Gentium circumcisionem. *Versatur in eo de quo nihil scriptum erat, vt curata illorum mente* dicentium oportere gentes circumcidi, *concedendo tempestiuè, inducat etiã illud*, scilicet, non oportere gentes circumcidi. Et quando Iacobus dixit: *Iudico scribendum his, vt abstineant ab immolatis idolorum* &c. Idem Chrysostomus respondet: *Visus est legẽ seruare, & quòd omnia hæc ex illa sumpta sunt; soluit illãm*, quòd non erat scriptum *hæc sola accipiendo, &c. idque non quasi ex Moyse dicens, sed quasi ab Apostolis; & multa faciens mandata, vnum disserpit.* Secundùm hanc fidei regulam ergo, scilicet, secundum Traditionem volebat Petrus reddere rationem

Digitized by Google

tionem noſtræ fidei; ſed non tenetur Concilium reddere rationem, cur ſua decreta de fide populis proponantur ad credendum, cum tantum ab illis obedientiam, & intellectus captiuationem in fidei obſequium exigat. Itaque Apoſtoli hoc ſuum decretum, legiſque interpretationē, non ex verbo Dei Scripto, ſex ex ſola Traditione, & ex Concilij auctoritate deprompta fidelibus ſequendam tradiderunt: quam tamen à Spiritu Sancto dictatam fuiſſe, non eſt ambigendum, cum ibi dicatur: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* Sic poſteriora Concilia, Nicænum contra Arium, Filij conſubſtātialitatem, & Conſtantinopolitanū de Spiritus Sancti diuinitate contra Macedonium, ſine verbo ſcripto definierunt.

36 Præterea, ſi fidei dogmata ad ſolius Scripturæ amuſſim eſſent examinanda; quis nam erit veritatis agnoſcendæ modus? Etenim ſi diſſidium erit de incerta Scripturæ interpretatione, quis eandem Scripturam in propria cauſa iudicem eſſe dicet? Porrò, vt ipſi Proteſtantes fatetur, hoc iudicium eſt penes Eccleſiam, maximè in Concilio congregatam; vnde idem Kemnitius in ſupercilioſo exam. Concil. Trid. p. p. pag. 74; ait: *Nulli dubium eſt, primitiuam Eccleſiam accepiſſe ab Apoſtolis, & viris Apoſtolicis, non tantùm textum Scripturæ, verùm etiam legitimam, & natiuam eius interpretationem.* Quòd ſi dicat ſe loqui de primitiua, non autem præſenti Eccleſia: Audiat Kemnitius Ducem, ac præceptorem ſuum Lutherum, in rem præſentem pro nobis in Reſponſ. ad Dialogum Prieritatis, dicentem: *Diabolus efficere non potuit vt penes hanc Eccleſiam non maneret ab origine ſua, Canonicorum Bibliæ librorum, & interpetrationis auctoritas, & auctoritatis ſincera profeſſio.*

37 Arguit tertiò kemnitius. In primis quatuor Concilijs controuerſiæ inter vtraſque partes diſputatæ; & decreta, & Canones, ex quibus fundamentis, iuxta regulam Scripturæ determinati ſūt, ſatis apparent. Et in Concilio Epheſino, antequam Capitula illius reciperentur diſcuſſa ſunt, & examinata ad normam Scripturæ. Ergo Conciliorum poſterorum Canones, ſunt ad Scripturæ normam examinati.

38 Reſp. ex Athanaſio lib. de Synodis *Arimini*, & Seleuciæ, eſſe hæreticorum voces, & cœleuſma, ex Arianorum, Neſtorianorum, Lutheranorum, & Caluinianorum vocibus conflatum, cùm enim illi, eas voces quas in Scripturis non reperiebant, ſcilicet, Homouſion, Theotocon, audiſſent; clamarunt; *In Scripturis non reperiuntur, ac proinde voces alienas à Sacris litteris reÿcimus.* Idem dicebat, apud Auguſti nū epiſt. 174. Paſcentius Arianus de voce *Ingenti.* Eadem vox fuit Eutycheris in Concilio Chalcedonenſi Act. 3. dum nollet duas in Chriſto naturas acceptare, *Quia* (dicebat) *à Sanctis Scripturis non didici de duabus naturis, nec ego id dico.* Sic etiam clamarunt Pelagiani, apud *Auguſtinum* lib. de nat. & grat. cap. 39. *Credamus quod legimus, & quod non legimus nefas.* In 7. Synodo, quæ, & Nicæna 2. hanc eandem vocem dederunt Iconomachi; cum quibus, vt in preſenti cauſa cernimus, & ſuas voces iunxerunt Lutherus, Caluinus, & cæteri noſtræ tempeſtatis hæretici. Ex his omnibus conſtat, kemnitij argumentum, merum eſſe commentum; nam, vt ex Actis primorum quatuor Conciliorum conſtat omnia illorum decreta, omneſque Canones, non ex ſola Scriptura, ſed vel ex illa, vel ex Traditione, Eccleſiæ conſenſione, & praxi fuiſſe ſancita. Recolenda ſunt, quæ in hac ſecunda parte diximus de auctorit. Verbi Dei non ſcripti tract. 4.

39 In-

39 Insuper, ex dictis constat, falsum esse quod subditur in *Argumẽto*, Capitula Ephesinæ *Synodi* non fuisse recepta, nisi essent ad Scripturæ examen reuocata; cùm ibi multa, sola Traditione fuerint definita. Nec opus est rationes, causasque, cur Patres ita definiant, assignare, sed sufficit dogmata definita euulgare, nam hæc est differentia ex *D. Basilio* lib. de *Spiritu Sancto*, quòd *dogmata silentur, edicta publicantur*; ideſt dogmatum rationes silentur.

40 Arguit quartò Kemnitius. *Est* contra prudentiam Christianam sine examine, & discussione, sola Cõcilij declaratione aliquid de fide credendum proponere in *Ecclesia*, nisi etiam videatur an id quod proponitur, sit consentaneum Verbo *Dei*; & hoc necessarium est, vt fides nostra non super fluxam auctoritatem humanam, sed super fundamẽtum Apostolorum, & Prophetarum fundata appareat, & super ipsum Christum, de quo Pater de cœlo intonuit, *ipsum audite*.

41 Resp. esse contra fidem Christianam, velle temere, *Spiritus Sancti* dictamina in examen adducere, qui Patribus legitimè in Concilio congregatis, decreta Ecclesiæ vtilia fugerit, *visum est Spiritui Sancto, & nobis*. Iterum, est contra Christum, velle Episcoporum, ac Sacerdotum sanctiones non audire, cùm dictum sit, *qui vos audit, me audit*, vt dictum est in prima probatione. Nec Patres in Concilio pro suo libito decreta stabiliunt, sed habita prius diligenti discussione, & seueriſſimo examine per omnia loca Theologica, scilicet, per Scripturam, per diuinas, & *Apostolicas* Traditiones, per *Patres*, & priora Concilia, per Ecclesiarum consensum, & per firmas Scholasticorum sententias, quas non oportet patefacere, sed tantum decreta sic examinata, promulgare. Et tantum abest quod sit contra prudentiam Christianam, decretis sic sancitis assentiri; Quin, maximæ prudentiæ sit, ea Ecclesijs euulgare, ac de fide (si fidem concernant) tenere. Expeditæ namque sunt probationes, cum fit examen in Concilijs, & nimis audax, satisque temeraria manus esset, quæ conaretur ea expugere, vel in dubium reuocare, an sint rectè definita; Nam, & si Patres in Concilijs definientes, homines sint, attamen, à *Spiritu Sancto* diriguntur, & non, nisi Christi spiritu dictante decernunt, vt Caluinus ipse fatetur loco supra adducto ex 4. Inst. cap. 9. §. 8.

Patres in Cõcilio decreta stabiliunt habita discussione per omnia loca Theologica.

42 Arguit quinto Marcus *Antonius* de Dominis lib. 7. cap. 3. num. 90. & ait: *Et si Bellarminus dicat Traditiones esse recipiendas, idque definitũ esse in Concilio Tridentino, nos opposuimus Concilio illi, multas nullitates; & illis oppositionibus addimus, factum esse à solis quinque Cardinalibus, & in totum 48. Episcopis, qui Concilium Oecumenicum non possunt efficere: Veras tamen Traditiones, si vllæ habentur, non respuimus*. Ex quibus verbis infert Spalatensis Concilij Tridentini decreta esse iterum examinanda, cùm non ex Verbo Dei scripto, sed solum Tradito, sint à Patribus Cõcilij Tridentini stabilita.

43 Resp. quòd nedũ Bellarminus asseuerauit, nec solùm *Tridentinum* Concilium decreuit *Sacras Traditiones* esse recipiendas, sed omnia priora Concilia, Patresque omnes ad vnum, vniuersique *Doct.* Scholastici, in eam sententiam collimarunt, qua verissima voce asseritur, præter Verbum Scriptum, esse etiam & Verbum *Dei* à maioribus ad posteros viua voce traditum, suscipiendum in *Ecclesia*. Hoc tamen Verbum traditum, non est ab hoc, vel illo, sed ab *Ecclesiæ* testimonio petendum, quæ conseruat omnia verba *Dei* in corde suo. Videantur quæ à nobis dicta sunt in hac 2. p. trac. 4.

44 Ad illud quòd addit Spalatẽsis, sci-

scilicet, Concilij Tridentini decreta fuisse facta à solis quinque Cardinalibus,& 48.Episcopis,splendidè mẽtitur; etenim, etsi in initio Concilij, & in primis eiusdem sessionibus, nõ esset Tridenti Conuentus adeò copiosus, in sequentibus tamen interfuerunt Cardinales sex, ex ijs quatuor Legati, præcipuè ex *Anglia* Cardinalis Polus, ex Polonia Cardinalis Hosius,ex Germania Cardinalis Altemps; itẽ, ex Germania Cardinalis Madrutius non Legatus; itẽ, interfuerunt Patriarchæ tres,Archiepiscopi 32. Episcopi 228. *Abbates* 7, Generales Ordinum 7. Oratores Imperatoris, & Regum, Theologi innumeri, hoc patet ad librum ex subscriptione decretorum vltimæ sessionis, quibus accessit Summi Põtificis obsignatio. Et esto in Concilij huius initio non fuerint omnia hæc Episcoporum suffragia, tamen Oecumenicum tunc erat, cum cæteri essent vocati præfinito, & determinato tempore.

45 Iniquo iure Protestantes, huius Sacri Tridentini Areopaghi decreta,in examen vocarunt,cùm hæc non cursim sed per spatium annorũ decẽ & octo,scilicet, ab anno 1545. vsque ad annum 1563. fuerint exactissimè discussa à Sanctissimis, ac doctissimis illis Patribus, iuxta regulas ab vniuersis prioribus Oecumenicis Concilis seruatas, scilicet, ex Scripturis Traditionibus, Concilijs, Ecclesiæ consensione, & praxi. Quid Protestantes? ad solam restricti Scripturam, veterum hæreticorũ more,Traditiones,Ecclesiæ consensum, & Concilia respuerunt, somnia sua, & propria placita se sequi velle protestati sunt.

46 Remanet, vt cùm Vincentio Lerinensi cap. 4. (vbi Ephisinæ *Synodi* examinatores redarguit) Protestantes alloquar:*Vos Ephesinam* (dicam ego *Tridentinam*) *quoque Synodum totius penè Orientis Sanctorum Episcoporum iudicata proculcare, quibus diuinitùs placuit nihil posteris credendum decernere, nisi quod Sacrata, sibique in Christo consentiens Sanctorũ Patrum tenuisset antiquitas;quique etiã vociferantes,& acclamantes, vno ore testificati sunt, has esse omnium voces, hoc omnes optare, hoc omnes censere, vt sicut vniuersi ante Nestorium* (Lutherum,Caluinum,Kemnitium, Spalatensem) *hæretici contemnentes vetustatem, & asserentes nouitatem damnati forent, ita quoque Nestorius* (Lut. Cal. &c.) *auctor nouitatis, & impugnator vetustatis,condemnaretur.Quorum Sacrosancta,& cælestis gratiæ munere, inspirata consensio, cui displicet, quid aliud sequitur, nisi vt profanitatem Nestorij asserat non iurè damnatam?* Et tunc dicam cum *Augustino* epist. 152. *Nolite ergo* (eruditissimi Protestantes) *esse ingrati tantæ misericordiæ Dei,quæ per istam diligentiam* (Patrum Concilij Tridentini) *vobis ministrata est: nulla vobis excusatio remansit.Nimium dura, nimium diabolica sunt hominum corda,quæ adhuc tantæ manifestationi VERITATIS obsistũt.*

LECTIO III.

An auctoritas Concilij generalis sit supra Pontificem.

1 PLerique non ignobiles Doctores Catholici,huius perdifficilis, ac pernicioſæ quæstionis mole grauati,nefarioque Schismate inter Benedictum 13. & Gregorium 12.in angustias redacti,zelo non secundùm scientiam permoti, in eam iuerunt sententiam, quòd Conciliũ esset supra Papam;idque dum fuisset propositum in Concilio Pisano anno 1409, illustrior portio gregis Christi, præcipuè Ordo Fratrum Prædicatorum, Supremam Romani Pontificis auctoritatem validissimè propugnauit. Placeat rem totam ex P.Fratre Thoma Nemio Florentino Ord.

Digitized by Google

Ord.Præd.in defensione suæ 4.Apologiæ, referre; ibi enim loquens de Cardinalibus illis Schimmaticis, qui in verum Pontificem insurrexerunt, ait: *Patres Conciliabuli Pisani videntes Ordinum aliorum Religiones, id facturos esse, quod Fratres Prædicatores in hac re præstitissent, Conuentum eorumdē adeunt S. Catharinæ dicatum, sub Congregatione Sancti Marci Prouinciæ Hetruriæ recensitum. P. F. Bartolomeum Rondercinum Fauentinum eximium Theologum, & Canonicæ falcultatis peritissimum, qui multis annis Canonum Cathedrā Bononiæ rexerat, qui Sauanarolæ manibus Sacrum religionis habitū susceperat, adierunt: ab illo consensum extorquere conabantur, vndè cæterorum consensus pendebat celebrandi Conciliaboli. Eidem promittebant Schismatici, si cum fratribus suis assentiri volebat eorum petitioni, in Collegium Cardinalium, futurum Pontificem ipsum cooptaturum: In fauorem quoque Dominicanorum sententiam Conceptionis Deiparæ determinaturum, & ipsius Magistrum, & Patrem in Sanctorum albo repositurum. Quid ille cum Fratribus suis? Se esse filios Ecclesiæ professi sunt, quam etiā proprio cruore defenderunt, & defendere parati erant.* Quòd si Ioannes Christi præcursor, sibi à Principibus Sacerdotum, vltrò oblatum Messiæ sceptrum, (vt Schisma euitaret) à se constanti animo repulit, fassus se vocem esse, de Patre Zacharia cui dictum est *eris tacens*, quique tacuit vsque ad eius ortum; de quo dicit Chrysologus homil. 90. *Daret filius vocem ei qui tacuerat, Pater vocis, nec dedignatur à filio verbum recipere cui dederat lucem.* Et, *qua tacentis culpa, si imperat silentium vis iubentis Angeli?* idem serm.86. *Zaccharias qui prophetias loquebatur populis* (ait idem Chrysol.ibid.) *tacet sibi, vt non ingrati Deo simus, si nos semel tacere voluit*, & vt ait Ambrosius lib. de Domin. incarnat.Sacram. cap. 4. *Laudatur Petrus, quia Dei filium credidit, quem videbat, quia se ab imperitæ plebis rudibus opinionibus separabat.* Ita, Ioannis Baptistæ Christi præcursoris, & preconis exemplo, Precones Christi Fratres Prædicatores oblatos honores à Patribus Conciliabuli Pisani, cōstanti pectore, vt Schisma euitarent, ac supremam Pontificis Romani auctoritatem defenderent, repulerunt; talitèr, vt pudefacti Schismatici discederent, illaque Satanæ Synagoga dissoluta, vt testatur idem Thomas Nemius, cui concordant ferè omnes rerum illorum temporū Scriptores, & Chronicon Conuentus Sancti Marci de Florentia, editum à P. Zenobio Acciaiolo sub Leone X. Vaticanæ Bibliot. Bibliothecario.

2 Inde non diu post, in Concilio Constantiensi, à Ioanne 23. indicto, dum Ecclesia in tres scissa Pontifices diris simo Schismate laboraret, eadem lis fuit suscitata, quando duobus Pontificibus cedentibus, & tertio abdicato, Martinus V. eligitur, & Pontifex salutatur.

3 Tandem in Concilio Basilensi ab Eugenio 4. adunato, eadem sententia in praxim est redacta, dum iniustè Eugenius à Concilio deponitur; quin, & sess. 33; tamquam de fide credendum proponitur, Concilium esse supra Papam; ibique, *Act.* 2. & 18. repetuntur Concilij Constantiensis verba.

4 Horum Catholicorum sententia, taliter astruit Concilium esse supra Papam, vt tamen rationem veri Capitis, ac super omnes Ecclesias primatum non auferat à Pontifice; quem tamen volunt esse verum Caput Ecclesiæ diuisiuè sumptæ, idest; Caput, quod singulis personis, Episcopis, & Ecclesijs præsit; nō autem omnibus collectiuè, & simul sūptis, ac in Oecumenico Cōcilio adunatis; sicut in Republica Venetorum, Dux est supra omnes Senatores diuisiuè sumptos, non verò supra Senatum, seu supra omnes Senatores simul

Contra hoc, Vide Spalatensis argumentum in Appendice ad calcem huius Lectionis, num. 18. med.

congregatos. Ita Ioannes Gerſonius opuſc. de auctorit. Eccleſiæ, Cardinalis Nicolaus Cuſanus tract. de Concordantia Canon. lib. 2. cap. vltimo, Almaynus tract. de Dominio cõcl. 3. p. 2; & libello de auctorit. Eccleſ. ſeù Concilij cont. Caietanum, Pontificiæ auctoritatis propugnatorem, & alij; exiſtimantes, Pontificis poteſtatem eſſe tantùm vnam, in Concilio verò omnes ſimul poteſtates contineri; indeque inferunt, maiorem poteſtatem eſſe in tota Epiſcoporum collectione, quàm in vna ſola parte, ſcilicet, Romano Pontifice.

5 Præterea, idem Gerſonus in lib. de Auferibilitate Spõſi, alio modo ſe explicat, dicendo: quòd tùm in Eccleſia, tùm in Papa verè ſit ſuprema poteſtas ſpiritualis Clauium; eam tamen immediatè & principaliter Eccleſiæ, ac Concilio tribuit, mediatè verò & inſtrumentaliter Pontifici; talitèr, vt Pontifex, nomine, ac in perſona Eccleſiæ, exerceat eam ſpiritualem Clauium poteſtatem, quam immediatè & principalitèr Chriſtus Eccleſiæ contulit.

6 Rurſus, dicunt cum eodem alij, quòd ſuprema Eccleſiæ poteſtas, verè ſit in Pontifice ſubiectiuè & formalitèr; quia tamen (vt ipſi dicunt) poteſt Pontifex à fide exorbitare, illaque poteſtate abuti; data eſt Eccleſiæ in Concilio congregatæ poteſtas indefectibilis, ſuppletiua defectuum Papalium, quæ ſe habet vt regula reſpectu Põtificis regulati, adeoque ſuperior Papa. Hæc Doctores Catholici qui propriam ſententiam Eccleſiæ iudicio ſubiecerunt, & in Romano Põtifice auctoritatem Capitis, ſpiritualẽque poteſtatẽ agnouerunt; Sed quæ Corui mali, oua peſſima produxerint, ſeù quot errores ex hoc principio pullularint, videamus.

Mendacium Proteſtantium.

7 PRoteſtantes ad vnum omnes in hoc vno collimantes, vt Summi Pontificis Romani Primatum pro viribus impetant, facilem ſibi viam ſterni putarunt, ſi pari cum prædictis Catholicis greſſu, diſpari tamen fine incedentes, Romani Pontificis auctoritatem, Conciliorum auctoritati ſubijcerent: tũc enim poteſtas ſumma non eſſet in Pontifice, ſed in Concilio, neque fas eſt duas ſummas aſſerere, ſic enim vtraque à ſummitate caderet. Hinc Caluinus hoc innixus principio, ex odio Primatus Summi Põtificis Romani, ſcribens ad Franciſcum Regẽ Galliæ, depoſitionem Eugenij 4. à Cõciliabolo tunc Baſileenſi factam, approbat; eumque legitimum fuiſſe Concilium aſſeuerat.

8 Subſcribit ſuo Præceptori, ac Præcentori Mornæus in ſuo Myſterio iniquitatis progreſſu 61. fol. 508. decretum Concilij Conſtanſienſis celebrando; quin & fol. 529. loquens de Concilio Baſileenſi, & depoſitione Eugenij 4. ait: *Concilium Baſileenſe ab hæreſi periculoſiſſima Eccleſiam liberauit, qua Papa Eccleſia ſuperior aſſerebatur*. Idem ſentit Hermannus Hamelmandus lib. 3. cap. 3.

9 Præterea, Gentilettus Caluiniſta in Commentar. de Regno, aut quouis Principatu tranquillè adminiſtrando lib. 3. Axiomate 7. poſtquã fol. 371. longo inanium verborum apparatu, de ſupra citatis DD. Catholicis dixiſſet, illos in hanc ſententiam affirmatiuam inclinaſſe; vt plenitudinem poteſtatis Pontificiæ circumſcriberent, & ne nimium luxuriaret, auctoritatem Concilij tamquã frœnum iniecisſe; fol. 381. & 382. ſubdit, *vt de facto contigit cum Benedicto XI, Bonifacio VIII, & cum Iulio II. conuocato Concilio Piſano, & cùm Eugenius depoſitus eſt* &c. Et tandem concludit: *Sed diuturnam Papæ, & Concilij contra-*

Digitized by Google

troversiam, & quibus artibus Conciliorum fautores Papam cristis demissis coegerint, satis multis exposuimus. At recordare, quòd vt ait Scriptura, in multiloquio non deerit peccatum.

10 Archiapostata Spalatensis lib. 7. de Repub. Christ. cap. 3. num. 79. furens in Romani Hierarchæ primatum, contra Catholicos his verbis inuehitur: *Ex falsis suppositionibus nostri Hieromonarchici struunt molem ad dominum Papam supra Concilia exaltandum, ne ille vlli subyciatur, sed ipse sibi Ecclesiam subyciat vniuersam.* Et post pauca: *iam probauimus Papã supra Concilia tantam non habere auctoritatem, vt sine ipsius approbatione, vel ipso renitente, & contradicente illa vires in suis definitionibus nã habeãt* &c.

11 Quin, & idem infœlix Apostata, vt sua somnia ac deliramenta aliqua videatur auctoritate stabilire, ad asilum Scholæ Sorbonicæ cõfugiens, immani impudentia, venerandum, ac Catholicum nobilissimorum Doctorum, ac Patrũ Areopagum criminatur, eique scabiem suam affricat lib. 4. de Republica cap. 7. num. 11; his verbis: *Parisiensiũ itaque doctrina enucleatè intel lecta nihil discrepat à mea his libris tradita doctrina, & veritate; subinde ex ipsis Parisiensibus multas decerpam veritates, tanquam ex ijs quorum doctrina valdè solida vt plurimum est, & ab ordinarijs Monarchicorum ambagibus, ac nugis satis remota. Schola itaque Parisiensis, & nostra est, & re ipsa studet Aristocratice nõ Monarchicæ, quare ex eius quoque doctrina, Papatus nullo potest solido subsistere fundamento.* Quòd quàm falsum sit, inferius ostendemus.

12 Sed contra omnes siue extraneos, & hostes Catholicæ fidei, qui, vel defendunt, Concilium posse Papa renitente, vel contradicente, controuersias fidei definire, Canones constituere, & cetera huiusmodi facere; vel, quoquo modo Conciliorum auctoritatem supra Romani Pontificis auctoritatem euehunt, opponitur.

VERITAS CATHOLICA.

Concilium Generale non est supra Papam, sed eius auctoritas, ex Pontificis auctoritate dependet.

13 ANtequam hæc Veritas ostendatur, multa sunt præmittenda pro captu dicendorũ vtilia.

14 Vnde Notãdum 1. quòd Protestantes Pontificiæ potestatis Pontificisque primatus inuasores, nefariam Græcorum perfidiam, ac Nili hæresim. lib. de Primatu Papæ sectantes, Conciliorum conuocandorum potestatem Imperatoribus non Pontifici tribuunt; Ita Luther. lib. de Concil. cap. 58; Brentius in prologom. Caluin. lib. 4. Inst. cap. 7. §. 8. Molineus, Beza, Morneus, & alij; sed immerito, & contra æquitatem; nam, eam auctoritatem, soli Romano Pontifici conuenire, patet primò ex Scrip. 1. Machab. 14. *Non licet vlli ex populo, & ex Sacerdotibus irritum facere aliquid horum, & contradicere his, quæ ab eo dicuntur, aut conuocare conuentum sine ipso.* Tunc sic: Amplioris potestatis est Summus nouæ legis Pontifex, quàm veteris; Ergo si in Veteri lege nullus siue Imperator, siue Rex, siue Sacerdos, sed solus Pontifex poterat Cõuentus seu Concilia congregare, à fortiori in Noua lege id soli Pontifici Romano est tribuendum.

15 Secundò, idem patet ex Conciliis; nam, in breui Epilogo Concilij Roman. sub Syluestro, dicitur. *Temporibus Syluestri Papæ, & Constãtini pijssimi Imperatoris, factum est magnum Concilium in Nicæna Bythiniæ, & congregati sunt regulariter eiusdem Syluestri Papæ VOCATIONE in idipsũ*

118. *Episcopi*. Sed, & Pelagius 2. Papa videns quod Ioannes Constantinopolitanus Patriarcha Concilium vocauerat, scribens ad Episcopos iã ab illo vocatos epist. 1. cap. 1. innixus regulis Apostolicis, ait: *Multis Apostolicis, & Canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non deberi absque sententia Romani Pontificis Cõcilia celebrari &c. Quapropter, vt iam dictum est, recte, non Concilium, sed Cõciliabolum cessatur; & quicquid in eo actum est, irritum habetur, & vacuum.* Et Damasus Papa epist. 2. ad Stephanum, & ad Episcop. *Africæ, Nescis* (ait) *Synodum sine Romani Pontificis auctoritate fieri non esse Catholicam?* Id etiam omnes veteres Pontifices firmiter sustinuerunt, quicquid in contrarium, malorum litigantium more obstrepat Apostata Spalatensis. Gelasius Papa cum Concil. 70. Episcoporum vt habetur in Decret. cap. S. Romana dist. 15. recipiendas videlicet, *Sanctam Sinodũ Nicænam congregatam mediante Cõstantino Maximo Augusto, &c.* S. *Synodum Ephesinam, cum consensu B. Papæ Cælestini, mediante Cyrillo Alexandrino, & Anatolio Constantinopolitano Episcopo, &c.* S. *Synodum Chalcedonensem, mediante Martiano Augusto, & Anatolio Constantinopolitano Episcopo, &c.* Ex quibus penitus corruit Stephani Pomerani commentum lib. 3. Iurisdic. par. 1. cap. 4. dicentis, *In totis 500. annis Synodos vniuersales, quæ multæ habitæ sunt, nemo congregauit, præter vnum Cesarem &c.* Nam, vt dictum est, plurimi Imperatores cùm religiosissimi essent, summoperè quæ Christianæ Religionis erãt, curarunt; ac aliqua exurgente hæresi, vel sponte tamquam Mediatores Concilia à Romanis Pontificibus petebant; vel dum in eorum dominijs, ac ditionibus celebrabantur, ita sua auctoritate communiebant, vt liberam potestatem Pontifici facerent in eá Ciuitate Concilium celebrandi quia, & se ipsos Concilij fautores, ac propugnatores exibebant; nunquam tamẽ Concilia propria auctoritate conuocabant, sed semper vel postulante, vel annuente Pontifice, cuius iussa exequebantur; vnde in cap. 6. Synodus dist. 16. sic habetur: *Sexta Synodus vniuersalis Constantinopoli celebrata est, & Græca sermone conscripta temporibus Papæ Agatonis, exequente pijssimo Principe Constantino.*

16 Tertiò, idem constat ex ipsismet Imperatoribus, qui conuocandorum Conciliorum auctoritatem in Pontificibus agnoscunt. In epistolis præambulis Chalcedonensis Concilij constat, Valentinianum, & Marcianum Imperatores, vltrò fateri, in potestate Leonis Papæ situm esse, Synodos conuocare, his verbis: *Quatenus, omni impio errore sublato, per celebrandam Synodum, TE AVCTORE, maxima pax, circa omnes Episcopos fidei Catholicæ, fiat, ab omni scelere pura, & incontaminata consistens.* Rursus, ijdẽ Imperatores ibidem, de Indictione eiusdem Concilij cupiunt certiores fieri, & eruditi, dicentes: *Si verò onerosum est vt tu ad has partes aduenias, hoc ipsum nobis propijs litteris tua Sãctitas manifestet, quatenus in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam, & Illyricum sacræ nostræ litteræ dirigantur, vt ad quendam definitum locum, vbi vobis placuerit, omnes Sanctissimi Episcopi debeant conuenire, & quæ Christianorũ Religioni, atque Catholicæ fidei prosint, sicut Sãctitas tua secũdùm Ecclesiasticas regulas definierit, sua dispositione declaret.* Ab vlterioribus abstineo, quæ & si suppetant, longus tamen essem mihi, & importunus lectori. Stat ergo, in solo Romano Pontif. sitam esse potestatem conuocandi Concilia sed de his fusius infra.

Imperatores ius conuocandorũ Concil. Papæ conuenire fatentur.

17 Notandum secundò, quòd ijdem Protestantes pari, qua supra, impietate, nouas moliuntur aduersus Pontificis Primatum insidias,

dias, dum dicunt; Conciliorum decreta in rebus fidei, & morum, vim, & robur habere absque confirmatione Summi Pontificis, imò & sufficere si ab Imperatore Laico confirmentur, vnde Centuriatores cent. 4. cap. 7. fol. 545. col. 2. loquendo de huiusmodi decretis, dicunt: *Quæ verò (Imperatores) existimabant rectè esse decreta siuè in doctrina, siuè in alijs rebus, ea confirmabant, & litteris etiam suis promulgabant.* Eos sequitur Spalatensis lib. 7. c. 3. n. 88.

18 Hoc autem impium Protestãtium dictum, primò refellitur ex Scriptura; Etenim, quamuis Euangelium diuinitùs Paulus accepisset, voluit tamen à Petro confirmari vt pat. ad Galat. 2. prout Tertullianus lib. 1. cont. Marcionem cap. 2. & Hieronymus in cap. 2. ad Galat. adnotarunt. Insuper, & Petri auctoritate Euangelium Marci fuit approbatũ, Ecclesijsque traditum ad legendũ, teste eodem Hieronymo de Script. Ecclesiasticis. Similiter factum legimus de Euangelio Lucæ, apud eumdem Tertulli. lib. 4. cap. 3. vt ostenderetur, ea omnia Petri probatione indiguisse. Si ergo Euangelia, Petri sũt probatione roborata, non verò Regis Herodis, vel Imperatoris, multò magis Conciliorum decreta sunt Põtificum Petri successorum, non Imperatorũ auctoritate comprobãda.

19 Idem error secundo refellitur ex Concilijs, quia Patres Cõcilij Nicæni petunt, decreta eiusdem Synodi, à Syluestro Papa confirmari, vt pàtet ex epist. ipsorum ad Syluestrũ, dum inquiunt: *Quicquid autem constituimus in Concilio Nicæno, precamur vestro oris consortio confirmetur.* Et Syluester in Concil. Romano, ait: *Quicquid in Nicæa Bythiniæ constitutum est, & robur Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ à Sanctis Sacerdotibus trecentis decem & octo, nostro ore confirmamus.* In Concil. Constantinop. 1. ex vetusto Codice Vaticani in gestis S. Damasi, dicitur; *Sententiã de damnatione Macedonij, & Eunomij Damasus confirmari præcepit in Sancta secunda Synodo, quæ præcepto, & auctoritate eius apud Constantinopolim celebrata est.* In Concil. Chalcedon. Patres, confirmationem petunt à Leone Papa, his verbis: *Rogamus igitur te, & tuis decretis nostrum honora iudiciũ, & sicut nos cupidè in bonis adiecimus consonantiam, sic & summitas tua, filijs quod decet adimpleat.*

20 Nec dicant Cẽturiatores cent. 5. pag. 783. col. 2. Quòd per ly *nostrũ honora iudiciũ*, tantum colligitur, eã Pontificis confirmationẽ esse honorariã, non auctoritatiuã. Nã contra est primò, quia ijdem Patres expetut à Pontifice, vt quod deest, & decet adimpleat, quare ibidem dicunt: *Omnium gestorum vim vobis insinuauimus ad probationẽ vestræ synceritatis, & ad eorũ, quæ à nobis gesta sũt, firmitatem, & consonantiam.* Igitur confirmatio illa non fuit honoraria, sed auctoritatiua, & tribuens firmitatem, & robur.

21 Cont. secũdò, quia ipsi met Imperatores scripserunt ad Pontificẽ, pro cõfirmatione decretorum præd icti Concilij, dicentes: *Reuerentia tua litteras mittere dignetur, per quas in omnibus Ecclesijs, & Episcopis notum sit, vniuersa quæ in Sancta Synodo gesta sunt, à tua Beatitudine confirmata.* Ergo confirmatio Conciliorum, pendet ab auctoritate Papæ, nõ Imperatorum, vt Protestantes garriebant. Quin, & ipsi, eam à Summo Ponifice petierunt.

22 Sed, & Pelagius 2. Epistola 1. ad Episcopos, qui Constantinopolim cum Ioanne Constantinopolitano Episcopo ad Concilium Cõuenerant, ait: *Relatum est ad Apostolicam sedem, Ioannem Constantinopolitanum, Episcopum vniuersalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum conuocare generalem, cum generalium Synodorum conuocandi auctoritas Apostolicæ Sedi, B. Petri singu-*

lari

lari priuilegio sit tradita: & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulcta.

23 Notandum tertiò. Solum Pontificem absque Concilio posse, ea quæ fidei sunt decerner, quandoquidem non Concilio sed soli Petro dictum est, *Tu aliquando Conuersus confirma fratres tuos*, in vera (scilicet) doctrina fidei; *Et Pasce oues meas*, veræ doctrinæ pabula ministrando. Pontifex ergo Romanus cùm sit Petri Successor: potest absq; Concilio veræ doctrinæ fidei pabula Christi ouibus ministrare, & suprema post Christum potestate, populos docere. Huius rei exempla multa succurrunt, vnum tamen proferimus. Cum olim, tempore Cypriani, in Ecclesia ortum esset dissidium de iterando hæreticorum Baptismo non defuerunt Patres, qui noui dogmatis susciperent Patrocinium; tandem collectum est Concilium Africanum, in quo, decretum fuit, Hæreticos esse rebaptizandos: quando, solus Stephanus Papa, ac Romanæ Sedis Antistes, Concilij decretum irritum fecit, ac Epistola ad Africam missa, cassauit, his verbis: *Nihil innouandum, nisi quod traditum est.* Hæc solius Pontificis sententia tanti fuit roboris, & auctoritatis, vt decretum illud de rebaptizando, in Concilio omnium cõsensu approbatum, fuerit irritatum. Addo, quod S. Flauianus epist. ad Leonem Papam, quæ est inter epistolas eiusdem Leonis sexta, vel aliàs non a, cont. Eutychetem tãti extimat solius Pontificis Romani sententiam, vt Conciliorũ congregatione opus non esset ad hæreticos profligandos, & ad fidei lites terminandas, his verbis: *Causa enim eget solummodo vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Si enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ, quæ propter eam factæ sunt facilè resecantur, Deo cooperante per vestras sanctissimas litteras: reuocabitur autem & Concilium, quod fieri diuulgatur, quatenus nequaquam vbique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.* Sentit enim iste Sanctus Pater, quòd solus Romanus Pontifex, potest contra hæreticos, fidei dissidia terminare. & ex alia parte, Concilium congregare, non est aliud, nisi Orbem catholicum commouere, Episcoposque proprias sedes; relinquentes turbare, hæreticamque superbiam fouere, dum hi, ad nomen sibi faciendum, Conciliorum congregationes ad lites, à se contra fidem Catholicam suscitatas, componẽdas exambiunt. Hinc compescitur *Archiapostatæ Spalatensis* ambitio, qui hanc sibi gloriam captans, lib. 4. Reipub. cap. 4. n. 4. hanc potestatem, in solo Pontifice residentem, criminatur his verbis; *Synodorum enim, & Episcoporum Consentiũ vsus Romæ abolitus est, & Cardinalium, non Episcoporum Consistorium à Papis substitutum est.* &c. Captas Marce Antoni, vt in tua mala causa Concilium celebretur; crede mihi, superbia tua malo tuo ascendit semper; at hæc est vetus hæreticorum Cantilena, iam pridem à Patribus explosa; nam, & Pelagiani, ex D. Augustino lib. 4. cont. duas epist. Pelagianorum cap. 13; hanc tecum gloriam affectarunt, de ijs tamen dixit Sanctus Pater, *Orbem Catholicum, quem, Domino ijs resistente, peruertere non possunt, saltem commouere conantur.* Non ergo debent, pro quolibet fidei dissidio, ab aliquo Sartore, vel Ludimagistello excitato, Concilia generalia congregari; sed sufficit, si magna fidei necessitate vrgente congregentur, vt plausibilius, cum approbatione, & indictione Romani Pontificis, res fidei discutiantur, & terminentur; cùm passim negotia fidei, vel à solo Pontifice, vel à Pontifice cum Sacro Cardinalium Consistorio, plenissimè definiri possint.

Pontifex Romanus potest solus fidei controuersias definire.

S. Flauianus idipsum insinuat.

24 His itaque sic breuiter stabi-

litis,

litis, quàm facillimè Veritas Catholica demonstratur. Vnde.

25 Probatur proposita veritas generalibus principijs Protestantium inhærendo, ex Sacra Scriptura, ac totius Antiquitatis consensu. Primo, ex Sac. Scrip. Ioannis 16. Christus Dominus, Petrum totius gregis sui, ac Ecclesiæ Pastorem constituens, ait: *Simon Ioannis diligis me plus his? pasce oues meas*. Sed Pastor habet potestatem supra Gregem; ergo Petrus, eiusque successores Pōtifices Romani, sunt supra Gregem Christi seu Ecclesiam. Tunc sic: Sed vt Protestantes dicunt, Concilium est tota Ecclesia representatiuè. Ergo Pontifex Petri successor, est supra Concilium.

26 Respondent Aduersarij distinguendo, minorē primi syllogismi, & simul explicando Scripturam: Pastor habet potestatem supra Gregem diuisiuè, & distributiuè, conc. mi; collectiuè neg. mi; & ita, ly *pasce oues meas*, intelligendum est de Ouibus diuisiuè, non collectiuè; seù de Ecclesia dispersa, non verò in Concilio congregata.

27 Sed contra est 1. nam hoc voluntariè asseritur sine Scriptura, & sine testimonio.

28 Secundò, nam Ecclesia, seù ouile Christi dispersum, & distributiuè acceptum, per illam formā Collectionis Conciliaris, vel amittit rationem Ouilis, vel retinet. Si amittit iam non est amplius Ouile Christi, sed Pastor, & Caput; imò & sui Pastoris iudex: & tunc quid insulsius? Hactenus non est auditum, quòd Grex, & Ouile adunatum, & simul collectum, transeat in Pastorem; suum Pastorem tamquam Ouem iudicans. Si retinet; ergo est sub potestate Pastoris; cui si non obediat, erit Grex perditus, & Schismaticus. Rursus, Ecclesia in Concilio collecta, vel est Ouile, vel Pastor; si est Ouile, aduersarij perdiderunt; nam, est sub potestate Pastoris à Christo in ordinario, ac perpetuo ministerio instituti. Si est Pastor, doceat aduersarius, vbi, à Christo Ecclesiæ in Concilio congregatæ, dictum sit; *Pasce Oues meas*, cùm ipsa sit ly *Oues meas*: nisi fortè aduersarij, alias Christi Oues agnoscant, præter eas quæ sunt in Ecclesia, in concauo Lunæ collocatas.

29 Respondet Ioannes Maior, Ecclesiam in Concilio congregatam esse quidem Ouile, sed Christi, non autem Petri; & huic Ouili datam esse potestatem coercitiuam, quam cùm commodè exercere non posset, eam vni certo suppositō, Scilicet Papæ, communicauit, *quo sensu dixi*, (ait ipse) *Papa potest esse Pastor totius residui corporis*.

30 Contra 1. Hoc Ouile Christi, Petro pascendum traditur ab eodē Christo, *Pasce Oues meas*. Ergo Petrus constituitur huius Ouilis superior. Quod verò asserit, Ouili datam esse potestatem coercitiuam, quàm certæ personæ, scilicet Papæ communicauit; hoc aduersatur Scripturis; nam, vt supra diximus, Petro, & non Ecclesiæ in Concilio congregatæ dictum est, *Pasce Oues meas*. Vel, si Ecclesiæ dictum est, ostendat, vbi.

31 Quòd si dicant, hoc haberi ex illo Matth. cap. 18. *Dic Ecclesiæ &c. Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*; Vbi constat, Ecclesiam immediatè & principaliter accepisse potestatem spiritualem clauium, eamque hanc eamdem potestatem Pontifici communicasse; Ouili igitur immediatè collata est hæc potestas.

32 Nimis friuolum præsidium causæ suæ asciscunt ex hoc testimonio aduersatij; non enim ibi appellatione Ecclesiæ, vniuersale Concilium intelligendum est, sed particularis cuiusque Ecclesiæ Prælatus, & Præsul, cùm ibi solùm de fraterna correptione, ac trina monitione agatur; Quis enim, adeò mētis inops,

dicet,

Digitized by Google

dicet, quoties fraternè peccatores corripiẽdos esse animaduerterimus, totiẽs Generale Concilium esse conuocandum, vt *dicamus Ecclesiæ?* Nũ, quotidiè Generale Concilium conuocari debere arbitratur *Aduersarius*, vt quotidiè fratres peccantes denunciemus Ecclesiæ? Num, in aliquem locum quotidiè debent confluere totius Orbis *Episcopi*, vt à quolibet fraterni delicti correptore adiri possint? Nimis ergo insulsè ex illo loco inferunt aduersarij, Ecclesiam immediatè à Christo spiritualem illam clauium potestatem accepisse, eamque Põtifici cõmunicasse.

33 *Et* quidem Ordo ibi fraternæ correptionis in Ecclesia institutus innuitur, vt scilicet, subditus ab Episcopo, *Episcopus* à Metropolita, Metropolita à Patriarcha, Patriarcha à Summo *Pontifice*, Pontifex à Deo iudicium expectare debeat; quare, S. Antherus Papa (cuius Corpus asseruatur in *Ecclesia S. Mariæ* Sanitatis de Neapoli Ord. Præd.) tom. 1. Concil. dixit: *Subditorum facta iudicantur à nobis, nostra autem à Deo*. Et quidem, sicut nunquam Canonicorũ Capitulo potestas collata fuit, vt in Episcopum animaduerteret; Neque Episcopis suffraganeis, vt Metropolitam iudicarent; aut Metropolitis, vt in Patriarcham ius diceret; ita neque Patriarchis, Metropolitis, ac Episcopis in Generali Concilio congregatis fas vnquam fuit, Pontificem suo iudicio submittere; sed semper, Pontifices Romani, Ecclesiam rexerunt, ac iudicauerunt vniuersam.

34 Contra secundò nam dicere, summam potestatem fuisse ab Ecclesia certæ personæ, scilicet Papæ, communicatam, non autem Papam eam immediatè à Christo accepisse, est contra Canones dist. 21. c. *Quamuis*, ex Gelasio, Papa *nullis Synodicis constitutis, sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri Primatum obtinuit.* Quin, (idque puto Ioanni Maiori excidérat) vt habetur dist. 22. cap. *Omnes* ex Papa Nicolao, *qui Romanæ Ecclesiæ priuilegium, ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum, auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur, & cùm ille vocetur iniustus, hic proculdubio dicendus hæreticus.* Cùm enim eiusdem potestatis sit destituere, & tollere, cuius est instituere; si communitas dedisset curam, & iurisdictionem vni certę personę, scilicet Pontifici; posset etiam pluribus Pontificibus eam communicare; vel Pontificem pro suo libito instituere, & destituere, quod est cassare priuilegia Ecclesię, quæ ex Christi priuilegio habet *Caput* cum omnimoda potestate, pascendi in doctrina fidei gregem sibi à Christo commissum.

35 Secundus locus pro auctoritate Papæ supra Concilium habetur Matt. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam*. Quibus verbis, ex communi Patrum sensu, Petrus totius Ecclesiæ fundamẽtum constitur, supra quod, totius Ecclesiastici ædificij machina innititur. Et sicut pro sua cõsistẽtia, nõ fundamẽtũ à lapidibus, & parietibus, sed parietes à fundamẽto dependẽt, ita non Pontifex Petri successor ab Ecclesia, sed Ecclesia dependet à Pontifice.

36 *Istat* aduersarius, hoc verum esse de *Episcopis*, & Ecclesia, diuisiuæ; non verò collectiuè, & in Concilio congregata.

37 Contra, nam fundamentum vniuersã cuiuscumque edificij molem, cunctosque non dispersos, & diuisiuè, sed vnitim lapides, sustentat; Igitur, si Petrus, ac Pontifex Romanus Petri successor, est totius edificij Ecclesiastici fundamentum, id, est intelligendum de Ecclesiastico edificio vnitim, & collectiuè in Concilio, non verò de Ecclesia dispersa, seu diuisiuè de omnibus Episcopis qui sunt viui lapides.

38 Præ-

Digitized by Google

38 Præterea, illis verbis, *Tu es Petrus* &c. vt vniuersi Patres affirmãt, Petro, ac Pontificibus eius successoribus promissus est totius Ecclesiæ Principatus. Sed Princeps, maior est suo Regno etiam collectiuè sumpto. Igitur Pontifex maior est, & supra Ecclesiam etiam collectiuè sumptam. Scio; minorem propositionem aduersarijs Protestantibus non benè sonare; cùm ipsi, Principes ac Magistratus, sibi velint esse subiectos, vt vidimus P. Par. Narrat. de doctrina tumultuaria Protestantium; vbi ex Sacra Scriptura, ibidem cap. vlt. nefariam hanc sententiam profligauimus.

39 Tertius locus pro auctoritate Romani Pontificis, habetur eodem cap. 16. Matth. vbi, Petro promittũtur claues Ecclesiasticæ potestatis. *Tibi dabo claues Regni Cælorum, quodcumque solueris super terram erit solutum, & in Cælis* &c. Quibus verbis, à lõgè Christus aduersarios nostros ferit, qui volũt, claues Ecclesiasticæ potestatis, immediatè Ecclesiæ fuisse collatas; cũ, ex prædictis verbis constet, eas specialitèr Petro, eiusq; officio capitis perpetuò duraturo, fuisse collatas. Hinc D. Greg. ad prædicta loca respiciens in Regist. lib. 4. cap. 76. ait: *Cunctis Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica, Sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est; ipsi quippè dicitur, Petre amas me, pasce Oues meas. Ipsi dicitur, Tu es Petrus, & tibi dabo claues.*

40 Quartus locus est Lucæ 22. vbi Christus Petrum singillatim affatus, ait: *Ego rogaui pro te Petre, vt nõ deficiat fides tua. Tũ autem aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Patres ad vnum omnes, optimè ex hoc loco deducunt, priuilegium inerrabilitatis, & infallibilitatis pro finiendis litibus fidei, non Concilio, seù Ecclesiæ congregatæ; sed Pontifici fuisse collatum; cùm enim sit personale, ad solum Pontificem, qui est quædam certa persona, spectat, & transit; adeoque, legitima Concilia necessariò exigunt à Pontifice, qui infallibilis veritatis custos est ex Christi promissione, confirmari; vt patet ex perpetua Ecclesiæ praxi hic in 2. Notab. demonstrata. Ex quo deducimus, quòd si ex Christi institutione, Pontificum est *confirmare fratres* & Concilia, & quæ illis visa fuerint reprobare; Pontifex est supra Concilium; & Conciliorum auctoritas, à Pontificis auctoritate dependet.

41 Ne autem videatur nostrum esse commentum, quòd Pontifices sint Conciliorum Iudices, habentes potestatem infirmandi Conciliorũ decreta, eaque spuria, & illegitima declarandi; patet, tùm ex suprema, & Vicaria Christi potestate, qua Papa omnibus Ecclesijs præsidet; tùm etiam, quia hoc ipsum perpetuatus Ecclesiæ vsus ostendit; siquidem, Cõcilium Ephesinum 2. quod generale appellant, à Papa Leone 1. fuit damnatum; Concilium Ariminense sub Constantio, & Constantinopolitanum sub Michaele; & aliud Constãtinopolitanum sub Leone Isaurico; & aliud sub Constantino Copronico, eodem modo à Pontificibus Romanis damnata fuerunt. Similitèr Concili. Sardicense aliud ab Arianis institutum, Syrmiense, Quinisextum, Francofordiense, Pisanum, Constantiense, Basileense, & alia quæ celebrata sunt, partim damnata, partim verò confirmata Pontificum Romanorum auctoritate legũtur. Quare Adrianus Papa 1. epist. ad Constantinum, & Irenem matrẽ, quæ lecta est in 2. Nicæna Synodo Act. 1. ait: *Romana Ecclesia, quæ semper & tenuit, & retinet Principatum, vnãquamque Synodum, & sua auctoritate confirmat, & continua moderatione custodit.* Et Nicolaus 1. epist. ad Michaelem Imperatorem, circa mediũ,

inquit: *Romana Ecclesia, collecta Concilia, sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit: vnde quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt.*

42 Prob. 2. auctoritate Summorum Pontificum. S. Anacletus epist. 3. cap. 3. loquendo de Sede Apostolica Romana, ac de potestate, & auctoritate Summi Pontificis supra omnem Ecclesiam ne dum diuisiuè, sed etiam collectiuè acceptam, ait: *Non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assequuta est.* Si ergo Pontifex Romanus habet potestatem supra totum, vtique supra collectionem, cum totum sit collectum ex partibus vniuersis vnitim.

43 Iulius 1. epist. ad Episcopos Orientis illud idem insinuãs, inquit: *Ipsi verò primæ Sedis Ecclesiæ, conuocandarum Generalium Synodorum iura, & iudicia Episcoporum singulari priuilegio, Euangelicis, & Apostolicis, atque Canonicis concessa sunt institutis, quia semper maiores causæ ad Sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri præceptæ sunt, nec enim vllo modo potest maior à minore iudicari.* Quibus verbis expressè innuitur quòd est contra æquitatem si Pontifex qui est maior, iudicetur à minori, scilicet, à Concilio.

44 Leo Magnus epist. 87. ad Episcopos Viennes. & refertur dist. 19. c. Ita Dominus, hanc eamdem materiam discutiendo, dicit: *Huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in B. Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.* Igitur, Christus supremam totius regiminis Ecclesiastici potestatem in Petro, adeoque in eius successoribus, immediatè locauit, & ab illo tãquam à capite voluit in Apostolos, ac in Apostolorum successoribus, seù Episcopos velut in corpus omne siue collectos, siue dispersos deriuari.

45 Gelasius epist. ad Episcopos Dardaniæ, in rem nostram scripsit hæc verba: *Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quòd Sacrosancta Romana Sedes fas habeat de omnibus iudicandi: nec cuiquè liceat de eius iudicare iudicio.* Nulli ergo licet iudicare iudicium, & sententiam, à Summo Pontifice latam. Igitur, neque Ecclesia diuisiuè, neque collectiuè seù in Cõcilio congregata, potest aliquid supra Pontificem, vel renitente Pontifice, vel absque assensu Sũmi Põtificis de fide decernere, neque aliquã potestatem supra Pontificem exercere. Hoc idem asserunt passim Summi Pontifices.

46 Ioannes Maior in suo opusc. de hoc argumento in Respons. ad 6. argumentum; Pontificum auctoritatibus validè pressus, in eas voces à Diabolo mutuatas prorupit: *Omnes auctoritates, quæ in hac materia adduntur, sunt ipsorum Summorum Pontificum, qui vt in pluribus fimbrias suas extendentes, sibi attribuerunt quod est Ecclesiæ proprium.* Miror homunculũ ita temerè in Sanctissimos viros debaccari, eosque ambitionis incusare; cùm ipse, sit Pontificiæ dignitatis inuasor. Vt autem huius, demẽtati viri temeritas comprimatur; si Pontificum auctoritatibus non vrgetur, Conciliorum decretis, ac statutis in angustias redigatur. Et quidem, sic, ostẽdetur tum omnium aduersariorum insania, cum ipsi Conciliorum suscipiant patrocinia, ipsis Cõcilijs sponte cedẽtibus, ac in summis Pontificibus auctoritatẽ supra se ipsa agnoscentibus, & fatentibus; tũ etiam Maioris mendacitas, asserẽtis omnes auctoritates quæ in rem nostram adducuntur, esse à Sum. Pontificibus depromptas. Vnde.

Ioannis Maioris temeritas cont. Pont. compescitur auctoritatibus Conciliorũ

47 Probatur tertiò auctoritate Con-

Digitized by Google

Cõciliorũ. In primis Conciliũ Suessanũ non est ausum in Marcellinũ Papã, qui ex timore thus idolis adoleuerat, ac postea Martyr extitit gloriosus, sententiam ferre, dũ 300. Episcopi in eo cõgregati, vnica voce dixerunt: *Tuo te ore, nõ nostro iudicio iudica: nã prima sedes à nemine iudicatur.* Et rursus: *Tu reus, tu iudex; noli à nobis iudicari, & ore tuo iustificaberis, & ore tuo condemnaberis.*

48 Patres Concilij Romani sub Syluestro Papa Can. vltimo similiter in rem nostram clamauerunt: *Nemo iudicabit primam sedem, quoniam omnes sedes à prima sede iustitiam desiderant temperari; &c.*

49 Aliud Concilium Romanum Leone Papa III. permittente, & inuocante conuocatum, vt affricata sibi crimina discuterentur, omnes eiusdem Concilij Patres, & Episcopi protestati sunt, *se Apostolicam sedẽ quæ est caput omnium Ecclesiarum Dei, iudicare non audere, cùm ex antiquo more, OMNES ILLA IVDICET, & à nemine iudicetur.* Tunc Leo Pontifex dixit: *Ego Leo Pontifex Sanctæ Romanæ Ecclesiæ à nemine iudicatus, neque coactus, sed mea voluntate impulsus, &c. purgo me præsentibus vobis* &c.

50 Hoc ipsum habetur ex Romano altero Concilio sub Adriano 2; cuius verba refert 8. Synodus *Acti.* 7. dicendo: *Romanorum Pontificum sedem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus: de ea verò quenquam iudicasse non legimus.*

51 Rursus V. Synodus Romana sub Symmacho, tamquam sua decreta approbauit librum Ennodij Diaconi, vbi dicitur: *Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari; Sedis istius (Romanæ) Præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio, voluit Petri Apostoli successores cælo tantùm debere innocentiam.*

52 Quòd si aduersarij vrgeant Concilia Constantiense, & Basileẽse, in quibus, Concilium Papa superior asseritur, meminerint, ea esto legitima initio fuerint, in Concilia bolum tamen tandem degenerasse, eorumque decreta ad hanc materiam attinentia, in alio copiosissimo, ac legitimo Lateranensi Concilio sub Leone X. sess. 11. ex Sac. Scriptura, ex dictis Sanctorum Patrum, Ecclesiæ praxi, ac Conciliorũ confessione fuisse reprobata, his verbis: *Solum Romanum Pontificem tanquam super omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum faciendorum, transferendorum, ac dissoluendorum, plenum ius, ac potestatem habens, nedum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, sed & propria eorundem Conciliorum confessione manifestè constat.* Hoc ipsum statuitur in Concilio Florentino, sub Eugenio 4. sess. 7. vbi priorum Conciliorum decreta innouat, & ab vniuersis idipsum tenendum præcipit.

Interfuerũt Episcopi 400. Metropolitæ 70. &c.

53 Ex dictis collige, tantam Romano Pontifici inesse auctoritatis, ac potestatis plenitudinem, vt is cũ omni potestate, non possit, iudicem supra se constituere; seu non possit Concilio generali, vel alteri, iudicium supra se committere. Pro quo nota, duo in perfecto iudicio reperiri, potestatem scilicet discutiendi causam, discernendi, ac iudicandi quid sit agendum; & potestatem cogendi eum contra quem agitur, ad obtemperandũ sententiæ contra se latæ. In iudice propriè dicto, reperitur vtrumque; In Arbitris, primum dumtaxat; scilicet discussio causæ &c. Nos ergo asseueramus, Summũ Pontificem, non posse supra se constituere Iudicem, benè verò arbitrem qui causam tantùm discutiat.

Pontifex nõ habet auctoritatem cõstituendi supra se iudicem.

54 Ne autem hæc videantur voluntariè dicta, exemplis ostendimus, Pontificem posse Concilio vel alteri committere potestatem discutiendi suam causam; sic enim factum fuisse legimus à Sixto III; Leone III; Symmacho, Leone 4. & alijs; qui cum

accusarentur; causas suas Concilijs discutiendas tradiderunt, quos tamē Concilia, & Episcopi in illis congregati, ausi non sunt iudicare, vt patet in 4. Synodo sub Symmacho, vbi, omnes Episcopi dixerunt: *se soli Deo totum committere iudicium*: Et in Concil. Romano sub Sixto, Patres in Basilica Heleniana congregati, dum ab eodem Sixto ipsis daretur arbitrandi facultas de stupri infamia sibi imposita, audiente Valentiniano Imperatore, conclamarunt. *Non licere aduersus Pontificem dare sententiam.*

Pontifex à solo Deo iudicatur.

55 Quod autem Pontifex non possit committere Concilio, vel altari potestatem cogendi seipsum ad obtemperādum sententiæ latæ, certum est; nam, Pontificiæ potestatis celsitudo, & excellentia super omnes, est de iure Diuino, *Pasce oues meas*: *Super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam*: *Quodcumque ligaueris super terram &c.* Cùm autem Papa non possit dispensare in his, quæ sūt Diuini iuris, fit, quod non possit, talem potestatem supra se, alteri committere. Rursus, quia sequeretur, Papam esse superiorem, & non esse superiorē respectu eiusdem, quod implicat. Nam, cùm Pontifex se, suamque causam alterius committit iudicio, non desinit esse Papa; ergo nec desinit esse superior quocumque Christiano, imò nec omnium Christianorum etiam collectiuè sumptorum: Et ex alio capite, non esset superior, sed inferior; quia, cogi potest: Igitur, superior simul esset, & inferior.

Pontificiæ potestatis sublimitas, est de iure Diuino.

56 Reges, & Imperatores, in hāc eamdem sententiam collimarunt; & præter innumeros, Carolus Magnus semper Augustus in suis Capitulis lib. 1. cap. 139. editionis Parisiensis ann. 1548. ait: *Neque Præsul summus à quoquam iudicabitur*, (& rationem adijcit) *quoniam scriptum est, nō est discipulus super Magistrum.*

Etiam pijssimi Imperatores Pontificem à nemine iudicandum agnouerunt

57 Redeamus nunc ad cardinem causæ; & ex prædictis Sacræ Scripturæ verbis, ab Imperatore Carolo Magno in rem nostram allatis, sic contra aduersarios insurgamus: Vel Episcopi in Concilio congregati sūt discipuli, vel Magistri: Si Magistri, ergo frustra à Christo, Petro eiusque successoribus dictum est, *confirma fratres tuos*, sed dicendum erat Apostolis adeoque Episcopis Apostolorū successoribus, *cōfirmate Petrum: Principem vestrum*: Item, in vanū Christus dixit Petro, *Pasce Oues meas* pabulo veræ doctrinæ, sed erat dicendum Apostolis, *Pascite Petrum Pastorem vestrum*: & tunc quid ineptius, & insulzius? Si sunt discipuli, ergo debent sub magistri potestate manere, & non supra Pōtificem magistrum, & Pastorem suum insilire.

Patres in Concilio sunt discipuli, non magistri Sum. Pontificis. Vide hic in 2. Notabili.

58 Rursus, ex D. Cypriano lib. 1. cap. 8. *Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum Domini voce fundata*. Si ergo in Ecclesia, est vna Cathedra; vnus est Magister omnium Pontifex Petri successor. Quòd si alia Cathedra, aut alia suprema docendi potestas in Concilio collocaretur, quæ à Pōtificis potestate non manaret, iam scinderetur Ecclesia; quæ sicut duas Cathedras, ita duos supremos Magistros ferre non potest, sicut nec duo Capita, cùm vnū corpus sit. Quamobrem, qui à Christo supremam, ac immediatam potestatem Concilio collatam esse volunt, quid mirabile persuadere satagunt, scilicet, vt caput à membris pendeat, & membra capiti præsideant, quod ipsa horret natura.

In Eccl. est vna Cathedra, & vnus magister.

Respondēt, tunc Caput cū mēbris præsidente simul.

59 Ridicula responsio. Si enim in illo casu Caput simul cum membris præsideret, tunc nullus subijcietur, cùm omnes simul præsideant; quin in casu præsenti controuerso, (vt dictum est) membra supra Caput dominarētur: & ita Ecclesia suo Capite per-

Ridicula aduersariorū responsio diluitur.

perpetuo miserrimè viduata, sola membrorum aggregatione cõsisteret; quòd an falsum sit, iudicent qui apud se sunt, vel diligunt æquitatẽ.

60 Prob. quartò ratione ex *Verbo Dei* petita. Mysteria fidei sunt reuelata; ergo ille imediatè habet potestatem declarandi res fidei, cui immediatè facta est reuelatio: Sed immediata reuelatio Mysteriorũ fidei facta est Petro eiusque successoribus, & non Concilio, seu Ecclesiæ; ergo non Concilium, sed Pontifex Petri successor immediatè habet auctoritatem declarandi ea, quæ ad fidem pertinent. Minor subsumpta, prob. ex illa Petri cõfessione Matth. c. 16; *Tu es Christus filius Dei viui*, inde audiri meruit, *Beatus es Simon Bar-iona quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus* &c. Igitur à Patre, & Filio, Petro facta est reuelatio immediata mysteriorũ fidei, ac spiritualis clauium potestas, immediatè Petro eiusque successoribus promissa est, *Tibi dabo claues*, vt eadem mysteria Ecclesiæ reuelaret, ac eamdem spiritualem potestatẽ alijs præsulibus conferret; totum hoc dixit de Petro Chrysostomus in hunc locum homil. 55. *Pater (ait) quidẽ reuelationem Filij sui dedit, Filius autem partim, vt tàm Patris, quàm Filij sui reuelationem vbique terrarum posset seminare, partim, vt quamuis homo esset mortalis, cælesti tamen potestate polleret, & Claues haberet Regni Cælorum: Ita Petrus Ecclesiam per Vniuersum Orbem amplificatam, Cælo ipso validiorem monstrauit.* Perperam ergo garriunt Aduersarij, dum Spiritualẽ clauium potestatem, immediatè Ecclesiæ, maximè in Concilio congregatæ, collatam volunt, ac finiendarum controuersiarum fidei auctoritatem tribuunt.

61 Confirmatur; Illud maximè Catholicis exploratum est ex illo Ioann. 10. *Pasce Oues meas*, Papam esse proximum Christi Saluatoris nostri Vicarium, cùm sit legitimus Petri successor, quem in Ecclesiæ gubernatione Christo subiectum esse constat. Ergo sicut si Christus adhuc viueret, eius auctoritas non penderet à Concilio, sed Concilio superior esset; ita, Pontificis auctoritas, quæ ipsius Christi Vicaria est, (non enim Pontifex alia quam Christi auctoritate fungitur) toti Concilio debet esse superior. Vel aduersarij tenerẽtur asserere, Ecclesiam, à Papa distinctam, esse Christi Vicariam immediatam. Videatur *D. Thomas* Opuscul. cont. errores Græcorum cap. 66. vbi ait, quod Christi Vicarius suo Primatu, & Prouidentia, Vniuersalem Ecclesiam subiectam seruat, & oppositum, erroneum vocat.

62 Præterea, Pontifex Romanus, est Oeconomus, & *Rector* familiæ, & Domus Dei quæ est Ecclesia, iuxta illud *D. Ambrosij* in 1. Timoth. 3. *Domus Dei Ecclesia dicitur, cuius hodie Rector est Damasus.* Ergo Ecclesia adhuc in Concilio congregata, non est supra Pontificem. *Antecedens* pat. tum ex D. *Ambrosio*, tum ex vniuersis Patribus super illud Lucæ 12. *Quis est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiã suam* vbi nomine *Dispensatoris*, in Græco *Oeconomus*; & licet id explicẽt de Episcopis, tamẽ etiam summo Põtifici id maximè congruit; quia, sicut illi in proprijs particularibus sedibus sunt Oeconomi; ita Põtifex in Ecclesia vniuersa, est cõstitutus Oeconomus. Consequentia illa probatur ex hoc eodem loco, vbi loquens Euangelista de eodem *Dispensatore* seu *Oeconomo*, ait: *Quòd si dixerit seruus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cæperit percutere seruos, & ancillas, edere & bibere, & inebriari, veniet Dominus serui illius in die, qua non sperat, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* Ergo vult Christus, quòd Pontifi- Lucæ 12.

Digitized by Google

tificis Oeconomi, seu Dispensatoris iudicium, nõ sit penes familiam, seu Ecclesiam, seu Conciiium: sed suo tantùm reseruauit arbitrio.

63 Tandem, Probatur ex incomodis quæ sequerentur, si Conciliũ esset supra Papam. Nam Sponsus regeretur à Sponsa, Pater à Filijs, Pastor à Grege, Oeconomus à familia, Dominus à subditis, quæ omnia ipsa naturæ iura perhorrescunt. Certum est autem, Summum Pontificẽ esse Ecclesiæ sponsum, sicut Christus eiusdem sponsus asseritur Ephes. 5. esse omnium fidelium Patrem, totius familiæ Christi Oeconomum, Gregis Christi Pastorem, ac Principem, quem Christus *Constituit Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ*. Ergo Aduersariorum assertio, vtrumque ius ledit, Diuinum scilicet, & naturæ.

64 Confirmatur; ex contraria sententia, sterneretur via ducens ad Schismata, quin, & factiosis hominibus, ac laicis submini strarentur arma, quibus possent Ecclesiæ pacem, ac tranquillitatem pro suo libitu perturbare, Pontificiam auctoritatem inuadere, eam ad libitum factiosorum restringendo, & ampliando; Pontificis personam vexare exauctorando, vel citãdo; eiusque potestatem in discrimen adducendo; imò, & possent hostes fidei crimina cõminisci, eaque Sũmo Pontifici per odium affricare, & sic hodie vnum Pontificem deponere, & alium subrogare; cras alium exauctorare, & nouum instituere; postridie alium, & alium est sic omnia perturbare, & Ecclesiæ Christi grauitatem, & maiestatem in fabulam reducere, omniaque sus deque inuertere; quod non est Ecclesiam stabilire, sed possumdare; at incassum nituntur aduersarij nauem subuertere Petri, eiusque super omnes Ecclesias Primatum labefactare.

65 Probatur quintò, specialibus principijs, & confessionibus Protestantium inhærendo. Martinus Lutherus in suis *Resolution. de Indulgentijs*, Pontificis Romani auctoritatem supra omnem terrenam auctoritatem agnouit, dum dixit: *Auctoritati Papali in omnibus cum reuerentia cedendum est*. Et in epist. ad Leonem X. inquit: *Vocem tuam, vocem Christi in te præsidentis, & loquentis agnoscam*, &c. Agnouit ergo, spiritualis potestatis verticem, in Summo Romano Pontifice ex Christi institutione residere.

66 Item, Caluinus in cap. 7. Ioannis, versans locum Deuteronomij in prima probatione adductum, expressiùs in rem nostram, & pro summa Romani Pontificis potestate, supra Concilium, dicit: *Est igitur ad moderandum Ecclesiæ ordinem necessarium frænum eorum, qui præsunt, auctoritas. Atque in Dei lege cautum erat, vt si quæ excitata esse, quæstio vel controuersia, eius cognitio pænes Summum Sacerdotẽ foret.* Quod autem in Lege veteri iudicatur opportunum, cur non item in Lege gratiæ?

67 Rursus, Ioannes Reinoldus Puritanorum Pytagora in Collat. pag. 251. circa med. ait: *Lex illa Deuteronomÿ cap. 17. lata est ad tribunal quodam Supremi Iudicis statuendum in quo causæ omnes difficiliores, tàm Ecclesiasticæ, quàm ciuiles decernerentur; idque sine spe ad aliud forum appellandi.* Omnes ergo fidei lites, per vnum Summum Sacerdotem, & Pontificẽ summum sunt sopiendæ, taliter, vt ab huius sententia, non liceat ad Cõcilium appellare.

68 Sed & Melanchon, hanc Sũmi Pontificis auctoritatẽ super omnes Episcopos, & agnouit, & commendauit in lib. suo cui titulus *Centum epistolæ Theologicæ* &c. epist. 74. pag. 244. post medium, vbi ex sententia omnium suorum, ait: *Quemadmodum sunt aliqui Episcopi, qui præsunt plurimis Ecclesijs, &c. Pontifex Romanus*

Digitized by Google

manus omnibus Episcopis præsidet, & hanc Politiam Canonicam, nemo puto sapiens improbat, aut improbare debet &c. Et statim huius rationem reddit ibidem, his verbis: *Monarchia enim Pontificis Romani in hunc finem, meo quidem iudicio, vtilis est, vt vnitas doctrinæ seruetur.* Constat autem ex hoc loco, doctrinæ vnitatem haud seruari posse, si Monarchia Regiminis Ecclesiastici, per Episcoporum, & Conciliorum auctoritatem supra Pontificem, destruatur.

69 Postremò, Archiapostatæ Spalatensis inconstantia, ac eiusdem contra Illustrissimam Sorbonæ Academiam petulantia, tùm ex meris suis dictis, tùm ex meris Parisiensiũ Magistrorum doctrinis, infra ad huius lectionis calcem, in speciali de hoc argumento Appendice, ostendetur, & comprimetur.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta Protestantium.

80 ARguunt primò signanter Hermandus Himelmãdus lib. 3. Prologomenorum cap. 12. Marcellinus Papa, eò quòd Idolis thus adoleuerat, fuit à Concilio Sinuessano damnatus, & depositus: ergo Concilium est supra Papam.

81 Resp. quòd ex hoc facto, magis veritas nostra Orthodoxa firmatur, non infirmatur; & aduersarius historiæ ignoratione decipitur: Et tantum abest Concilium Papã Marcellinum iudicasse, vel damnasse, quin potius ex epist. Nicolai 1. ad Michaelem, illius Synodi Episcopi clamauerunt: *Ore tuo te iudica, nemo enim vnquam iudicauit Pontificem, nec Præsul Sacerdotem suum, quoniam prima sedes à nemine iudicabitur, tu reus, tu iudex, noli à nobis iudicari, &c.*

82 Arguunt secũdò Hermannus ibid; Mornæus in Myster. iniquitatis oppositione 4. & Caluinus lib. 4. Inst. Post iudicium, & sententiã Melchiadis Papæ, iudicauit eamdem Episcopus Arelatensis, ex Augustino epist. 162. quæ est ad Glorium, & Eleusium, dicente: *Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicauerunt, non bonos iudices fuisse. Restabat adhuc plenarium Ecclesiæ vniuersæ Cõcilium, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari. Vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerẽtur.* Vnde Caluinus lib. 4. Inst. cap. 7. §. 10. inquit: *Si Romana Sedes summam habet potestatem sine prouocatione, cur sibi tàm insignem ignominiam irrogari patitur Melchiades, vbi sic Episcopus Arelatensis præferatur?*

83 Resp. Episcopum Arelatensem, causam à Melchiade Papa iudicatam, iterum iudicasse; non quia id esset necessarium, sed quia illorũ temporum iniquitas ferebat, vt Imperator adhuc non baptizatus acquiesceret Donatistis (ex eodem August. ibidem) petentibus aliud iudicium eiusdem causæ, vt fortè in duobus iudicijs condemnati veritati cederent, & ad sanam mentem redirent. *Dedit* (ait August.) *Imperator post Melchiadis Romani Episcopi iudicium, aliud aliorum Episcoporum iudicium, non quia necesse erat, sed eorum peruersitatibus cedens, omnino cupiens tantam impudentiam cohibere.* Et rationẽ addit, quia; *Nec ausus est Christianus Imperator, sic eorum tumultuarias, ac fallaces querelas suscipere, vt de iudicijs Episcoporum qui Romæ sederunt ipse iudicaret, sed alios Episcopos dedit*, scilicet, ad plausibiliorem, & euidentiorem eorum condemnationem apud vulgum, cui magis arridet decretum plurium Episcoporũ in Concilio, quàm vnius Pontificis quamuis Summi; de reliquo, in hoc Conc.lio (vt ait Optatus Mileuitanus lib. primo. cont Parmen.) Papę *Melchiadis sententia clausum iudicium est.* Et per hæc patet manifesta argumenti solutio.

Melchiadis Papæ iudicium cur iudicatum?

84 Ad illud quod additur ex Augusti-

Digitized by Google

gustino, scilicet, post iudicium Melchiadis Papæ, iudicium Concilij remanere, vt Donatistarum causa iterum discuteretur; dicendum est vt supra, hoc esse dictũ, non quia oporteret Concilium conuocare, sed vt pleniùs conuincerentur *Donatistæ*, qui Concilij iudicium expetebant; non quidem Concilij sine Papa; sed Concilij legitimi à Papa, & cum Papa congregati; vel, si petebant, ea quæ fuerant in speciali Cõcilio Romano definita iterum in Concilio Generali examinari; tunc, cùm quæstio esset facti, qualis erat Cæciliani, (in qua, quia pendet ex informationibus humanis, potest Ecclesia errare) nihil in Papalis dignitatis præiudiciũ cõspicimus postulatum; nam, tùm Particularis, tùm Generalis Concilij eadem est auctoritas, quando in vtroque Papa præest.

85 Arguunt tertiò. Liberius Papa, fuit ab *Imperatore* depositus, deindè in suam Sedem ab eodem restitutus, eo pacto, vt simul cum Felice Romæ Ecclesiã reggeret; quod & eidem Liberio fuit à Syrmiensi Concilio iussum, vt patet ex litteris eiusdem Cõcilij ad Felicẽ, ex *Sozomeno* lib.4.cap.14. Zonara, & alijs.

86 Resp.id, contra omnem æquitatem, tyrannica dumtaxat violentia *Ariani Imperatoris* actum esse. Concilium verò *Syrmiense* nullius momenti existimatur; nam, esto in illo Patres, Photini hæresim damnauerint, Arianorum tamen perfidiam acerrimè propugnarunt; quare inter Concilia partim reprobata annumeratur. Præter quam quod epistola illa Concilij Syrmiensis ad Felicẽ, exhortationem solummodò continebat, non præceptum, vt patereturfecum fœdere Liberium; quod tamen Concilium, vt dixi, Arianorum præcipuè fuit. At Liberius sedit iterum Felice mortuo. Vide quę fusè de hoc argumento diximus, de infallibili iudicio Romani Pontificis in decernendis rebus fidei, lib. 1. Tract. 3. Instr. 2. lect. 2.

87 Arguunt quartò. *Sancti Leonis* Papæ epistola, fuit à multis Chalcedonensis Synodi Episcopis examinata, ex Euagrio lib.2.cap.18; idemque Põtifex epist.63. gloriatur fuisse tali examine approbatam. Ergo &c.

88 Resp. epistolam in argumento deductam non fuisse decretoriã, sed instructoriam, qua scilicet instructi Episcopi Concil. Chalcedonensis, rectiùs sententiam tulerunt; quare, approbatio illa facta à Concilio, potiùs debet dici commendatio instructionis Pontificiæ, qua ad decretum, & ad vltimam sentẽtiam, nomine Pontificis, & Concilij processerunt, omnesque tunc eiusdem Concilij Patres clamauerunt, *Petrus per Leonem loquutus est &c.*

89 Arguit quintò idem Hermandus, & est argumentum à Gersone desumptum. Matthei cap. 18. Petro eiusque successoribus dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus &c. dic Ecclesiæ*, adeoque tùm Petrus, tùm eius successores, debent deferre peccatores ad Ecclesiã tanquam tribunal superius Petro. Ergo Concilium Ecclesiã representans, est supra Papam.

90 Resp. ex dictis in 1. prob. 1. loco adducto ex Scriptura; quibus addimus ex communi *Doctorum* sensu 2.q. 1. c. *Si peccauerit*, & 7. q. 1. c. *Scire*, extra de Iud. cap. *Nouit*, nomine *Ecclesiæ* venire Prælatum in iudicio præsidentem, non verò Concilium Generale; nam, vt diximus, aliàs pro corrigendo vno peccatore, necesse esset quotidiè Orbem commouere vniuersum, vocando Episcopos ad Concilium Generale; Hæc eadem explicatio est *S. Thomæ* in 4. dist. 19. q. 2. art. 3. quæstiuncula 2. ad 4. & B. Alberti Magni ibid. ex D. Ioanne Chrysostomo ad eum Matth. locum desumpta. Quòd si obstinatè aduersarius nomine Ecclesiæ, velit intelligere Ecclesiam congregatã in Cõcilio; tũc, dicimus cũ Cypriano, *Ecclesia*

Digitized by Google

est grex suo Pastori adharens, adeoque simul cum Ecclesia venit Pastor, & Caput, cui primò illa verba conueniunt; non verò venit Ecclesia sine Pastore.

91 Instat Hermannus. Petro dictum est, *dic Ecclesiæ*; ergo Petrus, & eius successores debent denunciare, ac deferre peccatores ad Ecclesiam, tanquam ad tribunal distinctum, à suo, suoque superiùs.

92 Resp. ex Turrecremata lib. 2. de Eccles. cap. 92. & lib. 3. cap. 13. q. 2. Petrum, ac Pontifices eius successores, æquè benè posse hoc præceptū implere, ac denunciare, & dicere Ecclesiæ; quia Pontifex potest considerari vel vt persona publica, vel vt persona priuata; seù, vt ait D. Tho. in 4. dist. 19. q. 2. quæstiunc. 3. ad 4. vel vt est in iudicio præsidens, vel extra iudicium; & tunc ly *Dic Ecclesiæ*, idē valet, ac si diceret, tu vt persona priuata, dic tibi ipsi vt persona publica in iudicio præsidens, exeūdo in actū iudicij puniendo, & corrigendo delatum, ac denūciatum peccatorem, cum publicè excommunicando. Et sic nihil contra nos.

93 Arguit sextò idem cum aliis. Papa est membrum Ecclesiæ. Ergo minor suo toto, quod est Ecclesia: ergo potest, & debet amputari, si inficiat Ecclesiam.

94 Resp. primò, distinguo primū consequens, minor suo toto quod est Ecclesia sine Papa, nego consequentiam; nam, Ecclesia sine Papa, non est totum, sed pars, & quidem maior quàm caput magnitudine molis, minor verò magnitudine potestatis, virtutis, & auctoritatis, vt patet in quolibet corpore. Minor suo toto, quod est Ecclesia simul cū Papa; subdistinguo, extensiuè, concedo; intensiuè nego. Si enim accipiatur Ecclesia simul cum Papa, maior est auctoritas Ecclesiæ extensiuè, quàm Papæ solius; intensiuè autem æqualis; sicut ens vt dicit increatum & creatum, intensiuè non est maius bonum quàm sit ens increatum, & Diuinum tantùm, licet extensiuè sit maius, cùm dicat plura bona, bonū scilicet creatum, & increatum; naturale, & diuinum; & Christus, vt homo, est caput Ecclesiæ; adeoque pars illius; & tamen Christus solus est maior tota Ecclesia.

95 Resp. secundò negando absolutè antecedens; nam, ex D. Thoma in 3. dist. 13. q. 2. art. 1. nomine membri, venit ea pars corporis, quæ ab alio recipit influxum; nomine verò capitis, significatur fons, & principium influxus prædicti; Et iuxta huius doctrinæ intelligentiam, sicut Christus vt homo, respectu diuinitatis, vocatur membrū ab *Apostolo* 1. Corinth. 12. *Vos estis corpus, & membrum de membro* scilicet Christo; & prout Deus est, vel etiam vt homo, influēs respectu fidelium gratiā, & charismata spiritualia, appellatur Caput, *Ipsum dedit caput* &c; ita Petrus eiusque successor Pontifex Romanus, prout recipit influxum à Christo, vel quoad dona, vel quo ad gratias, vel quo ad supernaturalem potestatem, dicitur membrum; prout verò prædicta Potestas ab eo tam, quam à Capite in Ecclesiam velut in corpus omne diffunditur, est Caput eiusdem Ecclesiæ, iuxta dicta in 2. prob. ex S. Leone Papa epist. 87. ad Episc. Viennenses. Et ita, secundùm diuersos respectus, Papa, est commembrum, & Caput Ecclesiæ; & quantitate virtutis, & potestatis, non est minus toto cum sit fons, & principium Ecclesiasticæ potestatis, à quo Deus in omnes Episcopos voluit deriuari. Et ita hæc potestas in ratione fontalis, & Originis non dicitur pars, sed totum; adeoque non est membrum sed Caput; & eo abscisso, Ecclesia non esset dicenda, non integra, sed acephala. Videatur Leo Papa loc. cit.

Distintio inter membrum, & Caput.

96 Ad secundam eiusdem argu-

menti consequentiam, Respondemus 1. negando illam in sensu 2. Responsionis; Nam Papa, vt Papa, & Caput, nõ est membrum seu pars Eccclesiæ, sed quoddam totum fontale, in quo reposuit Deus plenitudinem, & Originem totius auctoritatis, & potestatis spiritualis; quo sublato, destruitur tota ratio fontalis, & Originatiua potestatis spiritualis; intellige in ratione fontis, & principij visibilis influentis.

97 In sensu autem 1. Responsionis, similiter negamus eamdem cõsequentiam; nam, ex eo in corpore naturali, vel etiam mystico, scilicet Republica, vel Regno temporali potest abscindi membrum inficians totum corpus; quia cum hæc membra siue à corpore, siue à populo dependeant, & vim recipiãt; si Rex tyrannicè viuat, potest à corpore Regni, vel à populo, à quo est Electus, & à quo potestatem recepit, deponi; Pontifex autem, adhuc si scandalosè, vel tyrannicè viuat, non potest à corpore Ecclesiæ, vel ab alia terrena potestate deponi, quia non ab Ecclesia, sed à solo Deo potestatem accepit. Recolenda sunt ea, quæ ex Luca in 4. probatione supra diximus.

98 Instat Ioannes Patriarcha Antiochenus, & dicit, ex hac responsione sequitur, Ecclesiam sine remedio manere in casu quo haberet malum Pontificem.

99 Respõdetur ex doctrina Bellarmini lib. 2. de Concil. cap. 19. columna 1256. quod in eo casu Ecclesia remaneret sine remedio humano efficaci, nõ autem sine remedio diuino efficacissimo; quandoquidem, Ecclesiæ salus, non pendet ex humana industria, sed ex protectione diuina: cùm enim eius Reu sit Deus, ad diuinam prouidentiã pertineret afferre remedium, quod remedium esset ex eadem diuina promissione infallibile, cùm Christus dixerit, *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*; adeoque, esto non posset Ecclesia malum Pontificem deponere, esset tamen Deo supplicandum, vt ipse remedium abhibeat; *& certum esset Deo fore curæ suæ Ecclesiæ salutem, qui talem Pontificem vel conuerteret, vel de medio tolleret antequã Ecclesiam destrueret*. Hæc Bellarminus ex D. Thoma in 4. dist. 19. q. 2. quæstiunc. 2. ad 2; & lib. 1. de Regim. princ. cap. 6. Et quidem vt ait Leo Papa epist. ad Cler. & plebem Constantinopolitanam: *Nunquam existimandum est, quod Sanctæ Ecclesiæ suæ desit, aut defutura sit diuina protectio*.

100 Ex hoc tamen non sequitur, non licere resistere Pontifici Ecclesiam destruenti; nam, vt ait Turrecremata lib. 2. cap. 106; licitum est, debita seruata reuerentia, talem Põtificem admonere, & modestè coripere; idque præstandum à Dominis Cardinalibus. Et in hoc casu quo vellet Ecclesiam destruere, non licet, ei vi & armis resistere, vt voluit Bellarminus vbi sup; nam hoc pertinet ad inuasionem, & daretur ansa factiosis crimina ficta Papæ impingere, & ad arma recurrere, quod remedium non est à Christo relictum: sed vt ait Caiet. in Apologia de potestate Papæ cap. primo licet auferre gladium de manu furiosi quod pertinet ad defensionem. Cùm enim Dominus naturalis Regni Ecclesiæ sit Iesus Christus, ad eius prouidentiam nõ ad humanã industriam spectat, de efficaci remedio prouidere. Legẽdus est Caiet. in fine Apologiæ. Casus autẽ (vt dixi) videtur mihi impossibilis, cùm Christus Petro sponderit, *Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi, non præualebunt aduersus eam*. Sponsor est Christus, igitur promissi exhibito certa.

101 Arguit septimò, idem Hermannus ex Gersone. Potentia agendi prin-

di principaliùs est in toto, quàm in partibus, quæ sunt veluti instrumenta totius; principaliùs enim dicitur homo videre, quàm oculus; Papa est pars, Ecclesia totum; ergo potestas spiritualis, & Ecclesiastica, principaliùs conuenit Ecclesiæ, quàm Papæ.

102 Resp. iuxta dicta in 2. Resp. præced. argum. dist. maiorem si sit sermo de toto quantitatiuo, & integrali concedo; de toto fontali potestatiuo, auctoritatiuo, & potentiali, nego maiorem, & in hoc secundo sensu neg. mi. & conseq. Igitur, sicut in toto potestatiuo magis potest vna virtùs, quàm omnes virtutes inferiores vnitæ, ita potentia agendi est principaliùs in illa vna virtute, quàm in reliquis inferioribus vnitis, vt patet in Rege respectu Regni: maior enim potentia agendi auctoritatiuè est in Rege, quàm in Regno, & reliquis ministris. Itaque, in ratione potestatis, agendi potentia principaliùs est in Papa, quàm in reliquo Ecclesiæ corpore. De ratione enim & natura totius potestatiui est, vt omnis virtus in potentijs inferioribus reperta, & dispersa, in superiori potentia, & virtute eminentiùs, & principaliùs contineatur; imò, vt in resp. ad præced. argum. dictum est, superior virtus, potiùs totum, quàm pars dicenda est; Quare, vt ait Turrecremata lib. 2. de Eccles. cap. 73. Papa in ratione potestatis, non solùm principaliter est Ecclesiæ pars, sed etiam est tota Ecclesia virtualitèr; vt etiam colligitur ex doctrina S. Leonis Papæ epist. 87. ad Episc. Viennenses, & S. Gregorij 4. Regist. cap. 76. vt supra & D. Ambrosij in li. 6. Exameron. cap. 29. dicentis, *totum hominem esse in capite.*

Papa, in ratione potestatis, est tota Ecclesia virtualitèr.

103 Ad exemplum adductum in argumento, dicimus, verũ esse quòd principaliùs homo dicitur videre, quàm oculus; quia, actiones, *vt quod* sunt suppositorum; tamen vt potentia videndi, seù vt quo, & in ratione formæ, principaliùs dicitur videre oculus quàm homo; quia tota ratio agendi *qua*, seù *vt quo* est ipsa forma, & potentia visiua. Ita pariformiter, Ecclesia credit, vt quod, mediante, tanquam ratione qua, potentia Papali, seù propositione mysteriorum fidei, immediatè reuelatis ei, cui dictum *est Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis nõ REVELAVIT tibi, sed Pater meus qui est in Cœlis* &c. Nisi velimus dicere, quòd potestas, & virtus regitiua Petri, & successorũ eius sit, veluti quædam forma per se, (in qua essentia regiminis Ecclesiastici reperitur) totum Ecclesiæ corpus informans; cui formæ, principaliùs conuenit virtus agendi.

104 Arguit octauò, idem ex eodẽ. Concilium Constantiense sess. 4. definiuit, Concilium Generale habere à Christo immediatam auctoritatẽ, cui omnes obedire tenentur, etiam si Papalis dignitatis existat. Vel hoc Concilium est approbatum, vel non; si est approbatum, ergo id quod definiuit verum est, & recipiendum: Si non; ergo perperam deposuit Ioannem 23. Gregorium 12. & Benedictum 13. & elegit Martinum V. qui confirmauit omnia decreta eiusdem Concilij, spectantia ad fidem.

105 Resp. 1. ex Iacobatio lib. 5. de Concil. cap. 16. illud decretum fuisse tantùm à paucis Patribus sub obedientia Ioannis 23. editum, eo tempore, quo Ioannes à Concilio discesserat, vt patet ex eadem sess. 4. absentibus Patribus qui erant sub obedientia Gregorij 11, & Benedicti 13. adeoque, non esse editum nisi à Cõcilio locali, non verò generali. Addimus, quòd decretum illud, sicut & alia ab ijsdem illo tempore edita, in eodem Concilio sess. 40., fuerunt ab omnibus Patribus reprobata; quando hi, re religiosiùs examinata, non sibi, sed futuro Pontifici, Ecclesiæ reformationem reseruarunt, dicentes:

Notandum pro decreto Concil. Constans.

Digitized by Google

Sacrosanta Constantiensis Synodus statuit, & decreuit, quòd futurus Romanus Pontifex assumendus cum hoc Sac. Concilio, per singulas nationes debeat reformare Ecclesiam in Capite Romanæ curiæ secundùm æquitatem, & bonum regimen. Et in art. 13. ibid. inter reformationis capita, sequitur, *propter quæ, & quomodo Papa possit corrigi, & deponi*, intellige, vel tempore Schismatis; vel quando secundùm bonum regimen, & secundùm æquitatem, Papa non coactiuè, & auctoritatiuè potest corrigi, vel deponi; sed tantùm discussiuè, prout scilicet proponuntur causæ discutiendæ, propter quas Papa deponi possit, ac corripi.

106 Resp. 2. quòd vt ex *Bulla* indictionis eiusdem Concilij Constantiensis à Ioanne 23. edita apparet, eo fine illa Synodus est congregata, vt scilicet Schisma tunc vigens tolleretur; adeoque, esto diceretur, decretum illud tempore prædicto fuisse legitima auctoritate editum, nihil nobis officeret; cùm, Schismatis tempore, verus Papa ignoretur; & Pontifex dubius, & ignoratus, non habeatur pro Papa, sicut antequam declaretur quæ sit Scriptura Diuina, non habetur pro *Diuina*, & Canonica in actu secundo, & quo ad nos. Ex illis autem tribus Pontificibus, duo cesserunt, tertio abdicato, ad medendum Schismati. Consulantur vberiora infra, in sequenti *Appendice*, ad argumẽtum Spalatensis n. 24.

107 Arguunt nonò, idem Hermannus *Hammelmannus* ibid. & Caluinus epist. ad Franciscum Regẽ Galliæ. Concilium Basileense sess. 33. de Fide Catholica tenendum docet, Concilium esse supra Papam; cui Cõcilio, ait Caluinus, *nihil ad exteriorem Maiestatem deerat; duobus enim diplomatibus solemniter indictum, præsidente Romanæ Sedis Legato consecratum, rerum omnium ordine benè compositum, eadem semper vnitate ad extremum perseuerauit.* Addit Hermannus; ex sess. 1. hoc Concilium fuit indictum à Martino V., ab Eugenio declaratũ sess. 16., à Nicolao V. cum suis actibus confirmatum.

108 Resp. Concilium Basileense, legitimè fuisse ab Eugenio 4. indictum, & inchoatum ad exterminationem hæresis Hussitarum: Quia tamen superba Gigantum factio, hominum scilicet tumultuariorum, non contra Hussitarum errores, sed contra Pontificem, & de eiusdem depositione tractarunt; Congregatio illa, non pro Concilio, sed pro Conciliabolo, & Satanæ Synagoga habita est. Quarè cùm Pontifex *Basileam* oratores destinasset, vt factiosi Cõciliares à conspiratione, & à cœptis desisterent, illi obedire noluerũt; Vnde Pontifex Legato suo Cardinali Cesarino reuocato, Concilium dissoluit. Inde ortum est, quòd factiosa illa Schismaticorum Congregatio, furore percita, ad sui cumulum sceleris, sess. 34. Verum Iesu Christi Domini nostri Vicarium *Eugenium* Pontificem, prius citauit, deinde deposuit, subrogato, & electo *Amadeo Duce Sabaudiæ*, Felice V. nuncupato, qui post nouem annos sub successore *Eugenij*, Nicolao V. Pontifice, renunciauit. Eum Concilium his, ac multis alijs titulis fuisse illegitimum (cõtra Caluinum) multò antè demonstrauit *Turrecremata* lib. 2. cap. 10. ibi Lectorem remitto. Nec verum est quod ait *Hermannus* scilicet, hoc Concilium cum actibus suis fuisse à Nicolao V. vel ab alijs confirmatum; nam, vt cõstat ex Bulla eiusdem Nicolai eidem Concilio annexa, Pontifex solum confirmauit ea, quæ egerat Concilium circa beneficia, & censuras Ecclesiasticas; nõ verò ea, quæ contra Pontificiam auctoritatem attentauerat. Caluini, & Helmauni commentũ diluitur.

109 Adde, quòd ijdem Patres Basileenses, predictum *Basileense* Conciliabolum reprobarunt, vt patet ex Sessione 38. eiusdem Concilij.

Iidem

lidē Patres etiam qui primò *Basileæ*, deinda Lausannæ Concilium transtulerunt, simul in vnum Conciliariter congregati, & sub nomine Cōcilij Oecumenici, se Nicolao Pontifici subiecerunt, eique ab omnibus esse obediendum decreuerunt, vt patet ex *Bulla* prædicta eiusdem *Papæ* Nicolai: quo facto declararunt suā nequitiam, in depositione Eugenij veri *Pontificis*, & electione Felicis *Antipapæ*; quin, & manifestissimos Schismaticos, & Pontificiæ auctoritatis, ac dignitatis exturbatores se esse professi sunt. Præterea, idem Cōcilium fuit reprobatum ab Eugenio loc. sup. cit. ex sess. 38; deinde à Leone X. in Cōcilio Lateranensi vltimo, sess. 22; Tandem, fuit reprobatum à tota Ecclesia, præcipuè in eo quod decreuit, Concilium esse supra Papam; dum Ecclesia tota, Eugenium, à Conciliabolo Basileensi iniustè depositum, semper tamquam verum Christi Vicarium, Sancti Petri successorem sit venerata. Et per hæc euanescit Caluini, & Hermanni commentum.

110 *Arguit* 10. Spalatensis. Vigilius Papa quintæ generali Synodo noluit se subscribere; & tria capitula fuerunt à Synodo damnata inuito Vigilio, qui fuit pro Schismatico habitus, & ab *Imperatore* in exilium missus. Hæc ille lib. 7. de Repub. cap. 3. n. 70. ergo Concilium est supra Papam.

111 Resp. quòd in ea Synodo, Summi Romani Pontificis auctoritas supra Concilium, maximè eluxit, vt patet, nam, Patres illius Concilij Vniuersalis, Summo Pontifici, vt par erat, deferentes, Vigilium inuitarunt ad discussionem trium Capitulorū, cum illa clausula demonstrante superioritatem, & auctoritatem supra Cōcilium, & super decreta eiusdem, dicentes: *Nos petimus tractari, & conferri super hac puncta*, PRÆSIDENTE NOBIS VESTRA BEATITVDINE. Quin, & in tantum illud Concilium generale legitimum habitum est, in quantum fuit *Pontificis Romani* auctoritate approbatū. Quòd sufficit in rem nostram pro plenissima argumenti solutione, intendentis probare superioritatem Concilij.

112 Quantùm verò ad ea quæ in argumento dicuntur, respondetur ex Goeffetatu cont. Mornæum fol. 334. in Vigilio; *Pontificem*, merito tribus illis Capitulis noluisse subscribere, quia præuidebat ex tali subscriptione Schisma futurum inter Episcopos; quorum alij, Imperatoris sententiam sequentes, illorum capitulorum damnationem affectabant; alij è contra defendentes auctoritatem illarum personarum, quas Chalcedonense Concilium absoluerat, illorum confirmationem expectabāt: neque enim in illis capitulis aliquid de fide discutiendum continebatur, sed tantùm quæstio erat, de conseruanda, ac defendenda aliquarum personarum fama. Quòd si Vigilio inuito fuerunt damnata, parum curę fuit Vigilio. Cæterum, cùm videret Pontifex vniuersum Orientem turbandum, vt grauiori damno, vt par erat, occurreret, tandem ijs tribus capitulis subscripsit, ne videretur Origenis erroribus, in eo Concilio proscriptis, adfauisse: Et hoc quidem prudentissimè his nouis emergentibus factum, ad imitationem *D.* Pauli, cuius Apostolica grauitas, post latum suffragium de non seruandis legalibus, nouis causis occurrentibus, Timotheum circumcidit. Videatur Bzouius Rom. Pontifex c. 14. Quòd verò Vicarius Iesu Christi Vigilius fuerit ab *Imperatore* in exiliū actus, nihil affert pro Spalatensi; nā, & Pontius Pilatus damnauit Christū ad infelicem arborem. Nisi fortè velit Archiapostata, mortis sententiam contra Christum *Dominum* à Pilato latam, ratam habere.

113 Arguit idem Spalatensis 11.

Cùm

Cùm in Concilio Chalcedonensi, ex communi Patrum sententia fuisset definitum contra Eutychetem, & Nestoriũ, & aliqui pauci, inter quos Romani Pontificis Legati, in subscribendo hæsitarent, ijdem Patres *Act. 5.* clamare cœperunt ad Iudices: *Iubete subscribi definitionem, contra fidem fraus non fiat, qui non subscribit definitioni hæreticus est:* vt habent *Acta*, ibidem, *Omnes Reuerendissimi Episcopi præter Romanos, & aliquos Orientales clamauerunt: Definitio omnibus placet, hæc fides Patrum, qui præter ista sapit anathema sit.* Hi ergo (ait Spalatensis) Concilij definitionem plenissimam esse agnoscunt, etiam renitentibus Romanæ Sedis Legatis; quos inter hæreticos reponunt nisi subscribant, tantùm abest, vt in rebus fidei Papa legem ponat Concilijs, & sit ipsis superior, hæc & alia multa aglomerata Marcus Antonius.

114 Respondetur, quòd Spalatẽsis oculos habet in calcaneo, si fortè acta Synodi Chalcedonensis inspexit; quia, ibi actione 5. Definitionis illius coordinatio, fuit commissa Episcopis, ac Vicarijs *Apostolicæ Sedis*: Et *Act. 6.* Paschasinus primus Legatus, seù Vicarius, subscripsit his verbis: *Paschasinus Episcopus vice Domini mei Reuerendissimi, atque Apostolici viri vniuersalis Ecclesiæ Papæ Vrbis Romæ Leonis, Synodo Præsidens statui, consensi, & subscripsi.* Postmodum, duo alij Pontificis Vicarij, scilicet, Lucentius, & Bonifacius, atque alij Episcopi subscripserunt. Ex quibus constat, Spalatensem mendacitèr dixisse, decretum illud, renitentibus Romanæ Sedis Legatis, fuisse editũ. Quòd si prædicti Pontificis Legati, eidem decreto non subscripsissẽt, ac consentissent; illud, nullum robur obtinuisset. Rursus, ex prædictis verbis apertissimè constat Præsidentia ac auctoritas Legatorum Papæ, seu ipsius Papæ, supra Concilium. Eò vel maximè, quia eiusdem Concilij Patres in Epist. Synodica ad Leonem Papam, eius superioritatem agnoscentes, scripserunt. *Rogamus vestram Sanctitatẽ dignetur honorare nostrũ iudiciũ decreto vestro, & sicut in bonis rebus, non ipsos ostendimus vniformes nostro Capiti, ita & vestra præeminentia, & Principatus, respiciat pro suis filijs, quod est honorabile, & conueniens.* An hæc verba sint superioris, an potius humillimi subditi, iudicet æquus lector.

115 Neque verum est, quod ad prædicta in argumento, addit Spalatensis, scilicet Legatos restitisse decretis, ac definitionibus fidei, cùm tãtum restituerint illi decreto, de præcedentia Patriarchæ Constantinopolitani super alias Ecclesias præter Romanam.

116 Arguit idem 12. Augustinus lib. 2. de *Baptis.* cap. 3. in doctrina fidei omnia Episcoporum scripta (sanè cuiuscumque Episcopi nemine excepto) cuicumque viro docto, sed præsertim Catholico Concilio censenda subiecit, & corrigenda. Sed & Gelatius fatebatur nullam sedem magis quàm primam teneri exequi constitutum vniuscuiusque Synodi, quod vniuersalis Ecclesiæ probaret assensus. Quin, & quoddam Concilium Pauli Papæ apud *Baronium*, anno 761. num. 11. Papale diploma confirmat. Concilium ergo in rebus fidei est supra Papam. Hæc ille.

117 Resp. vtique Augustinum, omnia fidei scripta subiecisse Concilio, non quidem Schismatico, vel *Acephalo*, sed Catholico, plenario, ac legitimo ab *Apostolico* Romanæ Sedis throno conuocato, & approbato, Summo Ecclesiæ Capiti subordinato, cuius saluberrima in Ecclesia auctoritas ab eodem Augustino est agnita. Et tunc nihil obtinet Spalatensis perfidia.

118 Ad illud quod] additur ex Gelasio, verum est, si loquamur de decre-

Decreta Conciliorũ fidem concernentia, à Spi. S. auctoritatem obtinent.

decretis pertinentibus ad fidem, editis à Synodo legitimè in Spiritu Sãcto conuocata, & approbata à Romano Pontifice; & tunc nihil præsidij sibi accersit Spalatensis ex Gelasio; nam, cùm definita de fide, auctoritatis pondus habeant à Spiritu Sãcto, cui refragari etiam Pontifici illicitum est, obligant etiam ipsum Põtificem ad exequendum, & credendum definita; nequè inde fit quod Papa subdatur Conciliis, sed tantùm Spiritui Sancto, cuius magisterio, & doctrina, Concilia definiunt, iuxta illud Actor. 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis* &c. Recolenda sunt dicenda in sequenri Appendice num. 31. vbi de hac re fusiùs.

119 Quod autem subdit Spalatensis de Concilio illo Pauli Papæ, dicimus, quòd Concilium approbauit; seù, laudauit, & commendauit Papale Diploma, non autem illi dedit auctoritatem, vel firmitatem.

120 Reliqua Spalatensis argumẽta, adducentur, & soluentur in Appendice immediatè sequenti.

121 Arguunt 13. Ioannes Maior & alij. Concilium, vel Ecclesia potest Papam deponere in casu hæresis, ex dist. 40. cap. *Si Papa*, & ex doctrina omnium Doctorum, ex Can. *Nunc autem* 21. dist. & Can. *Anastasius* 19. dist. & Can. *Achatius* 24. q. 1. Certum est autem inferiorem, superiorem deponere non posse: Cùm in hoc ergo casu saltem, Papa subdatur Ecclesiæ, vel Concilio, eiusdem supra Papam superioritas demonstratur.

122 Resp. 1. quòd, vt pluries dixi, casus est Metaphisicus, & Phisicè impossibilis; nam, *impossibile est mentiri Deum* ait Scriptura; Filius autem Dei Christus Iesus Luc. 22. dixit, *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*, &c. igitur si non potest mentiri Deus, non potest Petrus eiusque pro tempore successor Papa, à fide deficere. Suffragatur accerrimus fidei propugnator contra Caluinum Albertus Pighius lib. 4. Hierarchiæ Ecclesiast. cap. 8. Et Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. hanc sententiã probabilẽ reputat, & defendi posse affirmat.

123 Posset responderi 2. ex doctrina aliorum apud Turrecram. lib. 4. par. 2. c. 20. quod in casu illo Metaphysico; Papa Hæreticus, non posset deponi ab Ecclesia, quia adhuc haberet iurisdictionem Papalem supra Ecclesiam. Papa enim dupli- Papa duplicem Dei influxum recipit. cem influuxm habet à Deo; vnum, in quantũ est persona priuata; alium, quatenus est Caput, & Deus per ipsum, tanquam sui Ministrum, influit in membra corporis Ecclesiæ. Per hæresim, non reciperet primum influxum, reciperet tamen secundùm, per modum gratiæ gratis datæ, ad beneficium aliorum; (remaneret enim in ipso Character, adeoque esset capax iurisdictionis, vt ait Caiet. cap. 22.) & ita saluaretur diuina promissio, ac non deficeret fides Petri, & non spoliaretur auctoritate quo ad subditos, in his quæ secundùm veram fidem sunt; & secundùm veram fidem docet; illique esset præstanda obedientia, in omnibus, quæ non sunt contra fidem, bonos mores, & veram disciplinam Christianam; non autem si in casu Metaphisico vellet aliquod dogma hæreticũ de fide definire. Et, vt dictum est supra, pertineret ad Dei prouidentiam afferre remedia efficacissima pro suæ fidei, ac Ecclesiæ conseruatione; ipseque esset adiutor in opportunitatibus in tribulatione, talem Pontificẽ hæreticum, vel conuertendo, vel de medio tollendo.

124 Resp. 3. Bellarm. lib. 2. de Romano Pontif. cap. 30. columna mihi 840. post initium, vbi, postquã mirè se vexauit explodendo Caietani sententiam, dicit, Papam hæreticum manifestum, illicò absque vlla declaratione, per se desinere esse Papam, & Caput; sicut per se absque

vlla

vlla declaratione definit esse Christianus, & membrum corporis Ecclesiæ: quare Ecclesia posset eum iudicare, & punire.

Papa hæreticus manifestus, si paratus est corrigi non potest deponi.

125 Huius Eminentissimi fidei Athlethæ sententiam veneror; dicerem tamen pace sua, hanc responsionem nō posse subsistere; primo, quia vt habetur ex Gloss. dist. 21. cap. *tunc autem*, Papa hæreticus manifestus, si est paratus corrigi, non deponitur: ergo si antequam deponatur est corrigendus, non est statim, ac incidit in hæresim manifestam ex se depositus; sed deponendus.

126 Secundò, quia Concilium Constantiense decernit, nullum amittere Ecclesiasticam iurisdictionem, nisi nominatim excommunicatos, & publicos percussores Clericorum; ad excomunicationem autē exigitur vt precedat trina, vel vna pro trina Canonica monitio, & declaratio ex Scriptura Titum 3. *Hæreticum hominem post vnam, & alterā correptionem deuita*: Igitur, Papa (in casu metaphisico) hæreticus manifestus, est admonendus, & corrigendus, & si admonitus neglexerit corrigi, iudicetur, & condemnetur. Nō ergo est ex se depositus statim ac in hæresim prolabitur. Incursus enim pœnarum exigit declarationem secundum iura.

127 Tertio, Ideo ex Bellarmino, Papa in casu hæresis manifestæ ex se esset depositus, quia (ait columna 839. ibidem post initium) Patres, *non ex aliquo iure, sed ex sola natura hæresis* deducunt cuiuscumque Ecclesiasticæ iurisdictionis priuationē, & ipse Bellarm. idem probat ibid. ex Apost. Titum 3. *Cum hæreticus sit & proprio iudicio condemnatus extra Ecclesiam.* Igitur, etiam Papa hæreticus *occultus*, ex se desineret esse Papa, cum vtrobique sit eadem causa priuationis iurisdictionis Papalis: quod tamen ipse negat lib. 3. de Ecclesia Militan. cap. 10. col. 1296. post med. & dicit eam esse sententiam Confessionistarum, & Caluinistarū quibus contra omnē æquitatē annamerat Turrecremata lib. 4. de Eccle. par. 2. cap. 20. quem si considerasset attentius, vidisset profecto gloriosum hunc fidei, ac Pontificiæ maiestatis Antagonistam, ibi tantùm docere, requiri fidem, vt quis dici possit interna vnione vnitus corpori Christi, quod est Ecclesia. *Et hoc (vt ipse ait ibidem) verissimum est.* Ergo si Papa hæreticus occultus, ex se, & ex natura hæresis nō desineret esse Papa: neque hæreticus manifestus, cùm vtrobique sit eadē hæresis natura. Ergo si non ex hoc; neque ex illo, Papa à Papali dignitate caderet; adeòque, iudicium Ecclesiæ ferretur supra Papam habentem Papalem dignitatem, & auctoritatem, quod est intentū argumenti, & Arguentis.

128 Resp. 4. ex Turrecremata, lib. 4. p. 2. cap. 20. Papam eo ipso quòd in hæresim incidit, esse extra Ecclesiam, & depositum à Deo: adeoque ab Ecclesia posset iudicari, id est declarari depositus iure Diuino, & deponi de facto, si adhuc recusset cedere; & ita, Ecclesia non haberet potestatem supra Pontificem, sed super eum qui fuit Pontifex, à Deo tamen depositus.

129 Nec valet si dicat Bellarminus id sibi nō probari, quia sicut auctoritas, est à Deo collata Pontifici, hominum opera; ita, non potest auferri à Deo nisi per hominem.

130 Cōtra est 1. quia sicut homines Electores tātùm prius designant personam, & deinde Deus Papalem confert auctoritatem; ita in casu cōtrouerso è contra, prius Deus auferret auctoritatem papalem, & Papam deponeret, & postea Concilium designaret, & declararet hanc personam fuisse à Papatu depositam: & tunc, homines seu Ecclesia, & Concilium, non exerceret aliquam iurisdictionem, vel auctoritatem supra

Papam,

Digitized by Google

Papam, sed super eum, qui fuit Papa, & super simplicem hominem à Deo Papali dignitate spoliatum. Quod si dicat Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 30. col. 836. hæreticum occultum non posse à Concilio declarari depositum à Deo, quia est occultus. Damus hoc Bellarmino libenter, remanente in suo robore doctrina Turrecremate de hæretico manifesto incorrigibili, quod intendimus pro solutione argumenti.

131 Contra 2. Ex dictis sup. in probat. ex rationibus ex verbo *Dei* petitis, Papa est dispẽsator, & Oeconomus in Domo *Dei* scilicet in Ecclesia; sed Lucæ 12. Oeconomus non est iudicandus opera familiæ, sed à Domino *Domus*: ergo Papa non potest opera hominum iudicari, & deponi; sed poterit familia Pontificem hæreticum apud *Deum* tantùm accusare, & orationibus feruentissimis ab eo postulare, vt suæ Domui prouideat de alio dispensatore, & Oeconomo, qui Domus curam habeat.

132 Respõdet quintò ad Argum. principale Caietanus de auctorit. Papæ, & Concil. cap. 21. & in Apolog. c. 23. quòd aliud est esse supra Papam, aliud est esse supra coniunctionem formæ Papatus cum tali persona: Prima potestas, solius Christi est, qui Pontificatum instituit; secunda, potest esse in Ecclesia; nec per hoc Ecclesia diceretur esse supra Papam, quia Papam deponeret; sed tantùm supra coniunctionem formæ Papatus cũ hoc homine; & sicut Ecclesia per electionem, eamdem formam Papatus cum tali persona coniunxit; ita, in casu, sua ministeriali auctoritate sibi à Christo relicta, posset eam dissoluere.

133 De hac re esset specialis lectio instituenda, sed frustra actum agerem, cum quæstio hæc de deponendo Pontifice in casu Methaphysico hæresis manifestè sit à Cardinalibus Caiet. & Turrecremata operosè discussa.

APPENDIX.

Vbi Illustrissima Sorbonæ Academia ab impostura Archiapostatæ Spalatensis, strictìm, sed enucleatè vindicatur, & veritas proposita iterum roboratur.

1 VT vidimus in huius Lectionis vestibulo in Mẽdacio, non veretur *Archiapostata* Spalatensis Illustrissimæ Scholæ Parisiensi scabiem suam per summam iniuriam affricare, dum, lib. 4. de Republica cap. 7. num. 7. pluries ab ijsdem doctissimis Sorbonæ Magistris velut Canis fuste percussus, sic eos adlatrat: *Dum itaque audimus Ioãnem Gersonium, & Socios Papatum retinere, & tueri; sciamus profectò id ab eis verbis tantùm dici, non ex animi sententia, & ad vitanda scandala*, &c. Et ibidem num. 11. addit idem Marcus Antonius *Apostata*, *Parisiensium itaque doctrina enucleatè intellecta nihil discrepat à mea his libris tradita doctrina, & veritate; subinde ex ipsis Parisiensibus multas decerpam veritates tanquam ex ijs quorum doctrina valdè solida, vt plurimum est, & ab ordinarijs Monarchicorum ambagibus, ac nugis satis remota. Schola itaque Parisiensis, & nostra est, & re ipsa studet Aristocraticæ nõ Monarchicæ, quare ex eius quoque doctrina, Papatus nullo potest solido subsistere fundamento*, &c. Hæc, & alia, & quidem duriora Illustrissimæ Scholæ impingit Apostata.

2 Tria ergo dicit. Primò, Parisiẽses *Doctores* tantùm verbis, non re retinere Papatum. 2. Parisiensium doctrinam nihil à sua discrepare. 3. Scholam Sorbonicam sustinere Ecclesiæ regimen esse *Aristocraticum* non Monarchicum. Quæ omnia esse mendacia, lucæ clariùs patet.

3 Et quidem, primum est mera calumnia; nã, vt ait insignis *Doctor* Sorbonicus noster Nicolaus Coefe-

tau Episcopus Massilienſis in diſcuſſione cap.5.lib.2. de republica eiuſdem Spalatenſis, *Pariſienſis Academia ſemper ſuſcepit perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis Pontificis, ac ſemper ſuum verſus illum ſtudium, & affectum ſuum declarauit, atque pro viribus laborauit, vt omnes intelligerent quantum Vicarium Chriſti, Petri ſucceſſorem, Chriſtianæ plebis Parentem, ac Eccleſiæ Summum Rectorem facerent. Itaque etiam nuperrimè ſceleratum Spalatenſis librum in perniciem ordinis Hierarchici ſcriptum, auctori anathema dixit, ac flammis dignum impium opus pronunciauit.* Vides en Marce Antoni, Sorbonæ Scholam non verbis, vt volebas, ſed re, retinere Papatum? Vides, eoſdem Doctores Mag. ſtrali calculo librum tuum contra Pontificis Romani Primatum, ac in perniciem ordinis Hierarchici editum, proſcripſiſſe, flammiſque adiudicaſſe?

4 *Falſum ergo eſt quod comminiſceris,* (dicam cum Bouerio in cenſura tui libri cap.5.n. 38.) *eos* (Pariſienſes) *aſſerere Papam eſſe Miniſtrum Eccleſiæ, aut ipſius poteſtatem ita ab Eccleſia pendere, quaſi de iure diuino eidem minimè competat toti Eccleſiæ præeſſe, cùm apertè doceant,* (vt Gerſonij verbis, *& ex diuerſis Sacræ illius facultatis aſſertionibus perſpicuum eſt*) *Papam eſſe Caput Eccleſiæ non Miniſtrum, Paſtorem non Mercenarium, Sponſum non famulum, quod etiam poſthac clariùs patebit ex cenſuris quibus hanc tuam hæreſim proſequuntur: quapropter vana ipſe ſpe ſolaris, quòd ſacra illa facultas ex putridæ doctrinæ tuæ conſideratione aliquando ſententiam mutauerit, cùm vix inſpectam, & conſideratam protinus velut ſtercoream, ad fatentes hæreticorum latrinas relegauerit.*

5 Imò, vt ait Reuerendiſſimus P. M. meus frater Dominicus Grauina tom.4.par.2.diſp.1.art.vlt.dubit. 1.ad vltimum argumentum, tempore Conciliaboli Baſileenſis in quo, Concilium ſupra Papam aſſerebatur, *Illuſtres Vniuerſitates* (inquit) *Pontificis poteſtatem agnouerunt, & agnoſcunt; Præſertim Sorbona, hæreſes ſemper profligando, quas* (cum Gerſon, & alij ſcriberent) *inuexerunt in Orbem Hus, & Vuitcleph, quorum dum patrocinium ſuſcepit Mornæus, eiuſdem Pariſienſis Academiæ cenſuram expertus eſt, ipſo damnato libello Myſtery iniquitatis flammis adiudicato. Porrò, in hac libello combuſto pag. 529. ſic Oppoſitione 519. dicebatur: Hæc doctrina pluribus diſplicet, ſed Concilia Conſtantienſe, & Baſileenſe ab hac perniciosiſſima hæreſi Eccleſiam liberant, qua Papa ſuperior Eccleſia conſtituebatur.* Hæc ibi. Falſum ergo & merè commentitium eſt, quod ait Spalatenſis, aduerſus inſignes Sorbonicæ Scholæ Magiſtros, dicendo, eos, tantum verbis, & non re retinere Papatum; cum potius ij, aduerſus fidei refractarios sēper, & vbique, pro Romani Pontificis dignitate, ac ſuprema ſuper omnes Eccleſias poteſtate, glorioſe certarint.

6 Si autem aliqui Doctores Pariſienſes tempore prædictorum Cōciliorum duriora ſcripſerunt, aſſerentes ſupremam poteſtatem pro definiendis fidei litibus prius Eccleſiæ communitati, quàm Petro, ac ſucceſſoribus fuiſſe collatam &c; & Concilium eſſe ſupra Papam; id ob illorum temporum iniuriam factū eſt, quando in tres ſimul Pontifices Eccleſia ſcindebatur; quare Doctores Catholici, cùm ſartam tectam Chriſti Domini tunicam inconſutilem exoptarent, in illud extremum declinarunt, ſcribentes illo tempore diriſſimi Schiſmatis, Concilium eſſe ſupra Papam, quòd attentarum, ad perfugium inuentum eſt, vt Schiſma ſederent, vt ait Sorbonicus Doctor Nicolaus Coeffetau in Marcum Antonium cap.7.lib.4.n. 8. *Quædam remedia* (inquit) *excogitare eos temporum iniuria coegit, ſed ad Schiſma nō*

im-

impegerunt, nec eò dilapsi sunt, vt præstitutum à Christo ordinem conuellerent. Quare etiam nostri Parisienses verba Spalatensis diligentiori trutina examinantes, nigrũ eis theta appingunt. Quin & idem Coeffetau in Mornæum, & alios inuehitur, in examine Mysterij iniquitatis eiusdẽ fol. 1169. qui ausi sũt decretum Basileense in hac materia sub fidei veritate concludere, *cùm* (ait ipse) *maior Ecclesiæ pars agnoscat, siuè intra, siuè extra Concilium, Episcopis Papam maiorem esse.* Et ibid. fol. 1140. excusat Scriptores oppositum substinentes, dicendo vt supra, scilicet, *id factum esse ad medendum Schismati, & stabiliendum ordinem, & disciplinam Ecclesiæ.* Videatur Coquæus contra Mornæum oppositum 51. fol. 256.

7 Hoc totum etiã ipse Spalatẽsis, & agnouit, & scripsit lib. 4. Reipub. c. 7. n. 7. vbi loquens de illorũ temporum Schismate, ait: *Mouebantur Parisienses luce veritatis, mouebantur necessitate pacis, & vnitatis, mouebantur turpitudine Schismatum ex concursu ambitioso ad Papatum: tot malis occurrere non poterant, nisi Papam suum vt par est subderent Ecclesiæ, quo per Cõcilia Generalia Schismata extinguerentur, alioquin de remedio efficaci actũ erat.* Sed perperam ex superioritate Concilij supra Papam dubium, & illecitimum; deducit, Concilium habere potestatem supra Papam verũ, & legitimum. Nam sicut non valet: filius illecitimus excluditur ab hæreditate; ergo filius legitimus excluditur ab hæreditate; ita neque benè concluditur, si dicatur; Papa illecitimus, & dubius, & qui non est Papa, non habet supremam potestatem supra omnem Ecclesiam adhuc in Concilio congregatam: ergo neque Papa legitimus, & verus.

8 Ex dictis igitur constat, Illustrissimam Sorbonæ Scholam re, verbis, & scriptis supremam Pontificis potestatem retinere, ac contra fidei hostes pro illa strenuè pugnare. Et hæc sufficiant contra primum Spalatensis assertum.

9 Secũdum quod ait Marcus Antonius, scilicet, Parisiensium doctrinã nihil à sua discrepare; ridiculum planè mendacium est; nam, illustrissimus ille Magistrorum Senatus, non semel Spalatensis Archiapostatæ dãnauit errores. 2. Spalatẽsis dictum exsufflatur.

10 Et quidem, dum Marcus Antonius prædictus in suo lib. 1. de Republica cap. 1. n. 33. ait; *Monarchiæ formam non fuisse immediatè in Ecclesia à Christo institutam.* Hanc propositionem sequenti censura explodunt Parisienses: *Hæc propositio est hæretica, Schismatica, ordinis Hierarchici subuersiua, & pacis Ecclesiæ perturbatiua.* An hoc sit Doctrinam Spalatensis esse eamdem cùm Parisiensium doctrina, iudicet æquus lector.

11 Similiter, illa alia eiusdem Archiapostatæ propositio, ex eodẽ lib. cap. 12. num. 12. *Doctrina in articulis Ioannis Hus contenta, nimirum, in Ecclesia non dari vnum Caput supremum, & Monarcham præter Christum, suam Ecclesiam per multos ministros sine vno isto Monarcha mortali regere perfectè, & gobernare, est doctrina Catholica à Sanctis Patribus egregiè explicata, & confirmata;* secundum omnes suas partes, ab eadem Schola Parisiensi hæretica pronunciatur.

12 Et eodem num. 12. hanc aliã propositionem scribit idem Spalatensis, *Si quid incommodi habet Aristocratia, cui Monarchia facilè possit obuiare, Ecclesiam Spiritu Christi instructam, & propterea, & in singulis Ecclesijs voluisse Monarchiam; & in se tota Aristocratiam.* Hoc Spalatensis dictum, sequenti censura à Parisiensi Schola suggillatur. *Hæc propositio est hæretica, & Schismatica, quatenus vult Ecclesiam Vniuersalem secundùm se totam esse Aristocraticam.*

13 Præterea, ibidem num. 13. cap. 8. idem Marcus Antonius ait.

Digitized by Google

Romana Ecclesia, ex magnitudine Ciuitatis, & ex eò, quòd duo primi Apostoli fundauerunt Petrus, & Paulus, & ex alijs capitibus extra diuinum ius habuit, vt semper reputata sit Ecclesia principalis, non tamen Domina, & Regina super vniuersas Christi Ecclesias; neque Augustinus, neque vllus ex antiquioribus Patribus summam Ecclesiasticarum rerum in Romana Cathedra posuerunt; erat ergo, & est Ecclesia precipua nobilitate, existimatione, nomine, & dignitatis auctoritate, non regiminis, & iurisdictionis principatu. Cui propositioni nigrum theta appingunt Doctores Sorbonici, sequenti censura: *Hæc propositio est hæretica, & Schismatica, quatenus insinuat Romanam Ecclesiam iure Diuino auctoritatem in alias Ecclesias non habere.*

14 Rursus, lib. 4. Reipubl. cap. 1. num. 1. hanc aliam propositionẽ scribit Spalatensis, *Supremus Ecclesiæ Romanæ Primatus, ipsiusque super ceteras omnes Christi Ecclesias Imperium, re vera nullis solidis rationibus nititur.* De hoc Spalatensis asserto, Censura Parisiensis, ait: *Hæc propositio falsa est, & viam ad hæreses, & Schismata sternit.*

15 Ex hactenus dictis liquet, Spalatensem toto cælo à vero distare, dum ait, Parisiensium Doctorum doctrinam, & suam esse, & nihil à sua discrepare; cùm tãtum absit hoc veritatem continere, quin & illi Sapientissimi Magistri, non semel eiusdem Archiapostatæ doctrinam damnauerint, exploserint, ac ignedignam (conflagratis eius libellis) adiudicauerint.

16 Tertia Spalatensis calumnia, scilicet, Scholam Sorbonicam sustinere, Ecclesiasticum Regimen esse Aristocraticum nõ Monarchicum, manifestissimè exsuflatur.

17 Et quidem primò; Nam, vt modo vidimus ex doctrina Parisiensium in damnatione errorum Spalatensis, in censura primæ propositionis eiusdem, qua adnitebatur Ecclesiæ Monarchiã destruere, eamque ostẽdere nõ esse immediatè à Christo institutam; Parisienses eam tamquã hæreticam, Schismaticam, ordinis Hierarchici subuersiuã, ac pacis Ecclesiæ perturbatiuam damnarunt, ac proscripserunt. Similitèr, & secũdam eiusdem propositionem ex lib. 1. cap. 12. num. 12. qua Ecclesiasticam Monarchicam inuadere nitebatur Spalatensis, simili magistrali calculo hæreticam accensuerunt vt vidimus. Falsò ergò, mendacitèr, & contra omnem æquitatem Spalatensis Scholæ Parisiensi contumeliã illam appingit; cùm hi, pro Principatu, ac Primatu Summi Sacerdotis, ac Pontificis Romani, aduersus fidei hostes strenuè pugnauerint, felici semper euentu, glorioso que vbique reportato triumpho.

18 Secundò, eadem calumnia ex verbis eiusdem Spalatensis refelliturqui, quia mendax, & immemor, lib. 3. de Repub. cap. 3. scripsit: *Parisienses sanè in vtramque partẽ claudicarunt; nam, & Deo veritatem aliqua ex parte seruauerunt, & suo Baal (scilicet Pontifici) obsequium præstare voluerunt, ideoque quæstionem hanc de superioritate Concilij ad Papã, perplexam fecerunt, ac proinde inter ipsos, & Romanos cæcorum pugna, hoc est, Andabatarum more inter se digladiantur. Summam quandam potestatem Monarchicam in Ecclesia esse inter se consensiunt, sed eam vni prius datam, communitati Ecclesiæ, quàm Papæ; alteri contra, Papæ soli collatam contendunt.* Sed crudelius se ipsum iugulat lib. 4. Reip. cap. 7. num. 11. in 6. arg. dum ait: *Si singulis Episcopis, & ministris ille (scilicet Papa) iure diuino præesset, quod Parisienses perperam concedant, profectò etiam vniuersis simul iunctis ipse præesset; sicut Imperator Exercitus, est rector etiam Exercitus simul iuncti, quod inspicitur vbicunque*

est re-

Digitized by Google

est regimen Monarchicum. Frustra igitur Parisienses Monarcham admittunt inter Episcopos, & Ministros, & postea negant Monarchicam praesse toti Ecclesiæ simul iunctæ, sicut & perperã admittunt Regem Monarcham Politicum, & postea negant ipsum esse supra Regnum simul sumptum.

19 Ex his tuis verbis duo contra te eruimus Marce *Antoni*; Primò dicis, quòd Parisienses, quæstionem hanc perplexam fecerunt; igitur falsò eis impingis quòd *Aristrocatiam* in Ecclesia astruant, non Monarchiam; non enim id quod dubium, ac perplexum est, potest dici assertum.

20 *Dicis* 2. quòd inter Parisienses, & Romanos sit pugna, quasi Parisienses non sint Catholici Romani, cum inter eos distinguis. *Sunt enim in illa illustri Academia doctissimi viri, in Ecclesia Romana Doctores, & Magistri; imò inuictissimi fidei, ac Pontificiæ auctoritatis Pugiles, quos tu lib. tuo. 7. cap. 3. per contumeliã vocas, Patres Hieromonarchæ Romano sua genua flectentes, eiusque lingentes vestigia.*

21 *Dicis* tandem tertiò, vtrosque subsistinere, Ecclesiasticum regimen esse Monarchicum; quod immediatè, & è diametro pugnat cum his quæ supra per summam iniuriam Parisiensibus Magistris affricasti, dũ dicebas eos subsistinere, Ecclesiæ Regimen esse Aristocraticum non Monarchicum.

Argumentũ Spalatensis ex auctoritate Sorbonicorum deductum, proponitur, & soluitur.

22 Obijcit Marcus *Antonius* lib. 7. de Republ cap. 3. & ait: *Ioannes Gersonus Doctor Parisiensis Concilij Constantiensis nixus definitioni, illam posuit Conclusionem: Concilium Generale potestatem à Christo immediatam habet; cui quilibet cuiuscumque status, etiã si Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationẽ Schismatis, ac generalem reformationẽ Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris.* Ergo *Doctores* Parisienses astruunt Papam Concilio Generali subesse.

23 Respondetur, hanc vetus Spalatensis cantilenam supra, tùm in probationibus præcedentis lectionis, tùm ex dictis hic ad secundum Spalatensis assertum, fuisse explosã; nam, vt in probationibus vidimus, Petro & non Ecclesiæ dictum est, *Pasce oues meas*; item, Petro datum est vt sit fundamentum Ecclesiæ, *Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meum*, ex quibus deduximus Concilium non esse supra Papam. Nisi velit Spalatensis prius in aere struere edificium Ecclesiæ, & postea fundamentum stabilire.

Non Ecclesiæ, sed Petro dicitur vt sit Pastor & Fundamentum.

24 *Præterea*, vt nuper ad secundum eiusdem Spalatensis dictum, tùm ex Parisiensium doctrina, tùm ex eiusdem Archiapostatæ sensu vidimus; quòd DD. illi scripserũt, *ad medendum Schismati, & stabiliendum ordinem, & disciplinam Ecclesiæ*, idque illorum temporum iniuria, & lues ferebat; sed *DD.* illi ad Schisma non impegerunt, vt ait Coeffetau contra lib. 4. Spalatensi cap. 7. n. 8. & cont. mysterium iniquitatis Mornæi fol. 1140. & Coquæus cont. eũdem Mornæum oppositi. 62. pag. 256.

25 Deindè, quia Spalatensis initio sui argumenti, ac cæteri auctoritatis Conciliorum supra Papam defensores, pro infallibili sui asserti fũdamento, assumunt; quòd, suprema spiritualis clauium potestas, ac prima pro definiendis fidei controuersijs auctoritas, primò, ac immediatè à Christo Ecclesiæ, deindeque Petro, ac suis successoribus collata sit; opere pretium est, præter dicta à nobis lect. præcedenti in probationibus Veritatis assertæ; iterum hoc fũdamentum operosè, in rem nostram, specialitèr ex doctrina Sorbonicorum *Doctorum* euertere; quòd totũ sine fastidio præstamus.

26 Andreas Du Val insignis *Doctor* Parisiensis (apud Bouerium cap. 7. in librum 4. Marci *Antonij* Archiapostatæ Spalatensis) in suo

Tra-

Digitized by Google

Tractatu contra Libellum Anonymum, sequentem assertionem in prædicto Libello anonymo contentam, vniuerso Sorbonicorum Doctorum Collegio probante, tanquã hæreticam reprobat. Assertio Anonymi erat hæc: *Schola Parisiensis hoc infallibili fundamento congruenter ad mentem omnium antiquorum perpetuò, constanterque docuit, Christum fundando Ecclesiam, prius, immediatiùsque, atque essentialius Claues, siue iurisdictionem toti dedisse Ecclesiæ, quàm Petro.* Hæc Anonymus.

27 Quid ad hæc doctissimus Magister Parisiensis Andreas respondeat, audiamus; Verba eius sunt: *Sed Syllogismum auctoris, verius parologismũ expendamus: Deus, & natura prius, & immediatius, & essentialius ad totum, quam ad partem intendunt; sed Ecclesia est totum, Pontifex verò pars: Ergo prius Ecclesiæ quàm Pontifici Claues dedit. Idem penè est ac si diceret: Cæli mouentur ab intelligentia; atqui Coruus est niger: ergo sanguis est in arterijs. In qua quæso propositionum attributum Conclusionis iuxta præscriptam dialecticorum erit? Non mirum si ex hac mala Dialectica, peior Theologia nascatur: Sed eius axiomate, eũ referiamus. Deus, & natura prius, immediatius, & essentialius ad totum, quàm ad partem nobilissimam intendunt: Sed Regnum Galliæ est totum, Rex verò pars, eaque nobilissima: Ergo prius, immediatiùs, & essẽtialius potestas Regno quàm Regi data est. Item, Deus & natura prius ad totã diœcesim, quàm ad partem nempe Episcopum intendunt: ergo prius, & immediatius iurisdictio diœcesi quàm Episcopo data est. Ciuitas similiter est totum, Iudex verò pars: ergo Rex prius Ciuitati, quàm iudici confert iurisdictionem. Quarum omnium illationum falsitas se se, vt Sorex suo iudicio manifestè prodit. Est ne itaque illud fundamentum infallibile? Est ne perenne illud æs Facultatis Parisiensis, quo tanquã præualido Scuto omnes aduersariæ Machinæ statim retundũtur, & concidunt? Immo verò audacitèr affirmauerim, Doctores Parisienses, infirmiori isto fundamento minimè niti, cùm illud tantùm ad exornandas suas rationes proferre soleant: Et quamuis illud tanquam verum assumerent, immeritò tamen, & impudentèr, quod ab vno, aut altero Doctore assumitur, toti Facultati imputatur. Sed informe eius argumentum ad formam quæso reducamus. Deus, & natura prius, & immediatius, & essentialius ad totum, quàm ad partem intendunt; Ecclesia est totum, Pontifex verò pars: ergo Deus priùs, & immediatius ad Ecclesiã intendit. Quis dubitat? Nonne Rex est propter Regnum, Pastor propter Gregem, & Pontifex propter Ecclesiam. Sed falso postea colligitur; ergo prius Ecclesiæ, quàm Pontifici datæ sunt Claues, & prius Reipublicæ, & Gregi, quàm Regi, & Papæ data est auctoritas, etiam si ad ea prius Deus, & natura respexerint. Quamobrem nullæ propriæ Communitati Ecclesiæ Claues datæ sunt, sed Pontifici, & Prælatis.*

Resp in forma ad argumentum.

Retorquetur argumẽtum multipliciter.

28 Ex dictis huius doctissimi Magistri Sorbonici, luce clarius patet, prius Petro quàm Ecclesiæ datam esse potestatem Clauium; & quidem is, enucleatè discurrit; concedendo cum Gersone, Petrum accepisse claues propter Ecclesiam tanquam finem, prout Petrus Ecclesiam sustinebat, & representabat, vt ait etiã D. Augustinus, ideſt, tanquam Ecclesiæ Caput: Vnde, quando dicitur, Ecclesiam claues prius accepisse; sensus est, quòd per manus Petri representantis Ecclesiam, claues accepit Ecclesia: Quòd sit neget Marcus Antonius Petrum claues accepisse, negabit consequenter, etiam Ecclesiam eas accepisse; quandoquidem, in Petro, cum Petro, & à Petro cum ordine prioritatis, spiritualem illam clauium potestatem, Ecclesia in suis Episcopis adepta est, ne dicatur duas à Christo supremas potestates fuisse institutas, cùm non dentur in eodem ordi-

ordine duo suprema simul. Suscepit ergo Ecclesia potestatem spiritualē, cum subordinatione ad Petrum; in quo reposuit Christus, supremam totius regiminis, ac potestatis spiritualis Originem.

29 Nec illud quod initio suæ obiectionis opponit Spalatensis, (scilicet, Gersonium, ex doctrina Concilij Constantiensis illam suam assertionem firmasse) aliquid ponderis habet; quandoquidem, Concilium illud stabiliuit (iniuria tamen, & sine consensu Pontificis Ioannis 23; qui in vigilia Annũciationis B. Virginis, clam à Concilio discesserat) Generale Concilium esse supra Papam: sed eam apposuit conditionē, *Si Schisma Ecclesiā turbet*, vt ex eiusdem Concilij verbis patet, dicentis: *Hæc Sancta Synodus declarat, quod ipsa in Spiritu Sancto legitimè congregata Concilium Generale faciens, & Ecclesiam Catholicam representans, potestatem à Christo immediatam habet, cui quilibet cuiuscumque status, aut dignitatis etiam si Papalis existat obedire tenetur in his, que pertinent ad fidem, ET DICTI SCHISMATIS EXTIRPATIONEM.* Nec id incomodum videri debet, neque quicquam Catholicæ doctrinæ officit: nam, Schismate ingruente, cum ignoretur, quis sit verus Pontifex, Pontifex ignoratus pro non Pontifice habendus est; quapropter, Concilium Generale potest tunc, in Pontifices dubios procedere, ac dubio vel illegitimo amoto, alterum verum, & legitimum declarare: hoc pacto Papalis dignitas dubia & ignorata, Concilij declarationi subijcitur: eò prorsus modo quo de Scriptura sentimus, quæ quandiu dubiæ auctoritatis est, & num diuina sit ignoratur, Ecclesiæ iudicio subijcitur; cuius sententia, certa iudicari debet. Et tunc quidem credēdum est, Concilio in hoc iudicio ferendo Dei potestatem adesse, licet ea extraordinaria sit: neque facilè ex Scripturis haberi possit, nisi fortè ex consensu Ecclesiæ: tunc enim Apostolica Sedes Pontifice vacare censetur, cùm dubium Pontificem habet, & verum ignorat.

Ex Bouer. lib. 1. in De monst. 4. Symboli fol. 208. col. 1.

Papalis dignitas dubia & ignorata Concilij declarationi subijcitur.

30 Vel cum alijs dicendum est, hoc decretum Concilij Cõstantiensis, vtpotè sine Pontifice, & sine vllo Concilij examine tumultuariè factũ, à vero Summo Pontifice Martino quinto fuisse reprobatum. Legendus est Turrecremata lib. 2. cap. 104. Sãderus de Visibili Monarchia lib. 7. & P. Mag. Grauina tom. 4. p. 2. disp. 1. fol. 276. c. 1. fine.

31 Ad illud autem quòd in hoc eodem Concilij decreto, & in argumento Spalatensis ex Gersone continetur, scilicet, quod Concilio, *quilibet cuiuscumque dignitatis etiam Papalis existat obedire tenetur, in his quæ pertinent ad fidem* &c. Dicimus, quòd si intelligatur de Pontifice dubio, & ignorato, verum est. Si autem velit aduersarius id etiam esse verum de vero, ac legitimo Pontifice, tunc respondemus cum distinctione, sicut respondit Card. Turrecremata ad Oratorem Basileensem in Synodo Florentina num. 61. Si verba decreti Conc. Constantiensis intelligantur de manifestè pertinētibus ad fidem, concedo; nam, definita de fide, auctoritatem supremam habent à Spiritu Sancto, à quo omnis veritas; & Papa ab hac obedientia non excluditur, ratione materiæ, seù obiectiuè. Si intelligantur effectiuè, saltim instrumentaliter, prout scilicet res sunt effectiuè definitæ de fide à Cõcilio; subdistinguo; si sunt definitæ à Concilio cum approbatione, & confirmatione Summi Pontificis, concedo; sicut D. Greg. 4. Concilij tanquã 4. Euangelijs se credere dixit, dist. 15. cap. sicut. Si sint definitæ à Concilio cõtradicente Sede Apostolica, vel Legatis, nego; vndè & secunda Ephesina Synodus, quia non fuit approbata à Summo Pontifice, sed ei ex-

Quomodo Papa tenetur credere eaque à Cõcilio sunt de fide stabilita.

Digitized by Google

ei expresse fuit ab eo contradictum; omnia illius Acta, sicut & ipsa Synodus fuerunt irritata, & reprobata. Discredente Papa legitimè de fide stabilitis, & posito casu *si Papa* dist. 4. tunc, quia esset ob hæresim, vel ex se, vel à Deo depositus, separetur dignitas Papalis ab hac persona, itaut auctoritas illa ministerialis Concilij, non esse supra Papam in illo casu, sed supra nudam particularem personam, declarando eam depositam; quod non est habere auctoritatem supra Papam, sed supra illum qui ante hæresim erat Papa. Hunc ego casum ex dist. 4. *si Papa*, existimo physicè impossibilē ob Christi promissionem, *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.*

32 Tandem, id quod à Spalatensi ex Gersonio, & ex Concilio Constãsiensi adducitur, scilicet, quod Papa, & omnis cuiuscũque dignitatis persona, tenetur obedire Cõcilio vniuersali in ijs quæ pertinent ad extirpationem Schismatis; iuxta decretales c. *si duo contra fas*, intelligitur, non de Papa verò, & indubitato, sed quãdo viget Schisma, & neuter est canonicè electus; vel, quis sit Papa canonicè electus ignoratur, alioqui, (vt sup. diximus cũ Turrecremata ad loc. decret. adduc.) sterneretur via ad Schismata, & possent Principes, ac communitates pro suo libito Papæ crimina affricare; atque ita, Concilium posset in eorum gratiam, ob crimina somniata Papam deponere, & alium quem vellent instituere; vt, (dicebat D. Cyprianus de Schismaticis) *quod iure non possent, temeritate, ac desperatione perficerent*. Decretum ergo illud Concilij Constantiẽsis, respexit tempus Schismatis, ac Pontifices factiosos, illegitimos, & prætensæ dignitatis Papalis, non autem legitimos & ritè electos; & tunc verum est quòd quisque etiam si Papalis dignitatis prætensæ, & illegitimè existat, tenetur Synodalibus obedire decretis, in his quæ pertinẽt *ad prædicti Schismatis* (ait Cõcilium) *extirpationem.*

Schismaticis ex Cypriano, Nouatiano intruso adhærebant; relicto vero Papa Cornelio.

33 Ex dictis apparet Archiapostatæ Spalatensis vafrities, qui velut musca importuna, ex Catholica illustrissimorum Magistrorum Sorbonicorum doctrina, cùm nobiscũ sana potuisset haurire documẽta, dumtaxat saniem malæ intelligentiæ lingit.

34 Atque hæc cursim dicta sufficiant aduersus Spalatensem, & similes iniquitatis emissarios, pro Illustrissima Sorbonæ Academia, quòd si leuiùs rem fortassis attigi, excusẽt sapientissimi illius Scholæ Doctores, ac strenuissimi fidei Pugiles exilitatem meam, & tantùm humillimi discipuli pendeant affectum. Nec tamen desunt Doctores, qui rem fortiùs tractarunt, & eorum iura robustiùs, aduersus eos qui sine causa calumniati sunt eos, propugnarunt.

Digitized by Google

TRACTATVS VII.

De Ecclesiastica Auctoritate contra Laicocephalos Angliæ.

TErrena potestas, dum supra suam Spherã attollitur, idem mox ei casus, qui Icarum, Phetontem, Gigantes, Luciferum pessum dedit. Princeps Laicus, Christianus esse desinit, si superbia tumidus in Christum ipsum erigitur, eiusque expressa instituta confringit. Nec est dicendus de Ecclesia, qui spreto Saluatoris Sacerdotio, Laicus, supremam sibi Ecclesiæ Præfecturam arripit, dum non nisi sacrilegè, Sacerdotio, præferatur prophanitas. *Imperator* (dicebat Ambrosius) *intra Ecclesiam non supra Ecclesiam est. Bonus Imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat,* Ecclesiæ Solium à Refractarijs defendit, non inuadit. Inuasit per ambitum, sed malo suo, Lucifer, primam Regis Æterni Sedem. *In Cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo Solium meum, sedebo in monte testamenti.* Sed quid? Dum superbus Dei affectaret solium, detractus est ad inferni patibulum, consorteſque perduelles, secum humiliatos, ad inreparabilem æternamque ruinam attraxit, corruitque in terram, qui sua prophanitate fœdauerat Cœlum. Ruina haud absimilis terrenis Imperatoribus accidit, qui Luciferi sequuti semitas, parem sortiti sunt exitum; dum enim illi, Dei Solium, potestatemque Ecclesiasticam, soli Sacerdotio à Christo collatam, sibi per summam iniuriam vsurparunt, Ecclesiasticamque libertatem laicis vinculis alligarunt, Diuinæ in se vltionis sũt experti seueritatem, tantò seriùs, quanto seriùs.

Epist. ad Auxentium de Basil.

Attexuit de hoc argumento Hieronymus Catalogum, vsurpatorum scilicet Ecclesiastici Throni, ac potestatis, quos ad interitum statim amandauit Altissimus. *Constantius* (ait) *Arianæ fautor hæreseos, dum contra inimicum paratur, & conscius fertur ad pugnam, in Mopsi viculo moriens magno dolore, hosti reliquit Imperium. Iulianus proditor animæ suæ, & Christiani iugulator exercitus, Christum sensit in Media, quem primùm in Gallia denegarat; dumque Romanos propagare vult fines, perdidit propagatos. Iustinianus, gustatis tantùm Imperialibus bonis, fœtore pruinarum suffocatus interijt, ostendens omnibus quid sit humana potentia. Valentinianus vastato genitali solo, & inultam Patriam derelinquens, vomitu sanguinis extinctus est. Huius germanus Valens, Gothico bello victus in Thracia, eumdem locum, & mortis habuit, & sepulchri. Gratianus ab exercitu suo proditus, & ab obuijs vrbibus non receptus, ludibrio hosti fuit: cruentaque manus vestigia, parietes tui Lugdune testantur. Adolescens Valentinianus, & penè puer, post fugam, post exilia, post recuperatum multo sanguine Imperium, haud procul ab vrbe fraternæ mortis conscia, neeatus est, & cadauer exanime suspendio infamatum.*

Epist. ad Heliodorum de Epitaph. Nepotiani.

Nec dicant Laicocephali Angli, hæc exempla esse terriculamenta puerorum, sicut olim apud eumdem Hieronymum ibidem. *Dicat aliquis Regum talis conditio est, feriuntque summos eulmina montes;* nam, si hæc sunt extera, & antiquata, non desunt horribiliora Anglis domestica, & recentia, sub omnium oculis Londini patrata, quando Serenissimus ille orbis delicium Carolus Rex, (infelix memoria lachrymas excutit, quas exigit) qui vno seculari non contentus, etiam Ecclesiasticum in Anglia solium occupauerat, eiusdemque se Ecclesiæ Caput attitulauerat, ab iniquis inclitus Rex, (Deo id permittente) quasi Reus, ad patibulum trahitur, Caputque (vna terrena non contentum corona) sui Capitis, impij satellites detruncarunt.

Has, & similes calamitates expectent, qui Ecclesiastica iura per summam

Digitized by Google

iniuriam inuadunt: Et vt ait Damianus epist. ad Henricum 2. Imperatoris filium: *Ex eorum perditionibus colligant, qui finis etiam se, qui non dissimilia sectantur expectent.*

In hac ergo Tractatione, consequenter ad præcedentem, de Ecclesiastica Potestate disserimus: cùm Protestantes, post inconcussam Conciliorum auctoritatem impetitam, Ecclesiasticam eorumdem Conciliorum conuocandorum indicendorumque potestatem, omnibus quibus possunt viribus concutiant, eamque, solis Laicis Imperatoribus tribuant: Et Angli, suæ Ecclesiæ Primatum, ac vniuersa Summorum Romanorum Pontificum iura, suo Regi per summam iniuriam conferant, Caput Laicum Ecclesiæ corpori affingentes. Hæc autem ægrorum deliria, in vnica sequenti Instructione dilucidè profligantur.

INSTRVCTIO VNICA

De Ecclesiastica Auctoritate contra Sereniſſimi Angliæ Regis Primatum.

NOn sine iactura Christiani nominis, Ecclesiasticam Cogendorum Conciliorum generalium auctoritatem, ac cætera Ecclesiastica iura, à Christi in terris Vicarijs Romanis Pontificibus, ad Imperatores, ac Reges Laicos transtulerunt Protestantes. Nos autem in hac Instructione, pro more ex Scripturis, ex Antiquitate, ex Rationibus, ex testimonijs Laicocephalorũ, & iuxtà doctrinam inclyti Angliæ Regis Iacobi euincemus, Laicos Imperatores, & Reges, non nisi contra Christi instituta, in Ecclesiasticis, ac Fidei se immiscere tractatibus. Idque totum enucleatè sequentibus lectionibus absoluemus; Adiecta duplici consideratione, vna ad inclytum, & Sereniſſimum Regem Angliæ, alia ad Sereniſſimum Ducem Saxoniæ Principem Electorẽ. Sit ergo

LECTIO I.

De Ecclesiastica Indicendorum Generalium Conciliorum Auctoritate, à Sereniſſimis Angliæ Regibus per sũmam iniuriam vsurpata, contra eosdem, ac Lutherum, Caluinum, Laicocephalos, Spalatensem, & alios.

1 ECclesiasticam auctoritatem, quam ex Christi institutione nouimus solis Sacerdotibus demandatam, Henricus Angliæ Rex huius nominis Octauus, non contentus Temporali, per summam iniuriam vsurpauit; cui, multi filij rebellionis, & perditionis, suppetias ferẽtes, ac Successorum Regum Anglorum potestatis ærarium, accrescentes, Impietatis apicem vt attingerent, etiam cogendorum, indicendorumque Generalium Conciliorum Ecclesiasticorum auctoritatem, Laicis, tùm Imperatoribus, tùm Regibus, præsertim suo, contra omnem æquitatem, ausu temerario, aulicaque adulatione tribuendam dogmatizarunt. Huic impietati testimonium perhibet, sequens.

Mendacium Protestantium.

2 LVtherus bis Apostata nullum lapidem reliquit immotum, vt posset Ecclesiæ ædificium conuellere, ac deturbare; vnde in lib. de Concilijs cap. 58; vt Summi Romani Pontificis iudicium posset effuge-

fugere, dogmatizauit, Ius conuocandorum Conciliorum Generalium, non ad Papam, sed ad Imperatorem & Reges pertinere. Eum sequuti sunt sui *Brentius* in Prologom; Protestantes, & Principes ordinis Germanici, in lib. Cur ipsi Concil. Trident. recusent: & *Cur ipsi ad Concilium Tridentinum nō venerint.* Centuriat. Cent. 4. cap. 7. Et Pomeranus, qui lib. 3. de Iurisdictione par. 1. cap. 4. ait; *In totis quincentis annis Synodos Vniuersales, quæ multæ habitæ sunt, nemo congregauit præter vnum Cæsarem; &c.*

3 Luthero subscribunt Caluinus lib. 4. *Instit.* §. 8; *Beza*, Molineus in Consilio de non recipiendo Concil. Trigent. §. 6; Mornæus in suo Myster. iniquitat. Oppositi. 4. pag. 23. & alibi, *Rousellus* Tract. de Iurisdict. Papæ cap. 3. & 4.

4 Sed, & Sereniſſimus Iacobus sextus Rex Scotiæ, & demum Rex Angliæ, ob sui Primatus assertionē (de quo infra) nedū Ecclesiasticarum personarū, & Religionis causas ad se deferri iussit, sed etiam vsque ad Generalia Concilia conuocanda suam auctoritatē extendit, dum in sua *Apologia*, dicit: *Sed hæc præcipua, quam nobis iaferunt, iniuria, quod ius Christianis commune Regibus, in Generalibus Conciliis nobis adimant, cùm illorum habendi modum penitus substulerint*, Pontificij &c.

5 *Hornus* Protestans *Anglus* Caluinista, vt sui Regis erarium augeret, *Diuisione* 248. Caluini sui patrocinium assumendo cōtra Quintinum, hac hypothesi defensionē orditur. *Si quæuis alia res sit Ecclesiastica, hæc potissimum est Synodos conuocare; sed multi viri doctissimi hoc existimarunt, quòd Imperator, Generale Concilium cogere poteſt quoties vult, & quauis de causa &c.* deinde numerat Concilia ab *Imperatoribus*, & Regibus laicis conuocata.

6 Tandem Marcus Antonius de *Dominis* lib. 6. de Republica Christiana cap. 1. à num. 5. vsque ad 72 totis neruis contendit ostendere, conuocationem Conciliorum Generalium, ad Principes, & Reges pertinere. contra quos stat.

VERITAS CATHOLICA.

Generalium Conciliorum Conuocatio, & indictio, Auctoritatiuè, & principalitèr soli Romano Pontifici conuenit; Imperatoribus verò, nonnisi Ministerialitèr seù Instrumentalitèr, in Christianæ Religionis obsequium.

7 Antequā probetur hec Veritas, quædam sunt præmittenda, quæ in toto præsenti Tractatu, sunt habenda præ manibus; quibus, vniuersa *Aduersariorum* tela, feliciter eludi possunt à Catholico. Aduertendum ergo 1. Principalem, & *Auctoritatiuam* potestatem indicendi, & conuocandi Concilia Generalia, & Oecumenica, in solo Romano Pontifice residere. Ex cuius potestatis, & Conuocationis defestu, Concilia nullum robur obtinent, nisi Pontifex eis suam auctoritatem, ac approbationem adijciat, ea, vel approbando, vel confirmando, & hoc rarò; nam, omnia ferè Cōcilia sine hac principali auctoritate conuocatiua indicta, fuerunt tanquā Conciliabula reprobata, vt patet de Ephesino 2. & alijs. Et hanc auctoritatem habet solus Pontifex ex Christi Institutione, ex Vniuersali fine regendi Ecclesiam Vniuersalem; cui consequentèr, propter eiusdem Vniuersalis Ecclesiæ bonum, competit ius conuocandi totam Ecclesiam, ideſt, eos qui sunt vndique *Episcopos*. In Imperatoribus verò, sola potestas Ministerialis, instrumētalis, executorialis, & opitulatiua elucet. Dum enim olim Pontifices

Indictio Conciliorū, ex Christi Institutione, soli Papæ commissa.

Ministerialis Imperatorum cura in Conciliorum indictione, quare exigita?

Digitized by Google

Generalia indicebant Concilia, egebant Imperatorum opera, tum ad comprimendam Hæreticorum violentiam, tum in custodiendis Episcopis Catholicis ab aduersariorum furoribus, in saluo conductu, in expensis, & similibus; adeoque, vt tutò possent Episcopi ad Concilium venire, & congregari, Pontifices indicebant Concilia, eorumque citationem Imperatoribus, tanquam *ad Ecclesiæ præsidium datis*, (ex Leone Papa epist. ad Leonem Imperatorẽ) demandabant, vt sua scilicet temporali potentia, & adiuuamine temporali, freti Episcopi, sine timore hostium fidei, ad Concilia haberent accessum. Imò, cùm in temporalibus, Imperator agnosceretur in Sũmo Imperio, non poterat in Ciuitate Imperiali attentari congregatio Synodi, Imperatore contradicente; & ita, consensum petebant Pontifices, vt suæ voluntati cooperarentur Imperatores, quos magis timebant populi ob temporalia, quàm Pontificem propter æterna.

Imperatorũ consensus, quare expetitus in Cõcilij conuocatione?

8 *Aduertendum* secundò, quòd si quandoque Põtifices, in indictione Synodi Imperatorum, vel Regum consensum expostularunt, id non est factum ex defectu potestatis cõuocatiuæ, sed vt plausibiliùs, & suauiùs Conciliaris Patrum congregatio fieret; tunc enim Pontifices, quibus non erat tanta virium temporalium facultas, stante etiam Christianorum persecutione, ad tantæ rei exitus Generalium Conciliorum, procurabant ab Imperatoribus edicta, & Regum, vel Principum consensum, quo accedente, operam suã impendebant, ne Episcopi ad Synodum venientes, possent contra Sacros Canones impediri. Sicut ob eũdem finem, multoties *Sanctissimi* Pontifices *Romani*, cùm aliqua videntur Imperatoribus præstare humilitatis obsequia, postulando ab Imparatoribus consensum pro Cõgregationibus eiusmodi, non erat in recognitionem alicuius iuris Imperialis, (quando si restitissent; suppetias, executionem, & opitulationem non ferendo, eos cogere non dabatur, ob illorum temporum statum, prævalente temporaliter Imperio in Christianorum persecutione) sed ad captandum voluntatem, beneuolẽtiam, & beneplacitum, vt sine perturbatione celebrarentur Concilia. Maximè, cùm tunc, lex illa vigeret, l. 1. ff. de Colleg. illicitis, & l. conuenticula C. de Episcopis, & Presbyteris; quæ Conuentus fieri tyrannicè prohibebat, nec fideles ad *Diuina* persoluenda conuenire sinebat. *Adhuc* enim in Gentilium cordibus, efferbescebat suspitio cõtra Christianos cœtus, qui factiones iudicabantur ex *Tertulli.* in Apologetico cap. 38. ad quam suspitionem tollendam, opẽ *Imperatoris* illa temporum conditio requirebat. Vel id fiebat ob obtinendas ab Imperatoribus expensas, & vecturas, seù subsidium charitatiuum; quod si fortè negassent, & suam religiosam munificentiam erga Ecclesiæ Prælatos non ostendissent Imperatores, neque Pontifices, eis dicta præstassent humilitatis obsequia; Videatur Eusebius lib. 3. de Vita Constantini, & Theodoretus lib. 2. histor. cap. 16.

In conuocatione Conciliorum, distinguendũ est Ius à Facto.

9 *Aduertendum* tertiò: Quòd si quando Imperatores, vel Reges Cõcilia, propria auctoritate indixerint, (quod negamus) tunc, distinguendum est *Ius* à *Facto*. *Tunc* enim, si concederemus factum, negatur Ius; quia, ab illis non fuerunt legitima auctoritate, & iure, sed illegitimè, iniustè, & per tyrannicam vsurpationem, & perfidiam congregata; adeoque, eorum *Acta*, nullum robur, nullamque auctoritatem obtinuere, cùm hoc *Ius*, solo Romano Pontifici competat; & per consequens; cùm *Factum*, ideſt dicta Concilia per vim temporalis potestatis, seu potius iniustè

iustè essent vsurpata auctoritate cõuocata; non Concilia, sed Satanæ Conciliabula, & prædatoria Concilia, seù latrocinia dicta sunt à S. Leone Papa epist. 51.

10 Aduertendum tãdem 4. quòd secundùm prudentiam actum est, cùm olim Imperatorũ expetitus est assensus pro Conciliorum indictione, vt scilicet, vtraque suprema potestas, Pontificia scilicet & Imperialis, mutuis obsequijs se confouentibus, Christianæ rei summa, suauiùs, imò firmiùs tractaretur. Quare, in Concilio Turonensi 3. sub Leone 3. cap. 33. sic dicitur: *Comitibus, Iudicibus, reliquorum Populo expedit, vt suis sint Episcopis consensientes, & obedientes propter Dei amorem, suique gradus honorem, & semper ab eis vtile petant consilium, illorumque salubria non spernant consilia, & monita, sed intenta cordis aure audiant. Similiter verò & Episcopi prædictas personas humiliter suscipiant, honorificèque erga eos in omnibus agant, & sic se mutuis studeant subleuare consolationibus.* Sunt enim Principes seculares Aduocati Ecclesiæ, vt ait *D.* Bernardus epist. ad Cõradum Imperatorem, adeoque semper debent quærere bonum Ecclesiæ *Dei*, vt ab Ecclesię Spõso Christo Saluatore, pro salute omniũ passo, cœlestibus gratijs, victorijs, donisque tùm spiritualibus, tùm temporalibus possit cumulari. His adnotatis, quæ causæ nostræ subseruiunt, & quisque, in tota hac Tractatione de Ecclesiastica potestate, debet habere præ manibus.

Conuocatio Synodi ex consensu Imperatorũ erat ob bonum Christianitatis.

Qualis inter Principes Laicos, & Ecclesiasticos debat esse familiaritas.

11 Probatur primò. Veritas Catholica generalibus principijs Protestantium inhærendo, ex Sacra Scriptura, ac totius antiquitatis cõsensu. Primò, ex Sac. Scriptura. Numeror. cap. 11. v. 16. Moysi summo Sacerdoti præcipitur à Deo, vt Seniorum Concilium congreget, & de spiritu suo, cæteros imbuendos (sicut & suam præsentiam) ipsemet Altissimus, spondet, his verbis: *Dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quòd seues populi sint, ac Magistri: & duces eos ad Ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecũ vt descendam & loquar tibi: & auferã de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi.* Et quis non videt, Sacerdoti à Deo commissum, vt Concilium cogat? Profectò, solo summo Pontifici hoc demandatum constat, qui etiam non quoscumque secum consiliarios aduocaret, sed eos dumtaxat, *quos tu nosti quòd seues sint*; Quasi diceret: Tu qui summus Sacerdos es, Concilium coges, eorũ tãtùm hominum, quos nouer is esse senes, ideſt, Ecclesiasticos; *Et ego descendam, & loquar*, non alijs, *sed tecũ*; ad innuendum, quòd inconcussa Conciliarium decretorum firmitas, à sola summi Pontificis approbatione dependet; cùm, huic loquatur Dominus, & huic promissum sit vt non deficiat fides eius; & non nisi *iuncti Petre*, & Petro, *Iudices*, & Consiliarij in Concilijs, Petræ firmitatẽ suis sententijs ingerant.

12 Primò Machabeorum 14. v. 44. Simone ad Summum Sacerdotium euecto, Diuino afflatu, & iuxta Dei legem declaratum est, vt *illi sit cura de Sanctis: & vt audiatur ab omnibus: &c. & ne liceat vlli ex populo, & ex Sacerdotibus irritum facere aliquid horum, & contradicere his, que ab eo dicuntur, aut conuocare Conuentum in regione sine ipso.* Ergo, iam diù diuina lege cautum est, ne conuentus, & Concilia congregentur, & indicantur, nisi, indicente Summo Pontifice; & non Rege vel Imperatore laico. Quod si amplioris est dignitatis Summus nouæ legis Sacerdos, Summo legis veteris Sacerdote, sicut maioris est æstimationis figuratum sua figura; nescio quomodo fieri poterit, id quod Laicocephali intendunt, scilicet, vt in lege gratiæ

Im-

Imperatores, & Reges laici, & non potius Pontifices, Concilia generalia conuocent.

13 Præterea, in NOVO TESTAMENTO in idem Apostoli collimarunt. Etenim, *Actor.* cap. 1. v. 15. Non à Tiberio Cæsare Imperatore Laico, vel ab Herode Rege, sed à Sũmo Ecclesiæ Pastore Petro fuit Synodus conuocata, & ipse met Petrus tanquam Caput, electionem noui Apostoli proposuit. *In diebus illis, exurgens Petrus in medio fratrum dixit: Viri fratres oportet impleri scripturam, &c.*

14 Rursus, ibidem cap. 6. conuocata est 2. Synodus *Apostolica*, in qua Diaconorum electio decreta fuit, non à Laicis, sed ab *Apostolis*, & à Petro eorum Capite; vnde, ibi dicitur: *Conuocantes autem duodecim multitudinem Discipulorum, dixerunt. Non est aquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis: Considerate ergo fratres* &c. Vbi nota, quòd ly *dixerunt*, non est sic intelligendum quod omnes duodecim dixerunt; quia sic fuisset vocum confusio, sed quod omnes per vnum Petrum, qui tanquam eorum Caput præerat, nomine omnium, dixit, *considerate ergo fratres*, ipse enim vt ait Cyprianus, & alij, erat *Os Apostolorum*. Et Cyrillus in lib. Thesauri, ait, Apostolos, & Euangelistas in omni loco astruere, *Petrum esse loca Domini in eius Ecclesia, eidem dantes locũ in omni Capitulo, & Congregatione; in omni electione, & confirmatione.*

15 Ptæterea, *Actor.* 15. indicitur tertia Synodus *Apostolica*, non à Tiberio Cæsare, sed à Petro vniuersali Pastore totius Ecclesiæ, in qua Synodo fuit determinata controuersia de Circumcisione, ne Gentiles ad eius obseruantiam cogerentur; *Conuenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc* &c. Ex quibus omnibus constat, quòd nimis apertè Protestantes insaniunt, dum cogendorũ Conciliorum auctoritatem, Laicis Imperatoribus tribuunt.

16 Probatur secundò ex auctoritate Summorum Pontificum primorum seculorum, Marcellus Papa 1. qui vixit anno 304. in epist. 1. ad omnes Episcopos Antiochenæ Prouinciæ, postquam dixerat ad Sedem Romanam *omnem sedes quasi ad Caput, iuxta Apostolorum eorumque successorũ sanctiones* recursum habuerunt; ait, quod ex eorumdem *Apostolorum* decreto, Deo inspirante edito, statutum est, vt à solo Romano Pontifice essent indicenda Concilia, eius verba sunt: *Simulque ijdem (Domino inspirante) constituerunt, vt nulla Synodus fieret, præter eiusdem sedis auctoritatẽ; nec vllus Episcopus nisi in legitima Synodo suo tempore Apostolica auctoritate conuocata.*

17 Iulius 1. anno 337. epist. 1. ad Episcopos Orientales ex Diuina institutione factum esse affirmat, quòd conuocandorum Conciliorum auctoritas, Summo Pontifici dumtaxat sit delata: *Ipsa nanque (Ecclesia Romana) omnibus maior & prælata est Ecclesijs, quæ non solummodò Canonum, & Sanctorum Patrum decretis, sed Domini Saluatoris nostri voce singularem obtinuit Principatum &c.* Porrò, *dudũ à Sanctis Apostolis, successoribusque eorum (hi sunt Victor, Eleutherius, & alij in eorum Decretis) in præfatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hactenus Sancta, & vniuersalis Apostolica tenet Ecclesia, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari; quoniam Sanctam Romanam Ecclesiam Primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt.*

18 Quid ad hæc *Archiapostata* Spalatensis? audite næniam: dicit lib. 6. Reipub. cap. 5. num. 98. quod Iulius Papa nihil dicit de conuocatione Conciliorum; sed tantùm vt Episcopi Orientis nihil graue definirent aut statuerent in suis Concilijs,

lijs, nisi res prius esset in Oriente discussa. Secundo ait; his verbis Iulij, ad summum probari, quod accedente Summi Pontificis approbatione, decreta Conciliorum generalium, maiorem vim, ac robur acquirant.

19 Sed circa primum; vel Spalatensis, Iulij Papæ epistolam non vidit, vel eam lexit ad lumen Lunæ. Dixerat enim Iulius antea in eadem Epistola, *Vnanimitèr in prædicta Nicæna Synodo statuerunt, vt nullus Episcopus, nisi in legitima Synodo, & Juo tempore Apostolica auctoritate CONVOCATA &c.* Igitur ex nimia contradicendi libidine excœcatus Apostata, non vidit ly *Conuocata*. At non viderit: quod ei condonamus, si facit vim in ly *celebrari*, non ne Conciliorum celebratio incipit à Conuocatione? Rursus, ibidem Iulius dixerat, ex Euangelio, & Apostolorum doctrina, Pontifici Romano Conuocationem Synodorum esse commissam, vnde ait. *Ipsi verò primæ Sedis Ecclesiæ conuocandarum Generalium Synodorum iura singulari priuilegio, Euangelicis, & Apostolicis, atque Canonicis concessa sunt institutis.* Quid clarius expetit Archiapostata?

20 Circa secundū quòd ait, scilicet, Summi Pontificis approbationem, requiri necessariò ad hoc, vt Conciliorum decreta vim habeant absolutè, & non maiorem, vel ad melius esse: & hoc indigitant verba Iulij Papæ dum dicit, *non oportere* quod absolutè necessitatem indicat, & non melius esse.

21 Iterum Spalatensis ibidem num. 8. manus præbens Mornæo in Mysterio Iniquit. Oppositt. 5. pag. 31. dicunt, hanc Epistolam Iulij esse à Papistis confictam; maximè (ait Mornæus) quia inibi citatur Nicæni Concilij Canon, qui in Synodo Nicæna non extat.

22 O strenuum hominū par Mornæus, & Spalatensis! Dicite per animam vestram strenui mendaciorum pugiles, defertis ne Antiquitati? Dicetis. Deferimus. Et quomodo sic inconsideratè, pro libito, antiquitati derogatis? Legite Patres qui ad vnum omnes has epistolas, vt legitimum Iulij Papæ partum agnoscunt. Adite Socratem lib. 2. cap. 13. & alios innumeros apud Turrianum qui epistolas illas esse Iulij partus ostendunt ad oculum. Consulite pro veritate Canonis Nicæni, Athanasium, epist. 2. ad Felicem, Leonem 1. epist. ad Theodosium, Gelasium de vinculo anathematis, & epist. ad Episcop. Dardaniæ, Nicephorum lib. 9. cap. 10. Socratem lib. 4. hist. tripart. cap. 11. Sozomenum lib. 1. cap. 10. & 11. consulite alios qui huius Canonis Concilij Nicæni meminerunt.

23 Cæterum, contra Spalatensē, & Mornæum vrgeo. Quòd vt ait Sozomenus lib. 5. cap. 7. *cùm in eadem epistola Iulius Papa de Episcopis Orientalibus conquereretur*, eo quòd hi, cōtra statuta Nicænæ Synodi, de Athanasio, & alijs Episcopis, inconsulta Romana Sede, iudicassēt; Episcopi Orientales, ad Pontificis quærimoniam, nihil omninò rescripserūt; cui, si hic Canon in Synodo Nicæna non extaret, facili negotio respondissent, & se expedissent, rescribendo Pontifici, se non contradixisse Canoni Nicæno, cum hic Canon in dicta Synodo non extaret, sed esset confictum. Vnde, ait Sozomenus: *De rebus quas contra Concilij Nicæni decreta gesserunt, nihil ei rescripserunt.* Imò, ipsemet Iulius in epistola 2. ad eosdem Episcopos Orientales; & conuocationem, & Canones explicat; hi Episcopi Orientales ad quos hanc direxit epistolam, erant Eusebius, Theognius, Theodorus & alij, quibus ait: *Decuerat vos, aduersus Sanctā Romanam Ecclesiam, & Apostolicam limatè, & non ironicè loqui &c. Cur nobis inconsultis Episcopos in eam Synodum cōuocastis, ad quam nec Maximus Hierosolymitanus venit, nec nostra interfuit lega-*

Digitized by Google

legatio? Canonibus quippè in Nicæna Synodo iubentibus, non debere præter sententiam Romani Pontificis vllo modo Concilia celebrari. Ex quibus duo habes, vnum quod loquitur de conuocatione Conciliorum contra Spalatensem; secundò, quod iterum citat Canones Concilij Nicæni, qui si in ea Synodo non extarent, cur tàm frequentèr à Sanctissimo Pontifice citarentur? Ab his cauillis aduersariorum expediti, ad cardinem causæ redeamus.

24 Sanctus Damasus Papa (vixit ann. 380.) epistola 2. ad Stephanum, & Episcopos Africæ, eos à Catholico nomine facit extorres, qui concilia generalia ab alio, quàm à Romano Pontifice congregari, & cogi debere negant. Ibi enim postquam de Episcopis dixerat, quod poterant à Metropolitano ad Concilium Prouinciale conuocari, addit: *Sed definire eorum, & Ecclesiasticarum summas querelas causarum, vel damnare Episcopos, absque huius Sanctæ Sedis auctoritate, minimè licet &c. Nam, (vt nostis) Synodum sine eius auctoritate fieri, non est Catholicum.* Igitur, Protestantes qui cogendorum Synodorum auctoritatem Imperatoribus, ac Regibus tribuunt, meritò Catholico nomine, ac Ecclesiæ Dei communione sunt iure priuati.

25 Pelagius 2. (qui vixit anno 579.) Epist. ad illegitimam Synodum Constantinopolitanam, sic scribit: *Relatum est ad Apostolicam Sedem Ioannem Constantinopolitanum, Episcopum vniuersalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum conuocare generalem, cùm Generalium Synodorum conuocandi auctoritas, Apostolicæ Sedis Beati Petri singulari priuilegio sit tradita, & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta &c. Multis denuò Apostolicis, & Canonicis atque Ecclesiasticis instruimur regulis, nõ debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari. Vos quoque deinceps vt nullius hortatu talia præsumatis, si Apostolicæ Sedis communione carere nõ vultis &c. Orate fratres, vt honor Ecclesiasticus nostris diebus non euacuetur: nec vnquam Romana Sedes, quæ (instituente Domino) Caput est omnium Ecclesiarum, priuilegijs suis vnquam careat, aut expolietur.* Audiant nobilissimi Angli, an rectè egerint, an potius sacrilegè, & contra Dei institutum, Primatus, & Capitis Ecclesiastici dignitatem in suum Regem laicũ transferendo, quam in sola Ecclesia Romana à Deo constitutam constat.

26 Insurgit Spalatẽsis lib. 6. Reip. cap. 5. n. 36. & ait; Pontifices, in his auctoritatibus tãtũ dicere, *Nulla esse illa Acta Conciliaria sine assensu Romanæ Sedis, non autem sine auctoritate Romani Pontificis.* Et facit vim in ly *assensu*, & ly *auctoritate*. Igitur non exigitur auctoritas Romani Pontificis.

27 Sed vt solet, locum Pelagij nõ vidit, & id quod suũ iugulum petit, dolosè subticuit. Videant Spalatensis hæredes Laicocephali Angli locũ à nobis adductum, & ibi manifestè prospicient quod Beatus Pontifex, loquitur de *auctoritate* Conuocatiua Conciliorum, ijs verbis: *Generalium Synodorũ conuocandi AVCTORITAS, Apostolicæ Sedis &c.* Sed adhuc si non exprimeretur auctoritas, sed solùm consensus, quid inde? an fortè consensus confirmans, & auctoritatiuus, non supponit auctoritatem?

28 Sed ante hos Sixtus 3. Epist. ad Episcopos Orientales scripserat: *Valentinianus Augustus, nostra auctoritate Synodum conuocauit.*

29 Probatur tertiò auctoritate Conciliorum, & Ecclesiæ vsu. Quandoquidem dumtaxat decem & nouem vsque modo Concilia Generalia numeramus; ex vltima Romana impressione Conciliorum quæ omnia non nisi Romano Pontifice indi-

Digitized by Google

dicente esse coacta constat; Quæque ab *Apostolica* Sede tanquam Oecumenica fuerunt approbata.

30 Primum fuit Concilium Nicænum sub Sylvestro Papa anno eius 15; & Constantini Magni Imperatoris anno 20. Domini verò anno 327. in quo centum decem & octo Patres conuenerunt, ad propugnandam Fili *Dei* consubstantialitatem, & veterem de Paschate controuersiã finiendã. Hoc Conciliũ nõ absolutè ab *Imperatore*, sed Sylvestro Papa consensiente fuisse congregatũ patet, ex *Russino* lib. 10. cap. 1. dicẽte, quod illud etsi fuerit ministeriali Constantini ope coactum, tamen id ille præstit *ex sententia Sacerdotum*. Sed clariùs hoc exprimitur in breui Epilogo Conciliorum Rom. sub Sylvestro, dum dicitur: *Temporibus Sylvestri Papæ, & Constantini pijssimi Imperatoris Augusti, factum est Magnum Concilium in Nicæa Bythiniæ, & congregati sunt regulariter eiusdem Sylvestri Papæ vocatione in idipsũ* 318. *Episcopi*. Hoc idem confirmat *D.* Damasus in Pontificali. Concessit Christiano Imperatori Pontifex, vt ministerialitèr Concilium conuocaret.

31 Constat hoc idẽ ex 6. Synodo Act. 18; vbi habemus Nicænam Synodum, à Papa Sylvestro fuisse conuocatam. Quin, & Synodus *Alexandrina*, epistola ad Felicem Papam, rẽ nostrã, his amplissimis verbis, declarat: *Scimus in Nicæna magna Synodo* 318. *Episcoporum, ab omnibus concorditer roboratum, non debere absque Romani Pontificis auctoritate, Concilia celebrari, neque Episcopos condemnari.* Hoc etiam testantur multi Antiqui Pontifices, supra recensiti. Idque argumento est, eam Synodum, non ab *Imperatore* auctoritatiuè, sed à Sylvestro Romano Pontifice fuisse indictam. Eò vel maximè, quia, quorsum ista definitionis obseruantia à Synodo præciperetur, si Synodus ipsa esset auctoritatiuè ab *Imperatore* Laico conuocata? Videatur 1. *Decretum* eiusdem Concilij, cui vniuersi Patres subscripserunt apud Gratian. dist. 27. & in Act. eiusdem ad Sylvestrũ.

32 Rem tamen nostram manifestiùs declarant litteræ Legatorum ad Sylvestrum, quæ sic dicunt: *Beatissimo Papæ Vrbis Romæ omni reuerentia colendo Sylvestro, Osius Episcopus Prouinciæ Hispaniæ, Ciuitatis Cordubensis, Victor, & Vincentius Vrbis Romæ ordinati ex directione TVA.* Et sic omnia sunt in pace.

33 Secundum fuit Concilium Cõstantinopolitanum, celebratum anno 383. sub Damaso Põtifice, Theodosio Seniore Imperante, in quo ex diuersis mundi partibus conuenerũt 150. Episcopi pro tuenda Spiritus Sancti Diuinitate contra Macedonij hæresim. Et hoc Cõcilium fuit à Damaso Papa indictum, mediante Imperatoris ministerio, ad quem Pontifex ipse epistolam transmisit, in qua ob illorum temporum calamitatem, adminiculationem *Imperatoris* admisit, vt is Episcopos certos redderet, eos tutò posse ad Conciliũ accedere, quos ab hæreticis se defensurum pollicitus est. Rem hanc totã testatã facit epistola Patrum eiusdẽ Concilij ad. Damasum, quæ extat apud Theodoretum lib. 5. histor. cap. 9. in qua Patres hæc scribunt: *Mandato litterarum superiori anno à vestra Reuerentia ad Sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter dũtaxat Constantinopolim vsque faciendum nos præparauimus.* Et cap. 8. ijdẽ Patres dicunt. *Vos Concilio Dei per Dei volantatem, ac nutum, Romæ coacto, nos velut membra propria per Imperatoris Sanctissimi litteras accersiuistis.* Consentit Theodoreto Photinus lib. de septem Synodis, & alij. Ex quibus cõstat, Damasum Papam, Synodum Constantinopolitanam conuocasse, & non *Imperatorem*, qui tantùm suum ministerium exhibuit in promulgatione epistolæ eiusdem Pontificis indicentis Concilium.

34 *Hoc* idem confirmãt, ea, quæ extant in vetusto Codice Bibliothe-

Digitized by Google

cæ Vaticanæ, & in alio Sanctæ Mariæ Maioris apud Baroniũ, vbi hæc habentur: *Sententiam de damnatione Macedonÿ, & Eunomÿ, Damasus confirmari præcepit in secunda Synodo, quæ præcepto, & auctoritate eiusmodi Constantinopoli celebrata est.* Et in sexta Synodo Act. 18. hoc ipsum haud obscurè innuitur, dum dicitur: *Macedonius Spiritus Sancti denegabat deitatem, & Dominatorem conseruum prædicabat, sed Maximus Imperator Theodosius, & Damasus fidei adamas protinus obstiterunt.* Damasus scilicet doctrinæ magisterio, Theodosius ministerio, ac religioso famulatu.

35 Tertium fuit Cõcilium Ephesinum, celebratum anno 430. sub Celestino 1. Theodosio Iuniore Imperante, in quo 200. Patres conuenerunt cõtra Nestoriũ, duas in Christo personas comminiscentem. Quod Concilium non à Iustiniano Imperatore, sed à Cælestino Romano Pontifice fuit indictũ, vt idem Imperator fatetur in Edicto de Fide Orthodoxa, & cõstat ex epistola eiusdẽ Cælestini ad Cyrillum (quem tanquã suum Legatum ad Synodum misit,) quæ epistola est 12. eiusdem. Sed credent facilè Protestantes, hõsti Romanæ Ecclesiæ hanc rem enarranti; is est Balsamon, qui in Nomocanone tom. 8. canone 1. sic rem gestam refert: *Cum non posset Cælestinus adesse Ephesi, visum est, vt Sancto Cyrillo a Cælestino permitteretur huic Synodo præsidere, vt itaque constaret eum habere ius, & auctoritatem Papæ, sedit cum Phrygio, & condemnauit Nestoriũ.* Videatur Epist. Cyrilli ad Constantinop. tom. 1. Conciliorum cap. 15. de condemnatione Nestorij à Cælestino cum Concilio facta.

36 Cornicatur Caluinus lib. 3. Instit. cap. 7. §. 1. & fronte hunc locum arietat, dicendo: Hoc fuisse Cælestini artificiũ, quo sedis suæ dignitati caueret, & ideò (addit Mornæus Caluino ferens suppetias in suo Myster. pag. 60.) *voluit fortè vulgò credi Cyrillum Alexandrinũ vicẽ suam ibi gerere.*

37 Contra; nam, est incredibile, quòd vniuersi illius Synodi Patres præter omnem consuetudinem Cyrillo detulissẽt, vt supra se ipsos omnes locum, & Præsidentiam, & auctoritatem haberet, nisi eos certò cõstaret Cyrillum, non proprio nomine, sed vice superioris, scilicet, Pontificis Romani, præesse Concilio, eisque eiusdem Pontificis commissionem autenticam non ostendisset. Quin, & Nestoriani, Caluini, & Mornæi pretextum assumpsissent; dicendo, se non esse à legitimo Iudice dãnatos scilicet à Concilio, legitimo Præside destituto. Stat ergo firmum, Cælestinum Papam, Ephesinam Synodum conuocasse, eique per Cyrillum suum legatum præsedisse.

38 Sed non quiescit impietas, dũ rursus obijcit Mornæus ibidẽ, quòd in Concilijs, nulla fit mentio de Præside Romano, vel de Legatis Pontificijs; ac proindè frustra dicitur, quòd Celestinus Cõcilio præsedit per Cyrillum &c.

39 Contra; nam, esto in Epistola Cælestini ad Synodum Ephesinam non adeò explicatè habeatur Cyrilli Præsidentia, & Legatio; hoc tamen habetur expressè in alia epistola Synodali ad Imperatores, quæ extat tom. 2. Concil. in Act. huius Concilij cap. 57, & in alia epist. Cælestini ad Cyrillum. Cæterum, licèt in Cõcilijs nõ exprimatur interdum Legatio, & Præsidentia Põtificia, quid per hoc? an Protestantes syllabarum pensiculatores, non inueniunt in illis æquiualenti a? Sufficit enim, quod dũ Papa non præest Cõcilio, inueniamus, *Locumtenentem eius, Vices gerentem, missum suo nomine &c.* Videãtur quæ diximus supra.

40 Quartum Cõcilium Generale fuit Chalcedonẽse celebratum anno circiter 454. vbi sexcenti & triginta Patres consederunt sub Leone primo Papa, Imperante Martiano Augusto, contra Eutychetem Constantinopolitanum, & Dioscorum,

qui

qui asserebant, Christum Dominum post assumptionem humanitatis, nõ constare ex duabus naturis, sed solùm humanam in eo permansisse. Hoc Concilium fuit indictum, & congregatum à Leone Romano Põtifice, & non ab Imperatore Martiano; vt constat ex epistola Episcoporum Mysiæ ad Leonem Imperatorẽ, vbi dicunt: *In Chalcedonentium Ciuitate multi Sancti Episcopi conuenerunt, per IVSSIONEM Leonis Romani Pontificis, qui verè est Caput Episcoporum.*

30 Idipsum testantur Patres Cõcilij Constantinopolitani 2. *Act. 1.* dum dicunt, quod *tàm Vicarij Papæ, quàm qui ex persona Synodi aderant, Imperatori dixerunt: Benignissimè Domine, à vestra fortitudine ad Sanctissimum Papam demandati sumus.* Imperator igitur fuit demandator, ac procurator Concilij apud Papam.

31 Sed quid in re tanta vlterioribus egemus testibus? Martianus ipse Imperator, indictionis huius Synodi, Papam cognoscit auctorem; dum is, in epistola ad Leonem Pontificẽ, quæ extat in Concilio Chalcedonẽsi, & manifestiùs epist. 44. ad eumdẽ, sic ei supplicabat: *Tuam Sanctitatem Principatum in Episcopatu Fidei obtinentem, rogamus ad celebrandum Synodum, TE AVCTORE.* An Laicocephali *Angli* clariùs, ac robustius testimonium exquirunt? Testis iste, est omni acceptione maior, Laicus, & Imperator. Si fortè maiorem expetunt.

32 Addimus, & testem Maximũ Pontificem Gelasium qui cum Concilio 70. Episcoporum, & habetur c. San. Romana dist. 15. omnia quatuor hactenus enumerata Concilia, non nisi Pontificis Romani auctoritate indicta, & conuocatata scribit; adeoque ab omnibus recipiendas esse *Sãctam Synodum Nicænam congregatam, mediante Constantino Maximo Augusto, &c. Sanctam Synodum Constantinopolitanam, mediante Theodosio seniore Augusto, &c. Sãctam Synodum Ephesinam, cum consensu Beati Papæ Cælestini, mediante Cyrillo Alexandrino, & Anatolio Constantinopolitano Episcopo, &c. Sanctam Synodum Chalcedonensem, mediante Martiano Augusto, & Anatolio Constantinopolitano Episcopo*, &c. Constat ergo ex Gelasio, Imperatores Laicos, fuisse mediatores apud Summos Pontifices Romanos, vt hi, Concilia conuocarent, eique supplicabant, vt sua auctoritate Synodos indicerent.

33 Quintum Concilium Generale fuit Constantinopolitanum 2. sub Vigilio Papa, Iustiniano Seniore Imperante, à 165. Patribus celebratum contra *Anthimum*, Seuerum, & Ibã hæreticos. Hoc Concilium fuit quidem indictum à Vigilio, vt celebraretur in Sicilia, vbi comodiùs posset, tùm Orientales, tùm Occidentales Episcopi conuenire; sed postmodũ Iustinianus, non Episcoporum, sed suæ propriæ commoditati consulens, voluit eum Constantinopolim celebrari; & hoc in causa fuit, vt Vigilius nollet in eo Concilio præsidere, nec per se, nec per suos Legatos. Sed cùm illuminati illi Patres, (qui eò, Imperatoris iussu conuenerant) viderent, præter Vigilij Papæ voluntatem, (qui cupiebat eos in Sicilia congregari) se inibi fuisse congregatos; noluerũt Cõciliares actiones prosequi ne *Acta* essent irrita ex defectu destinationis loci, & conuocationis (non quidem simpliciter) ad certum locum; Eutychius Episcopus Constantinopolitanus qui Concilio præerat (vt patet ex Actis eiusdem Synodi) scripsit ad Vigilium, petens decisionem illius quæstionis de tribus Capitulis, vbi eidem Pontifici, ait: *Centum sexaginta quinque Patres Concilio interfuerunt, quorum Princeps fuit Vigilius Papa Romanus.* Hoc idem testatur Nicephorus lib. 17. cap. 27. Euagrius lib. 4. cap. 37.

34 Itaque, multi labũtur ex igno-

Digitized by Google

ratione historiæ, dicentes absolutè, hanc quintam Synodum non fuisse conuocatam à Vigilio Papa, sed à Iustiniano Augusto; fuit enim indicta à Vigilio, vt celebraretur in Sicilia, quæ postea celebrata est Constãtinopoli; stat ergo indictio, & conuocatio facta à Papa, sed non in loco ab eo destinato. Quare, postmodum Pontifex Vigilius, ratam habens LOCI conuocationem, ac Euthymij Patriarchæ Constãtinopolitani, omniumque Episcoporum supplicationem suspiciens, illi, ex suo assensu, & beneplacito, Acta sunt prosecuuti; quæ omnia, fuerunt ab eodem Summo Pontifice probata, & confirmata. Quare, Decreta illius Synodi non obtinent robur ex conuocatione locali Iustiniani, sed ex conuocatione absoluta, & assensu Summi Pontificis, volentis prosecuutionem Actuũ Conciliarium, & adhibentis eisdem confirmationem. Ex quibus potiùs ostenditur, conuocationem factam ab Imperatore Laico, fuisse illegitimam, & vsurpatam.

35 Nec valet Mornæi cauillus, dicentis; Vigilium, Concilio noluisse præsidere, quia ignorabat ipsemet, sibi tale aliquod ius præsidendi cõpetere.

36 Nam, Pontifices non erant tã Canonum rudes, sicut ipse est historiæ. Sciebat, & optimè Pontifex, Præsidentiam, & conuocationem Concilij sibi esse debitam, & quia hoc sciebat, & Iustinianus Episcopos Constantinopolim, præter Pontificis voluntatem euocauerat; ideò noluit nec per se, vel per suos Legatos ibi præsidere. Et hoc est optimè scire, præsidentiam illam sibi esse debitam. Preterquam quòd, hoc, vt diximus, constat ex litteris Eutychij Patriarchæ Constantinopolitani, & ex alijs, vt vidimus. Sed Mornæus suam insciticm prodit, tum in hoc, tum in eo quod dicit, huic Concilio præfuisse Mennam; sed mentitur; tũ quia Mennas; Euthychij prædecessor, nõ præfuit huic, sed alteri Cõcilio Prouinciali, vt patet ex Nicephoro lib. 17. cap. 9. & ex Zonora in Vita Iustiniani; tum etiam, quia, vt ijdẽ testantur, huic Concilio præfuit Euthichius, Mennæ successor, qui, vt dictum est, Præsidentiam Romano Pontifici reseruabat, si ipse Pontifex voluisset.

37 Sextum Concilium Generale, fuit Constantinopolitanum 3. celebratum anno 681. vbi conuenerunt 289. Episcopi, sub Agathone Papa, anno 12. Constantini 4. Pogonati, conuocatum contra Sergium, Paulum, Pyrrum, Cyrum, & Theodorum Monothalitis, dogmatizantibus, vnicam tantùm in Christo esse volũtatem, & operationem. Hoc Concilium fuit conuocatum à Domno, seu potius Agathome Põtifice Romano, petente Imperatore Cõstãtino præfato, qui cũ hoc fine litteras supplices Domino Pontifici Romano dedisset, vt Concilium indicere dignaretur, (quæ littere extant ante collationem 6. Synodi) vrgens Monothelitarum anathematizationem; Domnus, iam morte præuentus, litteras haud vidit; Litteræ ad Agatonem Papã Domni Successorem delatæ, (vt patet ex Diuali Sacra Imperatoris scripta ad Georgium Patriarcham) nihil de Concilio actum est, donec Agathonis litteras Imperator accepisset, & Papa Legatos destinasset, Concilijque conuocandi ministerium Papa Imperatori non demandasset; Quod, & Agato perfecit. Rem, præter recensitos, etiam narrat Sigonius lib. de rebus Italiæ, vbi edicens Catholicorum, & Hæreticorum dissidia ait: *Statim cogitare de Concilio Imperator ad eam rem indicendo cæpit, sperans si Pontifex annueret rem posse haud difficilè conuenire*. Confirmat hoc Sabellius Enead. 8. lib. 6; his verbis: *Constantinus, ex Agathonis sententia*

Con-

Conuentum habuit ducentorum, & amplius Antistitum. Igitur, potestas conuocatiua Conciliorum, nō apud Laicos Imperatores, sed apud Pontifices auctoritatiuè residet, non tamen excludendo Imperatorum Ministerium, & adminiculationem.

38 Septimum Concilium Generale fuit Nicænum 2. anno 787. à 250. Episcopis sub *Adriano* 1. Papa, anno 8. Constantini, & *Irenæ*, contra Iconomachos. In hac Synodo fuerunt irritata *Acta* cuiusdam Cōcilij Constantinopolitani, quod Concilium fuit prorsus abolitum, ex eo, quòd fuit celebratum indicente Imperatore, absque Romani Pontificis auctoritate, vt patet *Act.* 6. eiusdem Concilij. Ex quo causa nostra firmatur. Fuit autem hec septima Synodus conuocata ab Adriano 1. Papa, petente Irenæ *Augusta*, vt patet ex eiusdem epistola initio Concilij inserta, & à nobis infra adducenda.

39 Octauum Concilium Generale fuit Constantinopolitanum 4. anno 870. in quo conuenerunt 383. Episcopi, sub Adriano 2. Papa, & Basilio Augusto, celebratum pro Orthodoxis Ecclesiæ dogmatibus, vbi Pohotius intrusus deponitur, & suæ Sedi *Ignatius* restituitur. Hoc Concilium fuit inductum ab eodem Adriano 2. Pontifice Romano, vt patet ex *Epistola Basilij* Imperatoris ad Pontificem, inserta eidem Concilio *Act.* 3; & ex Epistola Papæ Adriani ad *Basilium* Imperatorem, quæ extat Act. 1. in eadem Synodo, vbi Pontifex, Imperatori, hæc scribit: *Volumus pro vestræ pietatis industria Constantinopòlim numerosum celebrare Concilium.* Quibus verbis declarat Pontifex, non quidem *Imperatoris* auctoritatem, sed ministerium, & eiusdem erga Catholicam Religionem obsequium, & famulatum, hoc per ly *industria*, significatur.

40 Sed video Centuriatores obstrepere Cent. 5. cap. 7. colum. 786. dicentes, quòd ex hactenus dictis constat, frustra Catholicos asseuerare, solum Romanum Pontificem conuocasse Concilia; cùm, vt dictū est, non solus, sed cum *Imperatoribus* indixerit Concilia.

41 *At* tamen hi, plumbeo pugione nos impetunt. Quandoquidem, cùm dicimus *solum* Pontificem, *solā* Romanam Sedem, Concilia conuocasse, ly *solum* & *solam*, non excludit à concomitantibus, neque excludit causas instrumentales, ministeriales, mediatrices, & executrices, sed excludit Potestatis principalitatem, & Auctoritatem Capitis quæ in solo Romano Pontifice residet. Solus ergo Papa, mediante Ministerio, ope, & defensione *Imperatoris* Concilia auctoritatiuæ indicit, & approbat. Et in hoc sensu dixit Gelasius in Epist. ad Episc. Dardaniæ, *Sola Apostolica Sedes, vt Synodus Chalcedonensis fieret, sua auctoritate decreuit.* Quid sit, solum Pontificem indicere Concilia.

42 Nonum Concilium Generale fuit Lateranense 1. Romæ à Calixto 2. celebratum anno 1123. conuocatum ab eodem Pontifice contra Hēricum *Imperatorem*, & Saracenos pro recuperatione *Terræ Sanctæ*, ex Platina, & Onuphrio.

43 Decimum fuit Lateranense 2. sub *Innocentio* 2. Pontifice, tempore Lotharij Imperatoris, consedentibus mille circiter Prælatis; & hoc Concilium fuit indictum ab eodem *Innocentio* Papa ad damnandas hæreses Petri Abailardi, *Arnaldi* de Brixia, & ad Schismaticos reprimēdos: ex ijsdem.

44 Vndecimum fuit Lateranense 3. anno 1170. sub *Alexandro* 3. Papa, tempore Friderici 1. Imperatoris, conuocatum ab eodem Pontifice Alexandro, ad tuendam Ecclesiasticam disciplinam, & damnandos Vualdenses, Chatharos, seu Publicanos, Patarenos, & Albigenses.

45 Duodecimum item Lateranen-

Digitized by Google

nense 4.anno 1215. sub Innocentio 3.Pontifice, Imperante Friderico 2. in quo fuerunt 412. Episcopi, septuaginta Primates, & Metropolitani, Abbates, & Priores plusquã 800. Fuit conuocatum à Papa Innocentio contra peruersum Almerici dogma, in septuaginta capita digestum, corpore Iuris insertum. Ex Palmerio, & ijsdem.

46 Tertiumdecimum fuit Lugdunense anno 1245. sub Innocentio 4. tempore Imperij Friderici 2; ibi Patriarcha Constãtinopolitano, Antiocheno, & Græco Imperatore cõsedentibus. Fuit conuocatum ab eodem Pontifice, vbi causa Friderici Cæsaris ad finem est perducta, & de Hierosolymorum Regno tuendo est discussum. Ex ijsdem.

47 Quartumdecimum fuit Lugdunense 2. anno 1274. sub Gregorio X. Pontifice, imperante Rodulpho Augusto celebratum. Fuit indictum ab eodem Pontifice contra errores Græcorum, qui ibi Pontificis Romani Primatum agnouerunt, & Spiritũ Sanctum à Patre, & Filio tanquam ab vno principio procedere professi sunt.

48 Quintumdecimum fuit Concilium Viennense anno 1311. sub Clemente 5. Papa, imperante Henrico septimo. Fuit conuocatum ab eodem Clemente contra Beguardos, & alios hæreticos. Ex Onuphrio, Palmerio, & alijs.

49 Sextumdecimum fuit Concilium Constantiense anno 1414. incoatum sub Ioanne 23, tempore Sigismundi Augusti, & absolutum anno 1418. sub Martino V. Quod Cõcilium, esto quantum ad Acta in primis sessionis, maximè concernentia auctoritatem Concilij supra Papam, fuerint rescissa, & reprobata; tamen quantum ad sequentia, fuerunt confirmata à Martino V. Fuit hoc Concilium indictum à Ioãne 23, ex præcitatis Scriptoribus, & ex eodem Concilio.

50 Decimumseptimum fuit Cõcilium Florentinum anno 1439. sub Eugenio 4. Summo Pontifice, tempore Alberti Imperatoris. Fuit hoc Concilium indictum ab eodem Eugenio contra errores Græcorum, vbi rursus Ecclesia Greca, cũ Latina coaluit. Ex ijsdem.

51 Decimumoctauum fuit Lateranẽse V; quod incœpit anno 1512. sub Iulio 2. Pontifice, tempore Maximiliani Cæsaris, & fuit absolutum anno 1517. sub Leone X. Summo Pontifice. Fuit hoc Concilium congregatum à Iulio 2. Papa contra Schismaticos.

52 Decimumnonum fuit Concilium Tridentinum anno 1545. inchoatum sub Paulo Papa 3. tempore Caroli V. Imperatoris semper Augusti, & fuit absolutum anno 1563. sub Pio 4. Pontifice, tempore Ferdinandi Imperatoris. Fuit congregatũ, & indictum à Paulo 3. Romano Põtifice contra erumpentes hæreses Lutheranorum, & Caluinistarum.

53 Ergo ex perpetua, continua, & inueterata Ecclesiæ consuetudine, & praxi, omnia Concilia Generalia fuerunt auctoritatiuè à Summis Romanis Pontificibus, & non ab Imperatoribus indicta, & congregata.

54 Reclamat Rousellus, & dictis obijcit quòd esto omnia Concilia post 8. Synodum celebrata, fuerint iussu Romani Pontificis, & non Imperatoris conuocata, id factum est, quia Papæ auctoritas, ex tunc in Spiritualis simul, & in temporalibus lõgè latèque preualuit; Tamen omnia Concilia antecedentia ad 8. Synodum, fuerunt ab Imperatoribus indicta. Sic ipse in hist. Pontificalis Iurisdictionis lib. 3. cap. 2. n. 7.

55 At nos contrarium euicimus tum ex Actis Conciliorum quæ 8. Synodum præcesserunt, tum ex probatis Annalium Scriptoribus. Et quidem patet ad librum, ea omnia, annuẽtibus Romanis Pontificibus fuisse

Digitized by Google

se indicta, nec Imperatores ea aliquando conuocasse ministerialiter, nisi Romani Pontificis auctoritate, à qua, effluxit executio Conciliorũ, Imperatorũ ministerio, ope, ac adminiculatione habita, vt supra dictum est. At Rousello Rousellum, opponimus; ipse enim loco citato, ex 8. Synodo can. 17. probat, contra ius & iustitiam, imo & impium esse, si vellent Reges, & Principes seculares impedire Episcopos, ne ad Concilia à Summo Pontifice conuocata conueniant, *cùm enim* (ait ipse huius rationem reddens) *Principes pro suis causis frequenter Conuentum agant* (secularium, pro rebus ciuilibus) *Impium est, vt Summos Præsules ad Synodos pro Ecclesiasticis negotijs celebrandas impediant, vel quosdam à Conciliys eorum prohibeant*. Igitur, agnoscit iste Protestans, duplicem, distinctam auctoritatem, laicalem, scilicet & Pontificiam, & asserit impiè agere Principes seculares, si in Congregatione Conciliorum Ecclesiasticorum se immisceant, cùm hoc, nullo modo ad eorum auctoritatem pertineat. *Ad* id quod addit de accretione potestatis temporalis, sunt meræ nugæ, cũ in Sacris Scripturis, auctoritas hæc, sit ex *Diuino* mandato solis Sacerdotibus, ac Põtificibus commissa, & pertineat ad potestatem clauium, & Iurisdictionis; & *D.* Petrus congregauit Apostolorum Concilia, non verò *Tiberius*, & tamen tunc Apostoli, & Episcopi nihil temporale possidebant; quin, & ante Reges, & Presides ducebantur propter nomen Iesu Christi Saluatoris.

56 Probatur 4. Veritas Catholica, ex auctoritatibus Imperatorum qui vltrò fatentur, indicendorum Conciliorum auctoritatem non sibi, sed Summis Pontificibus Romanis à Christo esse collatam. Valentinianus, & Marcianus *Augusti* in Epistola quam dederant ad Leonem Papã, que extat in præambulis Concilij Chalcedonensis n. 33. & 34; sic in rẽ nostrã scribunt: *Ad hoc maximũ Imperiũ venimus Dei prouidẽtia, & electione Senatus Excellentissimi, cunctæque militiæ. Vnde, pro rẽuerenda, & Catholica Religione Christianæ fidei, cuius auxilijs virtutem nostræ potentiæ confidimus gubernari, tuam Sãctitatem, Principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidẽtem, sacris literis in principio iustum credimus alloquendam: inuitantes atque rogantes, vt pro firmitate, & statu nostri Imperij æternam diuinitatem tua Sanctitas deprecetur, vt & tale propositum atque desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato, per celebrandã Synodũ te* AVCTORE, *maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat, ab omni scelere pura, & intemerata consistens.* Ex quibus habent Serenissimi *Angliæ* Reges, ac Principes cæteri, hæreticorum erroribus Imperia demoliri, subiectione filiali ad Pontifices Petri successores, ac Christi Vicarios, summa stabilitate firmari. Quare poscunt imperatores, vt Pontifex sua auctoritate Concilium conuocet, erroresque hæreticorum submoueat & eliminet, pro pace totius Imperij, & Episcoporum Catholicæ Fidei.

58 Præterea, Marcianus Epist. ad eundem Leonem, Pontifici supplicat, vt dignetur mentem, & voluntatem suam aperire, eamque ei significare, circa Concilij indictionẽ, vnde sic scribit: *Superest vt si placuerit tuæ Beatitudini in has partes aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere ex Religionis affectu dignetur, nostris vtique desideryjs Sanctitas vestra satisfaciet, & Sacræ Religioni quæ vtilia sunt decernet: Si verò hoc oneroſum est, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipsum nobis propryjs literis tua Sanctitas manifestet, quatenus in omnem orientem, & in ipsam Traciã, & Illyricum sacræ vestræ* liter-

litera dirigantur, vt ad quendam definitum locum, vbi nobis placuerit, omnes Sanctissimi Episcopi debeant conuenire, & quæ Christianorum Religioni, atque Catholicæ Fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas regulas definiuerit, sua definitione declarent. Patet ergo Sereniſſimos Imperatores cogendorum Conciliorum auctoritatem haud ſibi arrogaſſe, ſed Pontifici detuliſſe; quin, & Acta Conciliorum nullam vim habere, niſi à Pontifice ſit vltimâ definitione, & approbatione roborata.

58 Pulcheria *Auguſta* ad eundē Pontificem Romanum Epiſtolam dedit, eique ſupplicabat, vt Concilium indicat: extat hæc Epiſt. in Præambulis Concilij Chalcedonenſis, & eſt 35. *Propterea* (ait) *tua Reuerentia quocumque modo proſpexerit ſignificare dignetur, vt omnes etiam totius Orientis Epiſcopi, Thraciæ, & Illyrici, in vnam Ciuitatem velocitèr valeant conuenire, & illic facto Concilio & de Catholica Confeſſione, & de his Epiſcopis, qui ante hæc ſegregati ſunt, ſicut fides, & Chriſtiana pietas exigit, te AVCTORE decernant.*

59 In *Actis* Concilij Romani 4. legimus, quòd cum Theodoricus Rex, cauſam Symmachi cum Epiſcopis attentaſſet diſcutere, eoque fine illud Concilium ſe cōuocaſſe dixiſſet; Epiſcopi, & Patres congregati, reſtiterunt Theodorico, nolentes aliquid tractare, ex eo, quòd cùm cogendorum Conciliorum auctoritas eſſet ſolùm penes Pontificem, & nō huius, ſed Imperatoris auctoritate illud Concilium eſſet conuocatum; fieret inde, omnia in illo ſancita eſſe irrita, vptotè non legitimè facta, ex defectu legitimi Conuocatoris, & Indictoris: Quibus reſiſtentibus, Rex litteras Pontificis oſtendit, in quibus mandauerat Concilium indici; ſicut & idem Pontifex ijſdē Epiſcopis (ob hanc cauſam) mærentibus, ſe ſtatus eſt, & ſic (vt dicitur ibidem) *Cauſa, quæ Sacerdotum animis, de Concilio nō dum firmato triſtitiam miniſtrabat abſciſſa eſt.* Ex quo habemus, Regem laicum Arianum, Eccleſiaſtica iura reueritum, Romano Pontifici ius, & auctoritatem indicendorum Conciliorum detuliſſe; & oſtenſis Papæ litteris, executorem ſe eius voluntatis declaraſſe, nec Concilium ratum fore agnouiſſe; niſi, eo Summo Romano Pontifice indicente, & approbāte; quamuis *Arianè*, & tyrannicè in cauſa Symmachi ſe immiſcuerit. Rès tota, in *Actis* eiuſdem Concilij narratur, his verbis: *Pontifices ſuggeſſerunt, ipſum qui dicebatur Imperitus debuiſſe Synodum conuocare, ſcientes quia eius Sedi primum Petri Apoſtoli meritum, vel Principatus, deinde ſecuuta Domini iuſſione, Conciliorum venerandorum auctoritas ſingularem Eccleſiæ tradidit poteſtatem; nec ante dictæ Sedis Antiſtites, minorum ſubiacuiſſe iudicio, in propoſitione ſimili* (conuocandi Concilia) *facile forma aliqua teſtaretur.* His dictis ab Epiſcopis, Rex Theodoricus Arianus, Summi Pontificis Romani, Epiſtolas oſtendit: vnde ſubditur ibidem. *A manſuetudine eius pagina poſtulata ſunt, quas ab eo directas conſtabat, haſque dari Sacerdotibus ſine tarditate conſtituit, & quicquid in eodem negotio actum, ſcriptis Romam ex diuerſis terrarum vel regionum partibus Dei proſecutione præuentum eſt:* Et ibidem ſequitur: *Pontifex de vocatione* (miniſteriali, & ope Regia preſtita) *Synodali Clementiſſimo Regi gratias egit*: Et ſic, *cauſa de Sacerdotum animis, quæ de Concilio nō dum firmato, triſtitiam miniſtrabat, abſciſſa eſt, auctoritatem ordinis colligendi, ſicut Eccleſiaſtica ſtatuta in omnium, qui ibi aderant, Epiſcoporum præſentia, ſe dare, vel dediſſe profeſſus eſt.*

61 Probatur quintò ratione ex Verbo Dei petita. Nulla Synodus eſt legi-

legitima, nisi sit in Christi nomine congregata: Sed congregari in Christi nomine, est congregari auctoritate Ecclesiastica, ac Pontificia, non autem ciuili, ac Regia: ergo Concilia legitima sola Pontificis Romani, non autem Regia, vel Imperiali debent congregari. Maior patet ex Euangelico Matt. 18; eamque non inuitus concedit Caluinus lib. 4. Inst. cap. 9. §. 1. & 2; consequentia rectè deducitur. Minor in qua est difficultas, probatur; Congregari in nomine Christi idem est, ac congregari auctoritate Christi spirituali; sed auctoritas Christi spiritualis suprema, soli Petro, ac Romanis Pontificibus eius successorius, Christi Vicarij, & non Tiberio Cesari est collata, dum dixit: *Pasce oues meas, confirma fratres tuos*, &c. Non verò Regibus, ac laicis; ergo congregari in Christi nomine est congregari auctoritate Ecclesiastica, & Pontificia, non laica, ciuili, & Regia. Minor patet ex dictis, consequentia deducitur iuxta Dialecticæ regulas: Minor probatur ex Euangelijs; Nam, cùm Marci vltimo dicitur: *In nomine meo Dæmonia eijcient.* Ioannis cap. 5. *Nonne in nomine tuo prophetauimus?* Actor. 4. *In qua virtute, aut in quo nomine hoc feciſtis?* Et alibi sepæ; ly in *nomine* idem valet, ac *auctoritate*; ergo congregari in nomine Christi, est conuocari auctoritate Christi, quæ est Ecclesiastica, spiritualis, ac soli Pontifici concessa. Ergo congregatio legitimorum Conciliorum pertinet ad Ecclesiasticam Romani Pontificis auctoritatem, & non ad ciuilem Imperatorum, ac Regum.

62 Præterea; *Ab eo* potest conuocari Concilium Generale, qui habet auctoritatem Generalem conuocādi ex toto Orbe. Sed nullus Impetator, neque Rex nec habet, nec habuit potestatem neque Ciuilem, super omnes Christianos, qui sunt per omnes Orbis oras dispersi. (Quādoquidem cùm olim Romani Imperatores essent longè potentiores, nō habebant potestatem æqualem potestati spirituali Ecclesiæ ex Leone Papa serm. 1. de *SS.* Petro, & Paulo, *latiùs præsidet religione diuina, quàm dominatione terrena.*) Ergo nullus Imperator neq; Rex habere potest, neque habet potestatem conuocandi Concilium Generale.

63 *Dices:* Ergo saltem habebunt potestatem conuocandi Concilium Nationale, vel Prouinciale:

64 Negamus consequentiam: tum quia, vt dictum est, potestas conuocātiua Conciliorum singula singulis congruè referendo, spectat ad potestatem Clauium, & spiritualem; tum etiam quia, ipsi met Protestantes mordicus defendunt, quòd horum Synodorum indictio, pertinet ad Patriarchas, Primates, & Archiepiscopos, vel Episcopos Ecclesiæ, & non ad laicos, vt mox videbimus. *Pro quo.*

65 Probatur sextò specialibus Principijs, & Testimonijs Protestātium inhærendo Caluinus lib. 4. Instit. cap. 7. §. 8; Centuriatores Centur. 4. cap. 7. col. 534; & alij Protestantes communitèr, asserunt, Concilia *Dioecesana* ab *Episcopo*; *Prouincialia* ab *Archiepiscopo*; *Nationalia* à Patriarcha, vel Primate conuocari debere. Ergo ex eorum principijs tenentur cōcedere, quòd Cōcilia Generalia, nō possint nisi à solo summo Pontifice Romano, & non ab Imperatore, vel Rege *Anglorum* auctoritatiuè congregari. Probatur consequentia. *In Ecclesiasticis* sicut Episcopus quia præest vni *Dioecesi* in spiritualibus, potest indicere Cōcilium *Dioecesanum*, & ob eamdem rationem *Archiepiscopus Prouinciale*, & *Patriarcha* vel primus *Nationale*, & nō *Reges*, vel magistratus; ita etiam (sistendo in principijs aduersariorum) quia Pontifex Roma-

Digitized by Google

nus præsidet in spiritualibus Ecclesiæ Vrbis, & Orbis, ad ipsum solum spectat Generale Orbis Concilium cõuocare, & nõ ad Imperatores, vel Reges laicos. Aliàs, Principes etiam, vel Magistratus alicuius particularis ditionis vel Prouinciæ, possent Diœcesana, vel Prouincialia, vel Nationalia Concilia conuocare, (cùm non sit maior ratio de vno quàm de alio, proportione seruata) quod aduersarij negant.

66 Hanc rationem ex aduersariorum penu confirmamus. Et quidèm, ratio hæc vrgetur à Cartuurighto in 2. Replica par. 2. pag. 582. medio, vbi ait: *Si ad conuocandum Cõcilium Prouinciale, Archiepiscopus necessario requiritur, cum dissentiunt Episcopi; necessarium etiam erit Papam ponere, qui Generale Concilium conuocet, cum dissident Archiepiscopi: Cùm enim vnius Prouinciæ Episcopi variant, vt vos à me, sic ego à vobis. Rursus quæro, Quis eos conuocabit? Quis eos officij sui admonebit? Si hoc sine Papa fieri potest, & illud sine Archiepiscopo fieri poterit.* Innuens neutrum fieri posse. Ex quibus verbis, præcedens ratio mirificè confirmatur, & quod in præsentiarum intendimus, ab Aduersario obtinemus, scilicet, quòd potestas conuocatiua Conciliorum Generalium, in solo Pontifice Romano, sicut & conuocatio Conciliorum Prouincialium, vel Nationalium in Archiepiscopis, & Primatibus residet. Adeoque sicut illa conuocare non spectat ad Principes, & Magistratus seculares; ita, nec Generalia conuocare spectat ad Reges vel Imperatores laicos.

67 Sed, & Rousellus qui cogendorum Conciliorum auctoritatem à Summo Romano Pontifice, in Laicos Reges transtulerat; ediserens Christianissimorum Regum Galliæ de hac re sententiam, pro conseruanda Pontificis Romani, in hac re auctoritate; ipse immemor eorũ quæ dixerat in mendacio, vel inuitus in rem nostram loquitur, in suo Tract. de Iurisdictione Papæ cap. 4. vbi ait: *In singulo quoque quinquennio (loquitur de Regibus Galliæ) Synodum Ecclesiasticam conuocare possent Cleri reformandi causa CONCESSVM Ludouico XI. cuius CONCESSIONIS auctoritate conuocationem promulgabat.* Vides en ex isto Protestante, quomodo Concilia etiam Nationalia, non nisi auctoritate Romani Põtificis, Christianissimis Regibus tantùm ministerialem curam impendentibus, fuisse conuocata?

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

68 ARguunt 1. Caluinus, Cẽturiatores, Mornæus, Pomeranus, Rex Angliæ, Rousellus, Spalatensis, Hornus, & alij, locis vbi supra in Mendacio. Concilium Nicænum 1. Generale fuit cõuocatum à Constantino Imperatore, ex Ruffino lib. 10. hist. cap. 1; & ab eodem fuit indictum Concilium Sardicense, ex Theodoreto lib. 2. cap. 4. Constantinopolitanum 1. à Theodosio Seniore indictum fuisse constat ex Theodoreto lib. 5. cap. 9. Sozomeno, & Socrate. Ephesinum 1. fuit coactum ab Imperatoribus Theodosio, & Valentiniano, vt patet ex epist. eorumdem ad Cyrillum inserta in Act. eiusdem Synodi cap. 25. tom. 1. Conciliorum. Chalcedonense, à Martiano Imperatore indictum fuisse asserit S. Leo Papa epist. 43. & 64. Quinta Synodõ fuit à Iustiniano coacta. Sexta à Constãtino 4. vt patet ex eadem Synodo Act. 1. & 5. Septima Synodus (quæ & Nicæna 2.) ab Irene Augusta: Octaua, à Basilio Imperatore, ex Cedreno, & alijs. Hæc Protestantes, nã, de posterioribus Concilijs post 8. Synodum iam regulariter concedunt ea fuisse à solis Pontificibus indicta, teste Rousello Protestante in histo-

ria.

ria Pontificalis iurisdictionis lib. 3. cap. 2. num. 7.

69 Respondetur 1. vna fidelia parietem dealbando; Quòd omnia Concilia in argumento recensita, fuerunt Romanis Pontificibus annuentibus, vel præcipientibus indicta; vt in 3. Probatione manifestauimus. Illis adde.

70 Concilium Nicænum non fuit congregatum à Constantino, sed à Sylvestro Papa auctoritatiuè; nam, vt narrat Nicephorus lib. 8. cap. 6. Theodoretus lib. 1. cap. 4. & Annales Ecclesiastici anno 318. Syluester certior factus per litteras ab Alexandro Episcopo Alexandrino, quod Ariana lues validè per Orbem Catholicum grassaretur, Pontifex pro suo munere, Osius Cordubensē, Legatum ad *Alexandrum Præfatum* destinauit cum potestate tùm conuocandi, tùm præsidendi in Concilio. *Hoc* adeò verum est, vt *Athanasius* Apologia 2. cont. *Arianos* id sequentibus verbis confirmet: *Præsente Apostolicæ Sedis Legato*, (in Concilio Nicæno 1.) *omnes Episcopi illarum Prouinciarum, qui parebant Episcopo Alexandrino, fuerūt ad Syndum CONVOCATI.* Non ergo fuerunt congregati à Constantino. Vide quæ diximus hic, num. 30.

71 Quod dicunt de Concilio Sardicensi, errant, nam non fuit indictū neque sub Sylvestro, neque sub Cōstantino, sed sub Iulio Papa, & Constantio Imperatore, ex Theodoreto lib. 2. cap. 4. Tamen, hoc Concilium fuisse indictum à Iulio Papa, constat ex Socrate lib. 2. cap. 16. vbi ait: *Orientales Episcopi culpam absētiæ suæ à Sardicensi Concilio in Iulium Episcopum Romanum contulerunt, eo quòd nimis angustum tempus præscripserit.* Igitur, præscripsit Iulius tempus conueniendi ad Concilium; ergo etiam cōuentum indixit. Egebat tamen Iulius bracchio Imperatoris ad comprimendam multorum Episcoporū Arianorum temeritatē ex Balsamo Præfat. in Concil. Sardicense.

72 Concilium Constantinopolitanum 1. fuisse à Papa Damaso indictum, patet ex epistola Episcoporum Orientaliū, (qui se excusarunt, quod non potuerant Romam venire ad celebrandum concilium) ad Damasum, qui Concilium hoc indixerat, vbi dicunt: *Constantinopoli MANDATO litterarum superiori anno à Reuerentia vestra post Concilium Aquileense ad Sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, &c. vt sup.* Et rursus ibid. cap. 9. scribentes ad Damasum, Ambrosium, & alios Romæ, inquiūt, *Sciuistis nos per Imperatoris litteras*, &c. Igitur, Pontifex Synodum conuocauit per litteras, Imperator ministerium tantùm impendit, Pontificis litteras ad Episcopos transmittendo. Vbi hic auctoritatiua cōuocatio ab Imperatore facta? Vide quæ de hoc argumento dicta sunt hic num. 33.

73 Concilium Ephesinum à Papa Cælestino, & non ab Imperatore fuisse indictum constat ex Act. 3. eiusdem Synodi, vbi legitur, quod ipse Romanus Pontifex ante Concilij indictionem, Cyrillum Legatum instituit. Dum enim Episcopi Occidentales dicunt, quod distantia loci prohibuit ne ad Synodum venirent, addunt: *Tamen illis in locis simul congregati Cælestino Sanctissimo pijssimoque magnæ Romæ Episcopo etiam præsēte, & nunc nostram de fide sententiam magno consensu prædicarunt, &c. Hæc quidem etiam antequam Sanctissima hæc Synodus conueniret, Cælestinus primus magnæ Romæ Episcopus per litteras suas indicauerat; Cyrilloque Sanctissimo Deoque dilectissimo magnæ Ciuitatis Alexandriæ Episcopo, vt suas vices subiret, commiserat.* Non à casu Pontifex, Cyrillum, ante Synodi cōuocationem, suum Legatum instituit, sed vt præsideret Concilio à se conuocando. Videantur quæ supra diximus, num. 35.

Digitized by Google

76 Concilium Chalcedonense non ab Imperatore Theodosio, sed à Leone Papa fuisse indictum testatur Valentinianus Imperator epist. ad eundem Theodosium, quæ extat inter præambulas ad Præfatum Cõcilium, vbi de eadẽ Synodo loquens, ait: *Beatissimus Leo voluit intra Italiã ex tota Orbe Episcopos conuenire.* Quod si non fuit in Italia postmodum celebratum, hoc rerum exigentiæ, ac Pontificis indulgentiæ, ac conniuentiæ tribuendum, modò habeamus, à Pontifice fuisse indictum. Videantur vberiora sup. num. 40.

77 Concilium Constantinopolitanum 2; seù quinta Synodus, fuit Pontificis Vigilij nutu congregata, vt iã in 3. probatione vidimus. Quòd si velint contrarium aduersarij; dicimus, eam fuisse illegitimam, donec eiusdem *Acta* rata haberentur à Vigilio, & ab eodem fuissent approbata, ex qua approbatione robur, & vim quam antea, ex defectu legitimæ conuocationis non habebant, obtinuerunt. Vide supra. num. 33.

78 Concilium Constantinopolitanum 3. seù sexta Synodus Generalis, fuit congregata ab *Agatone* Papa, Rogatu Constantini Pogonati Imperatoris, vt patet ex *Actione* 6. eiusdem Concilij, vbi Legati, ab eodem Pontifice missi, sic Imperatorem alloquuntur: *Benignissimè Domine, secundùm sacram à vestra magnitudine ad Sanctissimum Papam ROGATIONEM demandati sumus ad pijssima vestigia vestræ Serenitatis, vna cum eius SVGESTIONE, quam obtulimus coronatæ vestræ Serenitati.* Rogauit ergo, & petijt Imperator à Pontifice, vt Concilium indiceret; & Pontifex Concilium indixit, exequente Imperatore Pontificis voluntatem, ad quod Cõcilium *Agato* Papa misit Legatos eũ sugestione, seù instructione. Sed clariùs id habemus in Act. 18. eiusdem Concilij in sermone acclamatorio, vbi Patres eidem dixerunt: *Proindè inspiratione Spiritus Sancti conspirantes, & ad inuicem omnes consonantes, atque consentientes, & Agatonis Sanctissimi Patris nostri, & Summi Papæ dogmaticis litteris ad vestram fortitudinem missis consentientibus &c. prædicamus* &c. Igitur, epistolæ Agatonis transmissæ fuerunt ad Imperatorem pro habendo Concilio, vt brachium suũ ministeriale impenderet, pro pace seruanda, & tutela Sacerdotum conuenientium ad Concilium, contra refractarios, & Monothelitas. Videda sunt quæ diximus supra num. 37.

79 Concilium Nicænum 2. seù septima Synodus, non ab Irene Augusta, sed ab Adriano 1. Romano Pontifice fuit indicta, petentibus Cõstantino, & Irene; & conuenientibus simul Pontifice, & Imperatore, vt cõstat ex *Diuali* directa ab Imperatore ad *Adrianum* Pontificem, sequentis tenoris: *Debitum nobis, & vobis ò Sanctissimum Caput, hoc est, vt irreprehensibiliter, quæ eius sunt sapiamus &c. Vndè nunc constanter cum mundo corde, & vero cultu, quæ ad Deum pertinent, vnà cum omnibus subditis nostris, & his Sacerdotibus doctissimis locuti sumus, & cum consilio decreuimus, vt fieret vniuersale concilium* &c. Vide clariùs *Augustæ* petitionem, quam habes supra in nostra 4. probatione num. 38.

80 Concilium Constantinopolitanum 4. seù 8. Synodus fuit indicta auctoritatiuè ab *Adriano* 2. & ab eodem congregata per ministerium Imperatoris Basilij, vt constat ex epist. eiusdem *Adriani* ad Imperatorem quæ extat tom. 2. Conc. epist. 3. sequentis tenoris: *Qui omnium iura Regnorum, omniumque continens potestatem, his tuum diebus suscitauit cælitus protectum Imperium, per quod (tanquam per ministrum) Apostolica Sedes cæptum pro Ecclesia Constantinopolitana pietatis opus (scilicet concilium &c.) consummaret* &c. Igitur Pontifex, pietatis opus, seù Concilium, per ministerium Imperij consum-

sumauit; adeòque, Imperator non auctoritatiuè; sed tantùm ministerialitèr se immiscuit in conuocatione, & celebratione concilij. Vide n. 29. Atque per hæc satis, superque Aduersariorum obiectioninus factũ puto. Sed

81 Respõdetur 2. ex dictis in notabilibus, & ex doctrina Turrecrematæ lib. 3. cap. 5. ad 2. rationem dicentis, *Non erat ita potens*, tunc Pontifex, *vt de facto posset compellere nolentes venire, & securum accessum dare de longinquis partibus vocatis, & congregandis; & ideò Apostolica Sedes faciebat sæpè, quod per se ipsam facere commodè non poterat, posteà verò, cùm disponente Domino, potuit per se; non per Principes, sed per se ipsam fecit, & facit.* Consulendus etiam est Sanderus de Visibili Eccle. Monarchia lib. 2. cap. 3.

82 *Arguunt* secundò ijdem, signantèr Mornæus opposit. 29. pag. 156. Carolus Magnus plura Concilia congregauit, scilicet, Moguntinũ, Remense, Turronense, Cabilonense, Arelatense, &c. Item Ludouicus coegit Concil. Aquisgranese, Ticinense &c. Ergo ad Reges hæc auctoritas pertinet.

83 Respondetur, distinguo antecedens, congregauit auctoritatiuè, nego antecedens; Ministerialitèr, cõcedo antecedens, & eodem modo distinguitur consequens. Quare idẽ Carolus Magnus vt in tali conuocatione ostenderet suum ministerium & non auctoritatem, in suis Capitulis lib. 6. cap. 267. ait: *Auctoritas Ecclesiastica, atque Canonica docet, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Igitur, hanc auctoritatem Põtifici tribuit, sibique solũ ministeriũ, nõ auctoritatẽ pertinere declarat in illa conuocatione Synodorum, quod patet ex eiusdem Regis confessione, que extat in Decreto de custodia decretorum Pontificum lib. 6. cap. 167. *Ita vnanimes diuinis, & Apostolicis constitutionibus seruiatis, vt in nullo patiamini pia Canonum decreta violari, vt nulli fas sit, sine status periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare.* Cùm autem, vt nuper diximus Carolus Magnus asserat *Auctoritatem* Canonicam docere, ne conuocentur Concilia sine assensu Romani Pontificis; certo certius est, quòd temerata essent Apostolicæ Sedis decreta, si auctoritatiuè, à Rege laico & non à Pontifice conuocarentur.

84 Arguũt tertiò ex Nilo Episcopo Tessalonicẽsi. Leo Papa supplex petijt à Theodosio Imperatore vt ius suum interponeret in conuocando Concilium in Italia, his verbis: *Pietas vestra suggestioni nostræ dignetur annuere, vt intra Italiam inbeatis habere Concilium.* Sic etiam Epist. 44. supplex interpellauit Martianum vt Concilium differret. Ergo.

85 Respondetur, quòd Pontificũ supplicatio, eorum auctoritatem nõ imminuit, sed humilitatem commendat, d. q. 6. cap. *cum ad veram de Pontificia, & Imperiali dignitate* habetur: *Sic Deus* (dignitatibus distinctis) *officia potestatis vtriusque distreuit propria, volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus ad inferna demergi; vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantumodò rerũ Imperatoribus vterentur.* Et propter hoc Pontifex, *Seruus Seruorum Dei* appellatur, vt exertè habemus, ex Innocentio Papa 3. serm. 2. de consecratione Pontificis maximi, *Vt humilitate maiestatem temperarent; nam, & superborum contumaciam ex Principatus virtute, & Præsulatus officio satis vrgebant.*

Imperatores pro æternis indicent Papa; Papa pro temporalibus Imperatore vtitur.

Papa, vnde seruus, seruorum Dei appellatus?

86 Sed supplicationes Pontificis in argumento expositæ, sicut aliæ aliorum Pontificum, non erant per modum subiectionis, sed per modũ humanitatis pastoralis, ad procurandam

dam executionem, & ministerium Imperatorum ad conuocanda Concilia, & ad ferendas manus adiutrices, & auxiliares, in custodiendis Episcopis, in saluo conductu, in expensis, & similibus; quare, non est mirum si se aliquantisper demittebant pro rebus temporalibus, quando, & Imperatorum maiestas se demittebat ad oscula pedum Pontificis. Synodus autem illa à Theodosio conuocata, sicut fuit illegitima auctoritate indicta, sic fuit illegitima declarata, de qua nulla habetur ratio, & Epist. 51. vocatur à Leone Papa Synodus prædatoria, eo quòd illa non iudicium, sed latrocinium exercuit; & contra canones fuit cõuocata. Humiliatio etiam illa Leonis ad Valentinianum facta, non arguit iurisdictionem spiritualem in Imperatore, sed potestatem temporalem, ministerialem in conuocanda Synodo, expensis, &c. Vnde dixit idem Leo ad Leonem Imperatorẽ; *Regia potestas non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidiũ est collata.*

Regia potestas ad Ecclesiæ præsidiũ collata.

87 Arguunt quartò ijdem, in specie, Pomeranus lib. 3. de Iurisdict. par. 1. cap. 14. Synodus dicitur Oecumenica, ideſt, totius Orbis; ergo debet conuocari ab Oecumenico domino, scilicet ab Imperatore qui dicitur Oecumenicus, & Dominus totius mundi l. deprecatio 9. ff. ad Leg. Rhod. de iact. vnde S. Lucas cap. 2. Augustum Imperatorem vocat Oecumenicus in descriptione totius Orbis.

88 Respondetur, Imperatores nõ esse Dominos totius mundi, sed tãtum illarum Regionum quæ ipsis subijciuntur. Sicut & Antiqui Imperatores, erant Domini illarum Prouinciarum, quæ Romano subdebantur Imperio. Et Lucas, dum dicit, vt *describeretur vniuersus Orbis*, loquitur figuratè per Sinedochen, *vt tollũt ad sidera fluctus*; non enim tunc, Vniuersus orbis erat subiectus Romanorum dominio. Papæ verò potestas per totum Orbem extenditur, cùm per totum Orbem sic sic Ecclesia propagata, & Pontifex *latius præsidet religione diuina, quàm olim Imperatores Romani dominatione terrena*, vt dixit Leo; & sic, ex omni loco & gente potest Episcopos conuocare, quòd esto ex omni orbis parte nõ veniãt, adhuc in Cõcilijs totum orbem cõueniisse censeatur, sicut in 8. Synodo contra Photium congregata, eidem Patres dixerunt: *Loquere Photi, totus mundus hic est.*

89 Arguunt 5. ijdem, sed specialiter Rousellus vbi supra, & Mornæus oppositi. 34. Papa Gregorius epist. 12. lib. 4. præcepit Episcopo Diensi, vt Concilium in Cameracensi Prouincia celebraret, habito consensu Regis Francorum; qui si recusaret, Patres in Lingonensi Ecclesia conuocaret, quæ erat in ditione Comitis Theobaldi, à quo iam habuerat beneplacitum, vt celebraretur. Et de facto, noluit Rex Galliæ, vt Episcopi Galliæ fines ingrederentur; vt ait Hincmarus in epist. ad Adrianum.

90 Respondetur, quòd in hoc argumento cõmittitur paralogysmus, dum dicitur: Papa indicit Concil ũ, & petit à Rege, vt celebretur Cameraci; ergo Rex habet potestatem indicendi Concilium. Negaret hanc consequẽtiam trium dierum Theologus. Aliud est habere potestatem conuocandi Concilium, aliud est in hoc vel illo loco, sub huius, vel illius Regis ditione, celebrare Concilium. In præsenti, cõtrouertitur primum, & non secundum. Et aduersarius parum cautus, se ipsum iugulat, dum concedit Pontifici Romano ius conuocandi Concilia, quod nos intendimus; & infert consequentiam de lana caprina, vt est in prouerbio. Et quidem, exposcit rerum ordo, vt quisque Rex ad seditiones vitandas, inuigilet, ne in suis ditionibus fiant colle-

Digitized by Google

collegia; & ita, exigit ratio, vt dum in aliquo loco ex toto Orbe, & ex diuersorum Regum ditionibus conuocantur Episcopi ad Concilium, (inter quos dubitabant esse lustratores, & exploratores) beneplacitũ Domini, vel Regis expetatur: Et hoc, nequè per vmbram, potestatem Põtificiam lædit circa Conciliorum indictionem, de qua disputamus.

91 *At* verò quia, non possunt Reges de iure, impedire Episcopos ad Sedem Romanam recurrẽtes; Hincmarus Remensis, cùm ob Regis timorem non misisset, iuxtà iussionem Pontificis, Romam Episcopum Laudunensem, cum alijs tribus Episcopis; per astutiam scripsit ad Adrianũ Papam, refundens culpam in Regẽ, & dixit, eum, illos impediuisse, ne Romam adirent. Hoc tamẽ esse falsum, constat; nam, optimè sciebat Rex Galliæ, in Capitulis Reg. Franciæ hoc esse prohibitum, præcipuè cap. 229. vbi dicitur: *Si quis Episcopus depositus agendum sibi negotium in Vrbe proclamauerit, &c. alius omninò non ordinetur, nisi causa fuerit iudicio Romani Episcopi determinata.* Et licet Rex in epist. ad Pontificem conquæratur (tanquam de re inusitata) de vocatione Laudunẽsis Episcopi iussione Pontificis, vt veniret ad limina, tamen à Baronio anno 871. excusatur quòd scripsit iracundia percitus, immemor quod (vt habetur tom. 3. epist. Nicolai Papæ epist. 30.) Nicolaus Adriani prædecessor ad Regem Carolũ scripsit, cui tanquam deuoto filio mandadabat, vt Rothoaldum ad suam Sãctitatem dirigeret; Quibus rememoratis à Rege, omnia redierunt ad pristinum; Vndè idem arguens loco adducto, inquit: *Carolus Rex ad eundem Adrianum ait: Sanctissimo, ac Reuerendissimo, Patri Adriano Summo Pontifici, & Papæ. Carolus Dei gratia Rex, & spiritualis Filius, videtur*, &c. Ex quibus verbis, pietas, obedientia, ac Religio Christianissimi Regis erga Papã enituit, ex eiusdem aduersarij testimonio.

92 Arguunt 6. Lex Dei non tribuit auctoritatem Summo Sacerdoti Concilium indicendi: Nequè enim Aaron, nec alij Summi Pontifices, vel concilium, vel Populum congregasse leguntur. Non est ergo vt plus sibi arroget Romanus Pontifex, quàm summus Israelitarũ Sacerdos.

93 Respondetur, negando antecedens; nam, vt in 1. probatione vidimus, Numeror. cap. 11. Deus præcepit Moysi, qui Summus Sacerdos describitur à Psalmista, *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius; congrega mihi septuaginta viros ex Senibus &c.* nomine *senis* veniunt Sacerdotes, vel Presbyteri (vel sint seculares quod etiam de populari congregatione negat arguens) qui ex Diuina institution, enõ conuocantur à Rege, Principe, vel Magistratu; sed à solo Moyse Summo Sacerdote. Et hoc ab ipso Moyse successiuè vsque ad Simonem Summum Sacerdotẽ in veteri Testamento seruatum est, vt patet 1. Machab. 14. v. 44.

94 *Arguunt* 7. signanter Spalatensis loco cit. num. 11. Vel modò Pontifex Romanus conuocat Concilia vt Pontifex, vel vt Princeps tẽporalis. Si vt Pontifex, cùm merè per accidens Pontificatui sit annexus Principatus temporalis; sicut olim Pontifices subdebantur Imperatori in conuocatione Concilij, ita & modo debent in hoc Imperatori subijci. Si vt Princeps temporalis, iã habemus intentum; quod scilicet nõ possit conuocare Episcopos totius mundi, sed solum eos, qui sunt in sua ditione temporali. Cur idem non poterit quilibet alius Princeps temporalis? Nam, reuera nunc cum Regna sint diuisa, Concilium generale propriè cogi non potest, nisi simul omnibus Christianis Principibus illud indicentibus. Hæc Archiapostata

Digitized by Google

ta Spalatensis lib. 6.cap. 1. num. 11.

95 Respondetur, quod Quæstio in præsenti est, an solus Pontifex quatenus est Caput,& Pastor Ecclesiæ spiritualis, habeat anctoritatem indicendi Concilia. Arguens autem, dum in vno membro sui dilemmatis, apponit ly *vel*, ad id quod est in quæstione, enormiter petit principium. Nos ergo, contra Spalatensē, & alios asseueramus, quòd Pontifex conuocat cōcilia vt Pontifex,& quatenus est Caput, & Pastor Ecclesiæ vniuersalis, & Pater spiritualis omnium fidelium, inter quos comprehenduntur etiam Inuictissimi Imperatores, & Sereniſſimi Reges Christiani, qui sunt Oues Christi; & sic, solus Pontifex, cùm sit Pastor vniuersalis, potest ex vniuerso Orbe Episcopos conuocare, & Regum,ac Imperatorum filiorum suorum spiritualium opem, & ministerium implorare, pro executione, & conuocatione Concilij; qui, tanquam filij spirituales, tenētur ei tamquam Patri in spiritualibus obedire; quòd si obedire renuerent, posset eos per Canonum seueritatem coercere: Quia vt ait Leo Papa in epist. ad Leonem Imperatorem:*Regia potestas non solum ad mundi regimen, sed etiam ad Ecclesiæ præsidium est collata*.

96 Nec verum est, quòd ait Arguens,scilicet,Pontifices olim Imperatoribus fuisse subiectos in conuocatione Conciliorum, dum licentiā ab Imperatoribus peterēt; nam,Imperatorum placitum, non ex aliquo iure, sed ex iniqua temporum conditione Romani Pontifices exquirebant, ad hoc scilicet, vt Cōcilia possent absque hostium fidei persecutione ab Episcopis celebrari.Lex autem illa prohibens Episcoporum Collegia,l. 1. ff. de Collegijs illicitis,& l. Conuenticula C. de Episcopis, & Presbyteris fuit tyrannica (prudentèr illis temporibus toleranda) non enim sceptrum terreni Imperij, cœli Clauigeros potuit impedire, ne tractarent cœlestia. At illorum temporum calamitas, & persecutio, non sinebat Christianos, neque ad diuina peragenda,ad Ecclesiam,& templum conuenire.An hoc rectè factū sit? iudicent æquissimi Protestantes.

97 Ad postremum, iam videmus Spalatensem cum suis Symmistis desperare Concilia, pro obtinenda apud suos concordia, cum dicit,cōcilia generalia cogi non posse, & sic desperat doctrinæ concordiam. In qua re, ei præluxit Caluinus lib. 4. Instit.cap.9.§. 13. vbi ait. *Nos libentèr concedimus, si quæ de dogmate incidat disputatio, nullum esse melius, nec certiùs remedium,quàm si Episcoporum Synodus conueniat, vbi controuersum dogma discutiatur.*Enduuinus Sādesius eques Anglus in Narrat. Relig.Occid.fol. 1.ait, *Vnicam spem contentiones sopiendi esse Concilium.*Et Bilsonus in lib. *Perpetuum Regnum* fol. 170.inquit, *Synodos optima esse media controuersias componendi.* Cùm ergo hæc desperet Spalatensis, semper cū suis Symmistis erunt in dissidio. Nos autem Catholici non sic; habemus anim Summum Pontificem Patrem Patrum, dum necessitas vrget, qui Patres ex toto Orbe conuocat ad Concilia, pro sopiendis fidei litibus; & sic,tanquam cœli inquilini, summa pace, ac tranquillitate fruimur. Væ cui dolet Protestantes humanissimi.

98 Quòd si fortè præter hæc alia sint Aduersariorum argumenta, habes solutiones, ex notabilibus initio Lectionis appositis, quę in hac materia sēper sunt habenda prę manibus.

LE-

Digitized by Google

LECTIO II.

De Laicocephalia, seù Ecclesiastica auctoritate Capitis per summam iniuriam à Serenissimo Anglorum Rege vsurpata; aduersus eumdem, Brentium, Anonymum Regiæ Apologiæ defensorem, Archiapostatam Spalatensem, & alios; ex meris eiusdem Regis Serenissimi placitis constructa.

1 PRærecensiti Catholicæ, ac Apostolico ore laudatæ Romanæ Ecclesiæ Desertores, cùm nullo valerēt ariete ad ruinam, eidē Ecclesiæ varijs diuerticulis intētatā, fractas lanceas assumentes, ad sōnia, & chymeras nescio quas commentitij Capitis, & ad Logicorum Hyrcoceruum confugerunt, fingentes duas potestates, ficut & illi naturas, toto cœlo diuersas, in suo ordine completas, & substantiales, in vnam Regis coiuisse personam; Ecclesiasticam potestatem, quæ immediatè de cœlis effluxit, Laicali (quam ex populorum electione habent *Reges terræ, & Principes*,) inoculantes, inferentesque; ex quibus, Laicocephaliæ Anglicanæ Hyrcoceruus compactus assurgeret. Et quidem spiritualia, quæ ad Pontificis potestatem pertinent, magis distant à temporalibus, & ciuilibus, quæ Laicali potestati conueniunt, quàm Hyrcus à Ceruo. Quare, aptè dixit Hugo 2. p. de Sacramen. cap. 4. *Terrena potestas Caput Regem, spiritualis potestas Caput habet Summum Pontificem. Ad potestatem Sūmi Pontificis pertinent quæ spiritualia sunt, & vitæ spiritualis tributa vniuersa.* Quòd ne videamur ex nostro cōminisci; pateat in huius Lectionis vestibulo.

Mendacium Protestantium Laicocephalorum.

2 IAm pridem Iulianus Apostata ex Sozomeno lib. 5. cap. 5. Laicocephaliam per summam iniuriam designauit; dum, leges antiquorum aspernatus, denuò Clericos curijs secularibus submisit.

3 Huius perditi *Apostatæ*, *Apostata* perditissimus Lutherus vestigia imitatus, Laicocephaliam molitus est; quandoquidem, in epistola ad Chtistianam nobilitatē Germaniæ, scripsit: *Ego tibi dico, quia potestas secularis, à Deo ordinata est, vt sontes plectat, & insontes protegat: sinendum est, vt suo officio liberè absque impedimento fungatur in vniuerso corpore Fidei Christianæ: idque absque personarum respectu, non obstante, etiam si Pontifices, Episcopos, Clericos, Monachos, Moniales, aut qualescumque cōcernat.* Apostata, Pontifices, Episcopos, ac omnes denique viros Ecclesiasticos, Regibus, ac Principibus Laicis submittit.

4 Rursus idem Lutherus, Laicos, facit iudices doctrinæ fidei, dum in Concione de Sacramento Altaris, ait: *Ius interpretandi scripturas, æquè Laicis concessum est ac doctis.* In Conuentu Smalchaldico anno 1537. similiter à Luthero, & ministris sancitum est, *Iudicandi de Religione, nedū apud Pontifices, sed Reges, & cæteros ordines residere potestatem.*

5 Hunc sequuti Germani Lutherani, Ecclesiasticos omnes, Magistratibus, ac Principibus Laicis, iudicandos tradunt; specialem in Iudicijs Duci Saxoniæ potestatem tribuentes. Qui Dux, Præfat. Confessionis Vuittemberg. Primatum Ecclesiasticum sibi arrogans, de doctrina fidei, ac Ecclesiasticorū iudicia vsurpauit.

6 Brentius in Prologomenis per eādē lineam cum Magistro suo serrā reciprocās, iudicium Fidei, Regibus ac Principibus Laicis committit: *Ad*

Digitized by Google

Reges (ait) *pertinet impiam doctrinã ex animo detestari, & crudeles hypocritas seuerè punire &c. quod facere non possũt, nisi cognouerint, & iudicauerint priùs quæ sit pia doctrina &c. Ostendemus, Diuina Clementia adiuuante, quòd non ad Prælatos illos tantùm, imò nequidem vlla ex parte ad ipsos, sed præcipuè ad pios Principes, & ad eos, qui tàm ex Ministrorum Ecclesiæ numero, quàm ex reliquo hominum, qui doctrinam agnoscunt, cætu, in consilium adhibentur pertineat de doctrina Religionis cognoscere, & iudicare.* Caluinus lib. 4. Inst. cap. 11. §. 15. dicit: *Clerici sunt subiecti legibus, & tribunalibus secularium Magistratuum.*

7 Petrus Martyr in cap. 13. epist. ad Roman. suis Symmistis subscribens ait: *Non obstantibus Principum constitutionibus, Clerici debent esse subiecti secularibus Magistratibus.*

8 Hos errores, secuutus est Henricus 8. Angliæ Rex, qui, *Annæ Bolenæ* lasciua specioſitate facſinatus, Legibus, iuribus, Fide, Religione, Põtifice Romano, Deo ipso, impudicæ fœminæ posthabitis, & prælatis; ne cogeretur Regnum amittere, Regni, ac Sacerdotij iura, per summã iniuriã vsurpauit, ac Caput Ecclesiæ Anglicanæ in spiritualibus se fecit; quin & Laicocephaliam in praxim adduxit; Et Anglocaluinistæ Laicocephalij dicti sunt, qui prurientes Regis sui aures, aulicorum more, nedum vt Regem politicum, sed & vt Pastorem, & Patrem spiritualem libidinosum Regem apertis vlnis susceperunt.

9 Henrico 8. è viuis tandem sublato, succeſſit in Regno Sereniſſima, ac Religioſiſſima Maria, quæ quia ventosi huius Capitis commenta exſibilauerat, & Catholicã Religionem in *Anglia* reſtabilierat, Martyr gloriosè occubuit, hoſtiaq; Christi efficitur. Succedit ei Elizabetha Henrici, & Annæ *Bolenæ* filia, quæ huius erroris Magiſtra, & propagatrix facta, Sanctorum Catholicorum ſanguinem ſitiens, Sacerdotibus, cultuque diuino, ſimul cum auita Anglorum, ac Catholicorum fide profligatis; Zuuinglianiſmo, & Caluiniſmo inthronizatis, Laicocephaliam omnibus viribus ſtabilire conata eſt.

10 Succeſſit Elizabethæ profligatiſſimæ, Iacobus filius Sereniſſimæ Mariæ Reginæ, ac Beatiſſimæ Martyris. Hic, contra humanum debitũ, Matri morem haud gerens, Matriſque ſacrilegam occiſionẽ nihil curans, eiuſque innocentiſſimum profuſum pro Catholica Fide ſanguinẽ, vna cum eiuſdem Sanctiſſimis inſtitutis calcans; Laicocephaliam, ab Elizabetha, Matris ſuæ ſacrilega interfetrice propagatam, omni maiori conatu, vi, armis, ac libris editis propugnauit, & Caput Eccleſiæ Anglicanæ, ſupra omnes Epiſcopos, Clericos, & Eccleſiaſticos, imò & Iudex controuerſiarum fidei, ſe conſtituit. Quare, Anglis, iuramẽti formulam, adulatorum ſuaſu, præſcripſit; vbi, in Articulis 11. & 12; ſic, ſub pœna læſæ Maieſtatis, & Capitis, ſeducti miſeri iurant: *Maiestas Regia vnicus est, & supremus Gubernator huius Regni, tàm in omnibus spiritualibus, siuè Ecclesiasticis rebus, aut causis, quàm in temporalibus.* Regi ſuppetias detulit quidam auctor *Anglus*, qui *Apologiam* pro *Regio Primatu*, & *Laicocephalia* conſtruxit contra Catholicos, multiſque ſuum errorem nititur probare.

11 Anno Domini 1617. pro coronide primæ; & vltimæ centuriæ à Lutheri defectione, tamquam palea à vento ambitionis ſublata, ab *Area* Eccleſiæ Chriſti auolauit Marcus Antonius de Dominis *Archiepiſcopus Spalatenſis*, & in Anglia delatus, vt poſſet illius *Regis* gratiam aucupari, eierata *Acephalia* quam moliebatur, Laicocephaliam propagare conatus eſt, quare & librum edidit, ſub nomine Chriſtianæ *Republicæ*

re-

Digitized by Google

rebellis Pontifici, Ecclesiæ, Christo, Deo, vbi lib. 1. cap. 5. Iudicium causarum Religionis, Laicis contulit, dicendo : *In iudicijs Ecclesiasticis propriis, potest interdum contingere appellatio ad plebem, vt si quis tanquam hæreticus ab aliquo, vel aliquibus condemnaretur, vel excommunicaretur, &c.* Et iterum ibidem lib. 6. cap. 5. ait: *Principes Laici, etiam infideles; habent ex officio plenam de iure diuino potestatem, promouendi cultum Dei, eliminandi superstitiones contrarias &c. Et multo magis conuenit ijsdē hæc præstare, cùm dotantur fide supernaturali, & virtutibus infusis &c. vt cultum promoueant, patrocinium Religionis vigilando, in Ecclesia, & Ecclesiasticis negotijs suscipiant.* Hæc blanditur ambitiosus Apostata, sperans à Rege Angliæ Cantuariensem, vel Londinensem Præsulatum, sed spe fruſtratus, Deum, Archiepiscopatū Spalatensem, oleum, & operam perdidit; quare mendicus, & pauper, cupiebat cum filio prodigo, saturari de siliquis, & nemo illi dabat. Et hæc est errorū miseria, vt quos cœcauit abmitio, tenuitas, & ingratitudo castiget. Contra hos & alios Laicocephaliæ assertores, stat.

VERITAS CATHOLICA.

Sicut in Rege Laico residet Suprema Potestas Ciuilis, & Politica, cui subditi tenentur in conscientia obedire; ita in solo Romano Pontifice reperitur suprema potestas spiritualis, & Ecclesiastica Capitis, cui tenentur omnes Christiani quacumque etiam laica potestate præcellentes in spiritualibus obedientiam exhibere, quæ etiam potestas suo ordine in solos Episcopos, Sacerdotes, cæteroſque Ecclesiæ Ministros est trasfusa: Adeoque Anglicana Laicocephalia, est merum, contra Dei, & Christi eius Fidem, commentum.

12 PRima pars huius veritatis assertæ, est contra *Anabaptistas, Trinitarios*, & Ministros Transiluaniæ dogmatizantes contrarium in lib. attitulato *Antitheses. Christi veri, & falsi*, cap. 7. Editæ *Albæ Iuliæ*, his verbis : *Christus falsus admittit in sua Ecclesia Reges, & Principes, non autem Christus verus.*

13 Hoc autem est hæreticum, & contra omnes tum Ecclesiæ Canones, tum cōtra Sacram Scripturam. *Apostolus*, signantèr Roman. 13. ait, quod *non est potestas nisi à Deo* &c. &. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, & in Veteri Testamento 1. Reg. 8. Regium ius confirmatur, & distinguitur à Iure Ecclesiastico, & Sacerdotali, dum dicitur: *Hoc erit ius Regis* &c.

14 Sed quia hic error fuit à nobis fusè rprobatur p. p. in *Atrio* Narrat. 11. cap. vlt. Ne actum agamus, ab vlteriori confutatione abstineo.

10 Vnum tantùm hic adnoto, quod ex iure naturæ, ex æterna lege deriuato, necesse est in qualibet societate potestatem aliquam regitiuam esse propter bonum multitudinis; Hæc autem potestas subiectiuè primo, & per se collata est multitudini : Sublato enim iure positiuo, non est cur huic, vel illi debeatur potestas. Quia verò multitudo seu societas, seu Respublica non poterat hanc potestatem exercere, cùm non esset maior ratio de vno quàm de alio indiuiduo multitudinis, nec possent diuisim, neque coniunctim, omnia indiuidua Reipublicæ, prædicta auctoritate Regitiua vti, Multitudo ipsa ad vnam, vel plures certas personas, secundùm diuersas Regiminis formas, eā auctoritatem, & potestatem tranfudit. Vnde, potestas hec Regitiua, ad vnum vel plures tranfusa, à Deo est Originaliter qui est totius Naturæ conditor : formalitèr verò, est de Iure Gentium, sicut concluſio de-

ducta ex principijs naturæ dictantibus hanc tranfusionem potestatis. Sic enim verificatur Deum regere humanas societates, & æterna Lege iuberi prestandam esse Principibus & Magistratibus obediētiam; quia, ab æterna lege, lex naturalis effluxit, & à lege naturali, quæ mediat inter legem Dei eternam, & ius gentium, lex & ius Gentium promanauit. Ecclesiastica verò potestas omnibus modis, & immediatè est de iure Diuino, & à Deo manauit, vt fusè dicemus infra. His pro 1. parte positis, & stabilitis.

16 Vt secundam assertæ Veritatis partem, de qua in præsentiarum est dissidium; probemus non erit ingratum Sereniſſimi Regis Angliæ Iacobi Laicocephaliæ seueriſſimi assertoris mentem, circa credibilia aperire, eique morem gerere.

Merum placitum Sereniſſimi Regis Angliæ Iacobi circa credibilia, proponitur, & explicatur.

17 QVoniam Doctoris gētium præcepto tenemur debitam Sereniſſimis Regibus reuerentiam, & honorem impendere: ne Apostolici mandati temerator existam, ardore Fidei meæ percitus Regem, ea qua par est reuerentia, pro Sanctiſſimi Patris nostri Romani Pontificis auctoritate gregarius miles aggredior; eique debitum vt morem geram, nihil in hac concertatione acerbum, nihil durum, nihil contra eius doctrinam, & voluntatem exponam; sed omnia erūt Regia, omnia Anglicani Monarchæ voluntatem sonabunt. Quo nam modo id perficiam, & hoc describam.

18 Neminem latet Sereniſſimū Regem Angliæ Iacobum, multos libros eruditos illos quidem, sed non ad Militiam Christianam, & Catholicam edidiſſe: inter hos, extat lib. in Edict. German. pag. 48. & pag. 69; ait: *Ingenuè spondeo, quoties Religionis quam profiteor vllum caput ostendetur, non* ANTIQVVM, *non* CATHOLICVM, *non* APOSTOLICVM, *sed nouitium esse & recens, in rebus scilicet spectantibus ad fidem, me statim ab ea discessurum.* Et iterum in Præfat. Monitoria, ait: *Quicquid enim quadrigentis post Christum annis vnanimi sensu Patres ad æternam salutem necessarium statuerunt; aut cum ijs ita esse sentiam, aut modesto silentio obmutescam, reprehendere certè non audeo.* Hanc Regis sponsionem accipimus, & ex testibus quos requirit, scilicet ex Antiquitate, Vniuersitate, Apostolica, ac primorum quadringentorum annorum Patrum doctrina, Laicocephaliam merè ægri somnium, merumque commentum, ac Logicorum Hircoceruum, adeoque nouitiam, ac recentem esse, per diuersas lectiones ostēdemus. In Dei ergo, & Christi eius nomine, ad probationes, à Sereniſſimo Rege expetitas, accedamus.

19 Antequam probetur secunda pars Veritatis propositæ. Supponendum 1; quod nec ante diluuium vniuersale, nec post diluuium, vsque ad Nembroth, aliqua Regiæ potestatis mentio in Scripturis exprimitur; quare Hebræi, tantùm post aliquot secula, Regiam, ac ciuilem potestatē, quæ simul cū Ecclesiastica ab Abele vsque ad Nembrotum, in summo Sacerdote erat coniuncta; à Sacerdotali expetierunt distinguere, quando 1. Reg. 8. Samuelem Sacerdotem cōuenientes, dixerunt: *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos sicut cetera habent nationes*; Idest, sicut Gentes habent. Et quidem Regia potestas, non in populo Dei, sed tantùm apud Gentiles vsu recepta erat, vt etiam Christus insinuat Luc. 22. *Reges gentium dominantur eorum* &c.

20 Ex quibus patet, tùm Regiam pote-

potestatem, non immediatè à Deo, sed per interiectum ius Gentium mediante hominum electione, ac Samuelis ministerio *Deo* iubente, ab eodem *Deo*, in veteri Lege, effluxisse, & ad Dei populum transmeasse; tũ, eamdem ciuilem *Regiam* potestatẽ, primùm ex *Dei* institutione, ita cum Ecclesiastica fuisse coniunctum, vt vtraque in vno summo *Sacerdote*, & Pontifice resideret: Hoc tamen ordine, vt primas haberet Ecclesiastica, secundas ciuilis, & Regia; quia illa, institutione, origine, ac fine, nobilior ista; illa *Animam*, ista respicit corpus; illa, homines disponit ad cœlestia; ista, (ex Paulo 1. Timoth. 2.) *nos dirigit, vt quietam, ac tranquillam vitam agamus:* Ista, denique temporalia, illa tractat æterna. Vtraque autẽ summa potestas, (vt dictum est) Regalis, seù ciuilis, scilicet, & Ecclesiastica, semper ante diluuium, & diu post diluuium vsque ad Nembroth, qui fuit quartus à Noe, in solis sũmis Sacerdotibus enituit, vt patet in Moyse, Aaron, Eleazaro, Samuele, quibus summa rerum omnium, à *Deo* collata erat. Et ideò à *D.* Petro Pontificia dignitas, *Regale Sacerdotiũ* appellatur. Hinc inuictus ille Dei Martyr S. Thomas Cantuariensis in epist. ad Regẽ *Angliæ*, dicebat: *Certum est Reges potestatẽ suam ab Ecclesia accipere, non ipsam ab illis, sed à Christo: vt salua pace vestra loquar, non habetis Episcopis præcipere, absoluere aliquem, vel excommunicare*, &c. Hæc autem duplex potestas, quæ iam diu in solo Pontifice mãsit integra, in Nembrotho cœpit suæ separationis initia, quando ciuilis, à Pontifice ad Regem est translata; Ecclesiastica, sibi, diuino iure, reseruata. Et vt ait *D.* Hieronymus in Quæst. Hæbraicis Genes. ex doctrina Hebræorum, omnes Primogeniti Noe, donec *Aaron* Sacerdotio fungeretur, fuerunt Pontifices, & Principes simul.

21 Suppono 2. Ecclesiasticam potestatem, (vt ex dictis constat) non tàm suaptè origine, & natura, quàm ex ipsa Dei institutione, qualibet ciuili, ac Regia potestate maiorem esse; nam, vt dictum est, etsi Populus Hebræorum, qui erat *Dei* Populus, ex *Dei* conniuentia potiùs, quàm institutione Reges habere cœperit; eadem tamen potestas Regia, à *Sacerdotali*, cum qua erat coniuncta, effluxit; ijdemque Reges Summo Pontifici subijcebantur, qui moderabatur magnum illud Concilium septuaginta duorum seniorũ, quòd Sanhedrim appellabatur, ad quod, vt ait *Philo* lib. 2. de *Temp.* spectabat de Lege, de Rege, ac Propheta iudicare. Quare, etiam Prophetæ, *Reges* oleo inungebant; & vt ait *D. Thom.* in 4. dist. 19. *Reges* in nouo *Testamento* inunguntur, siue à summo Pontifice, siue ex delegata eiusdem Pontificis potestate, ab *Episcopo*, vt excellentia *Regiæ* potestatis à Christo descendere significetur, & vt ipsi sub Christo, & secundùm Christi leges, regnent in Populo Christiano. Hinc Chrysostomus, rem hanc expendens, homilia 4. de verb. Isaiæ, ait: *Alij sunt termini Regni, alij Sacerdotij. Hoc Regnum, illo maius est. Nequè enim ex his, quæ videntur, hic declaratur Rex; nequè è gemmis illi affixis; nequè ex auro, quo amictus est, debet extimari Rex. Ille quidem ea quæ sunt in terris sortitus erat administranda; cæterum Sacerdotij ius, è supremis descendit. Quæcumque ligaueritis super terrã, erunt ligata, & in cælo. Regi ea, quæ hic sunt; mihi cælestia: mihi cùm dico, Sacerdotem intelligo.* Et tandèm concludit: *Maior hic Principatus: propterea Rex manum submittit manui Sacerdotis.* Præstat ergo Ecclesiastica potestas, ciuili, ac Regie, cùm illa sedulò ad animarum nostrarum bonum inuigilet, *quasi rationem pro animabus nostris reddituri.* Hebræor. 13. Ista ad bonum corporale, ac temporale. Illam tradidit *Sacerdotibus*, *quos*

Digitized by Google

quos posuit Deus Episcopos regere Ecclesiam Actor. 20. Istam Regibus, & Principibus.

Okami, & aliorum cõmentum de Moyse Laico, exsufflatur.

22 Ex his apparet Brentij, Okami, & aliorum mendacitas, qui apud Turrecrematam de Eccle. lib. 2. cap. 91. dicebant, quod Iurisdictio Ecclesiastica, & spiritualis, ante legem nouam, in Moyse Principe laico residebat; qui, potestatem habebat in Leuitas, & Laicos, à quibus vt tributa recipiebat, ita vicissim quasi quodam pacto se obligabat ad eos defendendos; cùm potius, vt vidimus, potestas Regalis, ex Sacerdotali efluxerit. Quare, etiam satis mirari nequeo Okami Scripturarum inscitiã. qui ait Moysem fuisse Principem Laicum, cùm is fuerit Sacerdos Dei summi, cui, Exodi 40. vt Sacerdos, incensum obtulit, quin, & in psal. 98. idem Moyses cum Sacerdotibus cõputatur, *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius.* Sed & ante Gain, qui fuit tyrannus, & non verus Dominus, per violentiam sibi Principatum vsurpando, præcessit Sacerdotium in Abele, non enim datur Sacrificium sine Sacerdote. Imò præcessit Sacerdotiũ in Adamo, vt diximus hic lib. 1. Tract. 3. de vnit. cap. Lect. 1. ex Mose Barcepha de Paradiso par. 1. c. 28.

23 Suppono tertiò. Quòd in lege Euangelica, per annos ferme 300; nullus extitit Princeps vel Rex laicus, qui esset de Ecclesia, sed primus qui Christo nomen dedit, fuit Philippus Romanorum Imperator, de quo dictum est sup. lib. 1. Tract. 3. Instr. 2. lec. 6. in 3. prob. qui nõ diu vixit. Et tamen, perstabat Ecclesia, cum perfecta regiminis forma, quãdo soli Pontifices Romani vniuersam, ac soli Episcopi, particulares regebant Ecclesias; quando etiam purissima, ac syncerissima fidei doctrina vigebat, in omnium Protestantium communi sententia.

24 Suppono quartò, ex his quæ diximus p. p. Narrat. 11. cap. vlt. num. 2. à fol. 209. & sequent. quòd sub æternæ damanationis pœna, tenentur subditi, Regi, ac Domino suo, fidelitatem seruare, ac obedientiam præstare; & quòd, qui Reges, & Principis sui *potestati resistit, Dei ordinationi resistit* ad Rom. 13. Et ita, Regiæ Maiestati ius suum ex Christi mandato est tribuendum, qui Matt. 22. iussit, *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Et D. Paulus Hebræ. 13. Regibus, tributum, & vectigal reddendum esse docet; & Apostolorum Princeps, fidelibus suadet epist. 1. cap. 2. vt obedientes subditi sint Principibus, *Subditi estote omni humanæ Creaturæ propter Deum; siuè Regi tanquam præcellenti, siuè Ducibus tãquam ab eo missis.* Et rursus: *Deum timete, Regem honorificate.* Dicimus tamen Ecclesiasticam Sacerdotij dignitatem, Ciuili, ac Laicali dignitati præcellere. His itaque sic stabilitis.

25 Probatur Veritas Generalibus Principijs Protestantium Laicocephalorum inhærendo, ex Sacra Scriptura, ac totius Antiquitatis consensu. Primò, ex Sac. Scriptura, seu ex Apostolica doctrina, vt Rex Iacobus experebat. primo Aaron, & deinde Pontifices cæteri, (Synagoga enim figura fuit Ecclesiæ Christianæ) qui Synagogæ præfuerunt; ex Leuitico tantùm genere, & ex Tribu Sacerdotali assumebantur: sic legimus numeror. 3. & Deuteronom. 17. quibus, cùm supremum spirituale ius in Synagogam collatum esset, Diuina lege cautum erat, vt omnia ad Fidem, ac Religionem pertinentia ex eorum ore, ac decreto essent accipienda; signantèr Reges id præstitisse, & ex Sacerdotum ore quæ ad Religionem, & fidem pertinent, accepisse, patet ex loco adducto Deuteronom. 17. vbi, postquam dictum est, plectẽdos pœna capitis eos, qui, in quæstionibus Religionis, & Fidei, Sacerdotis summi decisioni non acquiescerent, Scriptura tractans de Rege, ibidem mox de isto, addit:

Post-

Postquam autem (Rex) *Sederit in Solio Regni sui, describat sibi Deuteronomium legis huius in volumine; accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuitici tribus, & habebit secum.* Ex quibus patet, quòd non pertinet ad Reges iudicare quæ sit vera Scriptura, & Lex Diuina, sed soli summo Sacerdoti, à quo Reges veram Scripturam, verũ Verbum Dei, veramque Dei Legem exquirunt. Quare, ibidem cap. 21. de Sacerdotibus additur: *Ad verbum eorum omne negotium pẽdet*. Nequè hoc tantùm obseruatum est pro eo tempore, quo Regia potestas Pontificiæ dignitati erat coniuncta, sed etiam cum illa, ab ista esset auulsa; vnde,

26 Paralipom. 2. cap. 19. clarè habemus quod semper in Synagoga summi Sacerdotes spiritualem potestatem pro Fide, ac Religione tuẽda Diuino iure sibi vendicarunt: ac Regibus quidem, temporalia Regni iura seruata sunt; vnde ibi constitutis Iudicibus Laicis, mox constituti sunt Sacerdotes, vt ab his Rex, & Populus de Lege, de Cæremonij, ac cæteris ad Religionem, & Diuinum ministeriũ pertinentibus instruerentur, eorumque iudicio se subijcerent: *Vbicumque quæstio est de Lege, de mandato, de Cæremonijs, de Iustificationibus ostendite eis &c. Amasias autem Sacerdos, & Pontifex vester in his, quæ ad Deũ pertinent, præsidebit: porrò, Zabadias filius Ismael, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officia pertinent.* Rex igitur Angliæ, cæteriquè Principes, ab auita suorum maiorũ fide degeneres, agnoscant munus suum non esse de fidei litibus iudicare, Ecclesiasticos Ritus instituere, personas Ecclesiasticas in ius cogere, & Ecclesiæ Primatum sibi vendicare. Meminerint se esse Laicos, se esse Ecclesiæ Filios, & non Patres; Oues, non Pastores; Oues inquam Christi, Petro, suisque successoribus commissæ, cui dictum est, *Pasce Oues meas*; quæ tenentur sequi Pastorem suum, eiusque vocem audire.

27 Et quidem, Sereniſſimi Reges, ac Principes, qui à Romanocatholica, & Apostolica Ecclesia estis, Dœmonis arte præcisi, & nescio quam commentitiam Capitis Ecclesiæ auctoritatem per summam iniuriam vsurpatis, illud tandem aliquando perpendite, quòd si Hebræorum Synagoga adeò integrum, ac distinctũ à Deo spiritualem Principatum obtinuit, vt nulli vnquam Regum fas fuerit impunè, sacrum illud Pontificis sibi ius arrogare: cur, cũ amplioris dignitatis sit nunc Ecclesia Christi, quàm Hebræorum Synagoga; cur, inquam, vnicuique vestrum ius facitis, Pontificis, ac Ecclesiæ Capitis auctoritatem arrogandi? An putatis, cuique prophano Principi licere impunè, Ecclesiam suo Pontificio iure priuare; seque sacris functionibus immiscere, ac Diuinum illum Principatum inuadere, quem non ab hominibus, non à Populo, non ab Optimatibus, sed à Christo Saluatore nostro, Ecclesiasticis tantùm viris, non Laicis, & Prophanis collatum constat? Non enim impunè hoc sibi arrogat, quicumque arrogat.

28 Testis ille sit, qui Laicocephaliam hanc inuexit in Angliam, doctissimus ille, ac Sereniſſimus Rex Henricus huius nominis 8. qui libidine furens, Catharina Austriaca lectissima Domina repudiata, Anna Bolenia infami meretrice sibi fornicariè copulata, *Exulare fecit* (vt ait Sleidanus Protestans) *nomen Põtificis Romani, doctrina eius retenta*; titulumque Capitis Ecclesiæ Anglicanæ sibi per summam iniuriam vendicando, diuinam vultionem expertus, (vt ait idem) moriens, de salute desperans, eas voces emisit: *perdidimus Regnum, Deum, & Cælum.* Seu, vt alij referunt, dixit: *Amici, perdidimus omnia.* Testis sit Sereniſſimus Carolus Rex Anglorum, qui cùm sæpe à pijs viris admonitus, vt com-

Digitized by Google

commentij Capitis Ecclesiæ iacturam iustã faceret, seque vero Christi in terris Vicario, ac legitimo Ecclesiæ Capiti Romano Pontifici per fidei Catholicæ glutinum tanquam membrum vniret, noluit intelligere vt benè ageret, tandem (ô miseriam, lachrimas ab alienissimo exigentẽ!) cùm nollet desistere esse commentitium Ecclesiæ Caput, in se diuinã vltionem expertus, à vilissima plebe verum Caput eius præciditur.

29 Nec desunt, in re tam seria, Scripturarum exempla; Nam, (& sit 3. Locus ad probandum Veritatem propositam) 2. Paralipom. 26, cũ Ozias se Diuinis ministerijs immisceret, & Pontificale munus in adolendo incenso iniustè sibi vsurpare auderet, primùm, à Pontifice Azaria constantissimè prohibitus ne faceret, cum illud, non Regium, sed Pontificiũ, ac Sacerdotale esset officiũ, deindè iussitque eũ de Sãctuario egredere; *Neglexit Dominum Deum suum, ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Statimque ingressus post eum Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini &c. restiterunt Regi atque dixerunt: Non est* (ait Azarias Pontifex Regi) *tui officij Ozia adolere incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiuscemodi Ministerium, egredere de Sanctuario.* Qui cùm nollet Pontifici obedire, & è Sanctuario egredi, Diuinam vltionem suæ temeritati debitam expertus, *statim* (ait textus) *orta est lepra in fronte eius, & Sacerdotes festinatò expulerunt eũ.* At cur in frõte potiùs, quã in alia parte corporis, à Deo percussus est Rex Ozias? Dicã paucis, voluit ipse Rex laicus Ecclesiastici Capitis se immiscere muneribus, tractando Diuina; adeoque, meruit in capite, seu in fronte Diuinam vltionem sentire.

30 Rursus, 2. Regum. 6. v. 7. Oza, dum boues *Arcam* Domini trahentes calcitrarent, extendit manũ, & putans religiosè se agere, *Arcam* tenuit ne caderet. *Extendit Oza manum ad Arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam.* Quid inde? Audite. *Iratusque ex indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi iuxta Arcam Domini:* Putant multi Reges, & Principes, Romanocatholicæ Ecclesiæ hostes, religiosè agere, comminiscentes Arcam Domini scilicet Religionem Christianam collabentem reparare ne ruat; & manus laicas Ecclesiasticis immiscent tractatibus, Capitis Ecclesiastici munera vsurpantes. Quid inde? *Iratusque ex indignatione Dominus contra Ozam* Regem, & similes, *percussit eos super temeritate, & mortui sunt*, vel desperando de æterna salute, vel capite truncati, vel è suis Regnis electi, vt oculis nostris aspeximus.

31 Porro, Serenissimi Principes, non sunt hæc puerorum terriculamenta, vt ait *Brentius*; sed vera Diuinæ vltionis iacula, quibus Laici Principes, qui se Ecclesiasticis muneribus immiscuerunt, non semel sunt Deo vlciscente percussi. Nec quæ hactenus diximus, sunt Æsopi fabulæ, sed veræ historiæ, tum in Sacris Scripturis ad aliorum Regum exemplum enarratæ, tum quæ in optimis Scriptoribus, vel oculis nostris, nostra hac ætate, non sine commiseratione conspeximus.

32 Sed & per os Prophetarum Deus loquutus est, volens, omnia ad Religionem pertinentia, non ex Regum decreto, sed ex Sacerdotum iudicio esse expetenda; Sic habemus Ezechiel. 44. vbi dicit; *Sacerdotes Leuitæ filij Sadoch &c. populum meum docebunt, quid sit inter Sanctum, & pollutum, inter mundum, & immundum ostẽdent eis; & cùm fuerit Controuersia, stabunt in iudicijs meis, & iudicabunt* Hæc Deus per os Prophetæ. Rursus,

per

Digitized by Google

pes os Malachiæ cap. 2. ait: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore eius.* Et Aggæi 2. *Interroga Sacerdotes Legem &c.* Ex quibus patet, iniustè, & contra expressa Dei mandata Reges, se Ecclesiasticis immiscere tractatibus, ac in rebus Religionis, & Fidei, temere sibi arrogare iudicia.

33 Ex nouo Testamento habemus, quòd cum Christus Dominus Lucæ 22; Apostolos instrueret, de modo quo Ecclesiastica Potestas, erat exercenda, dixit: *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem exercent inter eos, benefici vocãtur, &c.* Quibus verbis, distinguit Ecclesiasticã potestatem à Regia, & Ciuili; ex eò, quòd ista, superba dominatione, (vt à plerisque Regibus factũ est); illa, Christiana dũtaxat Charitate administratur. Admonuit igitur Christus hoc loco *Apostolos*, *Apostolicæ* auctoritatis; eamque modo diuerso à Ciuili, & Laicali Regum auctoritate, exercendam docuit: adeoque, Ecclesiasticam potestatem, à Regia distinxit.

34 In huius rei confirmationem, idem Christus Saluator Ioann. 18. dicebat: *Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei vtique decertarent.* Cùm autem Christus ex *D.* Paulo ad Ephes. 1. sit à Deo constitutus Caput super omnem Ecclesiam, cur dicit Regnum suum de hoc mundo non esse? Res clarescet, si dicatur Regnũ eius tùm temporale, tùm spirituale, esse de Cœlo, distinctum à Regno temporali quod est ab hominibus: Et licet, etiam temporalis Regni iura à Patre obtinuisset, ea tamen non nisi rarò exercere voluit, vt ex Cyrillo lib. 4. in cap. 41. Esaiæ, Hilario in psal. 2. Augustino tract. 115. in Ioannem, & ex alijs constat; quare, ostendens se etiam temporalis Dominij iura habuisse, Ioann. 13. dixit. *Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis: sum etenim.* Quãuis ergo Christus, Dominus esset vniuersorũ, etiã temporalium, haud sibi illud Dominiũ nisi rarò vẽdicauit. Sed illud, à Deo sibi collatũ affirmat, ac post suã Ascẽsionẽ, solis suis visibilibus in terris Vicarijs, non Regibus, exercendũ Dominiũ commendauit, quod spiritualẽ in terris, supra omnes Imperatores, ac Reges terræ, supremã spiritualẽ potestatẽ, ac administrationẽ exercet. Quorsũ ergo Reges Angliæ possunt hoc spirituale, & Ecclesiasticũ ius sibi vsurpare? Ostendant cui vnquam Regi, vel Imperatori laico à Christo dictũ sit: *Pasce oues meas?* vbi, *Tibi dabo claues Regni Cælorũ; & quodcumque solueris super terram erit solutũ & in Cœlis &c.* ? vbi, *Tu es Petrus, & super hãc Petram ædificabo Eccclesiam meam?*

35 Tandẽ, *D.* Paulus 1. Corinth. 12. vt ostẽderet, sæculi Principibus, nullam prorsus in Ecclesiæ gubernatione auctoritatẽ esse relictã, primo loco in Ecclesia statuit *Apostolos*, vt ostẽderet illos primũ, deindè quicũque Apostolica auctoritate illi succederent, esse solos, ac veros Ecclesiæ Pastores, ac Præsides, vnde ait: *quosdã quidẽ posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores &c.* Super quę verba, *Damascenus* orat. 2. pro Imaginibus notat, quòd inter hos, nec per vmbram Reges annumerat. Satis ergo superque, rem nostrã testatam faciunt Scripturæ Diuinæ, contra Anglicanam Laicocephaliam.

36 Nunc ergo vos alloquor Protestantes eruditissimi, qui ex *Anglię* Regno, Romanocatholicã, ac Apostolicam Religionem, cum suis Sacerdotibus eliminastis, ac profligastis, & quotidiè sine pausa eliminare conamini, (ex Paralipom. 2. cap. 13. v. 8.) *Nunc ergo vos dicitis, quòd resistere possitis Regno Domini*, scilicet Ecclesiæ Catholicę Romanæ, *quod possidet per filios Dauid*, ideſt per Chri-

Christus habuit Dominium temporale, quod tamen nunquam exercuit.

Digitized by Google

stum,& Apostolos,*habetisque magnã Populi multitudinem*,sed demẽtatã à Ministris Caluini, Lutheri,& similium. *Et* EIECISTIS, & eijcitis, *SACERDOTES DOMINI*, *filios Aaron, atque Leuitas, & fecistis vobis Sacerdotes, sicut omnes populi terrarũ: quicũque venerit, & initiauerit manum suã in tauro de bobus, & in arietibus septẽ, fit Sacerdos eorum qui non sunt dij. Noster autem Dominus, Deus est, quem nõ relinquimus, Sacerdotesque ministrant Domino de filijs Aaron, & Leuitæ sunt in ordine suo: Holocausta quoque offerunt Domino per singulos dies, &c. estque apud nos candelabrum aureum, & lucernæ eius, vt accendantur semper ad vesperam: nos quippè custodimus præcepta Domini Dei nostri, quem vos reliquistis. Ergo in exercitu nostro Dux Deus est, & Sacerdotes eius, qui clangunt tubis, & resonant contra vos: Filij Israel nolite pugnare cõtra Dominum Deum Patrum vestrorum, quia nõ vobis expedit.* Et nũc viã nostrã eũtes.

37 Probatur secundo. Veritas posita ex auctoritate Apostolicorum successorũ, scilicet, Summorum Põtificum, primorum sæculorum à Christo; qui super personas, dogmata, cæremonias, iudicia, causas,& super omnia ad Ecclesiã spectantia, nullam prorsus Regibus legitimam auctoritatem relictam esse decreuerunt:& tunc, suppono Serenissimum Regem Angliæ, vt par est, stare promissis. Clemens 1. epist. 1. ait: *Si qui ex fratribus negotia habent inter se, apud Cognitores sæculi non iudicentur; sed apud Presbyteros Ecclesiæ, quicquid illud est, dirimatur.* Et ibidẽ, de Sancto Petro, inquit, quòd *spirituales quosque, atque Sacerdotes super carnales, ac Laicos semper constituendos esse docebat.*

38 Caius Papa (qui vixit anno 283.) epist. 1. ad Felicem, quemlibet Clericũ à sæculari iudicio omninò eximit, his verbis: *Primò, scias Paganos, & Hæreticos non posse Christianos accusare, aut vocem eis infamationis inferre. Deindè, nemo vnquam Episcopum apud iudices sæculares, aut alios Clericos accusare præsumat.*

39 Marcellinus Papa, (anno 296.) item in sua decretali epist. 2. statuit de Clericis: *Clericũ* (ait) *cuiuslibet Ordinis, absque Pontificis sui permissu, nullus præsumat ad sæculare iudicium attrahere, nec Laico quemlibet Clericum liceat accusare.*

40 Syluester in Concil. Romano cap. 2. ait: *Nemo iudicabit primam sedem: quoniam omnes sedes à prima sede desiderant temperari. Neque à Clero, neque ab Augusto, neque à Regibus, neque à Populo iudicabitur.* Audiant Laicocephali Angliæ.

41 Leo 1. Papa (anno 450.) epist. 66. quæ est ad Episcopos Thraciæ, grauiter inuehitur in Clericos, qui iudicia Ecclesiastica declinantes, sæcularia adierunt; maximè, cùm etiã Augustissimi Imperatores reuerenter hæc duo Tribunalia agnouerint; & ius suum, de Ecclesiasticis iudicijs, Præsulibus detulerint; vnde ait; *Tanta sæculi Potestates circa Sacerdotalem Ordinem reuerentia præualuere, etiam hi, quos sub Imperiali nomine terris Diuina potentia præesse præcepit, vt Ius distinguendorum negotiorum Episcopis Sanctis iuxta Diualia constituta permiserint. Quod cùm, & Iuris antiqui formulis, & illibatis frequentiùs sit legibus confirmatum; præsenti tamen tempore à plerisque inuenimus fuisse calcatum. Nam, pretermisso Sacerdotali iudicio, passim ad sæculare examen transiere. Quo circa nobis visum est, vt hanc & Sacræ Legis, & nostri Ordinis contumeliam, & ad præsens vlciscereturplena districtio, & obseruandam formulam constituere in futurum. Censemus itaque, vt quicumque pretermisso Sacerdote Ecclesiæ suæ, ad disceptationem venerit sæcularium, sacris liminibus expulsus, à cælesti arceatur altario, &c.*

43 Hormisdas Papa (anno 510.) epist.

epist. 1. ad Auitum Viennensem Episcopum; conqueritur, quòd Spiscopi illius Prouinciæ pro Ecclesiasticis negotijs Laicos tractatores Romã misissent: *Nam vnde est,* (ait) *quòd cùm per Ennodium Fratrem, & Coepiscopum nostrum Sacerdotales viros, ad confirmanda ea, quæ Sedes Apostolica poposcerat, directuros se esse promisissent? Multa quoque quæ à nobis quæsita fuerant, pollicentes, non solùm non religiosos viros, penes quos causæ ipsius plena esse posset instructio, secundùm constituta propria non miserunt; verùm etiam quasi res parua gereretur, laicos, & alienos ab Ecclesiastico corpore destinantes, non se studuerunt de cæno, quo immersi tenentur, euoluere; verùm etiam Catholicæ fidei claritate fulgente, sua (quod absit) se posse crediderunt obscuritate fuscare.* O quid diceret Sanctus iste Pontifex, si seculares videret, non Ecclesiasticorum negotiorum delatores, de quibus in hac sua Epistola loquitur, sed Religionis, & Fidei Christianæ, ac Sacerdotũ Catholicorũ iudices, & cẽsores, vt à Rege, & Parlamento, imò & à plebe videmus factũ in Anglia?

44 Pelagius 1. Papa (anno 579.) in epist. decr. 11. q. 1. scribens ad Benegastum Defensorem, causas Ecclesiasticorum ad Episcopos, & Ecclesiasticos iudices deferendas mandat, his verbis: *In ijs verò negotijs, in quibus Ecclesiastici officij persona pulsatur, ad Episcopi vel Presbyterorum, in loco vbi quæstio vertitur, constitutorum accurrat indifferènter examen.*

45 Et idem iterum scribens ad Cancellarium, ait: *Si quis laicus Clericum cuiuscumque gradus duxerit esse pulsandum, ad Episcoporum iudicium in eadem Ciuitate, vel territorio constitutorum proponat eas, quas se existimat habere actiones. Quem ordinem, legibus per omnia conuenientem, atque consentaneum demonstrari illa regula manifestat, quæ præcepit, Actorem forum semper sequi &c.*

46 Gregorius Papa 1. (anno 590.) lib. 5. epist. 25. de Imperatorum auctoritate edisserẽs, inquit: *Et nobis, & omnibus notum est, pijssimos* (Mauritium Augustum, & Constantium) *disciplinam dirigere, ordines seruare, Canones venerari, & se in causis Sacerdotalibus non miscere: instanter exequimur, quod illorum iuuat animam atque Rempublicam, & ad quod nos terribilis tremendique iudicis respectus impellit.*

47 Et rursus idem Gregorius lib. 4. epist. 75. historiam Constantini Augusti recensens, inquit: *Ecclesiastica testatur historia, quòd cùm piæ memoriæ Cõstantino Principi in scripto oblatæ accusationes cõtra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem, qui accusati fuerant, Episcopos conuocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens: Vos Dij estis, à vero Deo constituti: ite, & inter vos causas vestras discutite, quia dignũ non est, vt iudicemus Deos.* Hæc Constantinus Imperator ex Anglicana gente procreatus, & in Anglia educatus, vt aiunt Centuriatores, epistola liminari 4. Centuriæ, ad Reginam Elizabetham Angliæ Reginam, ex Diuo Gregorio speciali Anglorum quondam Patre, & amantissimo Pastore.

48 Quantũ verò attinet ad quæstiones de fide, inter Christianos exortas, has non à Laicis minoribus, sed ab Ecclesiasticis Iudicibus qui sunt omni laicali potestate in spiritualibus auctoritate superiores, esse iudicandas decreuerunt summi Ecclesiæ Pontifices. Marcellus Papa epist. 2. ad Episcopos Orientales, inquit: *Quæcumque ergo contentiones inter Christianos ortæ fuerint, ad Ecclesiã deferantur, & ab Ecclesiasticis viris terminentur. Maior enim non potest à minori iudicari.* De Causis fidei non à Regibus, sed ab Episcopis esse tractandum.

49 Anastasius Papa epist. 2. ad Anastasium Imperatorem, ab eo, in his quæ ad animam, & fidem perti-

Digitized by Google

nent,obedientiam exigit, his verbis: *Illud verò peculiariùs pro amore vestri Imperij, & beatitudine, quam consequi poterit Regnum, Apostolatus officio prædicamus, vt sicut decet, & Spiritus Sanctus dictat, monitis nostris obedientia præbeatur.*

50 Leo Papa 1; qui supra, epist. 74. Ea quæ sunt fidei Ecclesiasticis reseruans, inter Laicalem Imperatoriam potestatem, & Ecclesiasticam distinguens, scribit: *Vt autem Imperialis est potestatis tumultus publicos, & seditiones sacrilegas seuerius coercere; ita auctoritas est Sacerdotalis Monachis prædicandi aliqua contra fidem licentiam non præbere.*

Laicaiis, ac Ecclesiasticæ potestatis iura distinguit.

51 Bonifacius 1.Papa anno 418. epist.ad Honorium Imperatorem, *Ecclesiæ meæ, (ait) cui Deus noster meũ Sacerdotium, vobis res humanas regentibus deputauit* &c.Quibus verbis, Sãctus Pontifex, sua, ac Imperialia iura distinguit.

52 Gelasius Papa 1. (anno 490.) epist. ad Anastasium Imperatorem, simili tenore Laicalem Augusti auctoritatem, ab Ecclesiastica potestate distinguit, & Decretali, hac sua, decernit, Imperatoriam maiestatẽ subdi Ecclesiasticæ, ac Spirituali Põtificis auctoritati, his verbis: *Duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, Auctoritas Sacra Pontificum, & Regalis potestas. In quibus tanto grauius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus in diuino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, filij clementissime, quòd licet præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen Præsulibus diuinarum rerum, deuotus colla submittis, atque ab ijs causas tuæ salutis expetis, inque sumendis cælestibus Sacramentis, eique (vt competit) dispanendis, subdi te debere cognoscis, Religionis ordine potius, quàm præesse. Itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi voluntatem.*

53 Recolenda sunt quæ diximus hic, supra sparsim ex quibus constat, causas maiores, & Episcoporum ad Pontifices Romanos esse diuino iure deferendas; & Ecclesiasticorum priuilegia, ac immunitates à Laicis iudicibus, vt ait *Anacletus* Papa, epist. 1. ex diuino iure, *Sancti Apostoli iussu Saluatoris, intemerata, & inuiolata omnibus decreuerunt manere temporibus. Ab* auctoritatibus aliorum Põtificum posteriorum temporum abstineo, vt aduersarijs morem geram, & in promissis fidelis inueniar.

54 Probatur tertiò auctoritate Conciliorum primorum sex sæculorum; quæ iurauit Rex Angliæ Iacobus, se libenter susciperе. Concilium Romanum 1. anno 320. celebratum sub Syluestro Papa, Iudices Laicos nullum ius habere supra Clericos siuè viros Ecclesiasticos declarauit, ac decreuit cap.4. his verbis: *Syluester Episcopus dixit: Nulli omninò Clerico licere causam quamlibet in publico examinare, nec vllum Clericum ante Iudicem stare. Et dixerunt omnes Episcopi, placet.*

55 Et in Concilio Romano 2. itẽ sub Syluestro anno 325. cap. 16. illud ipsum statuitur, *Nemo Clericus, (ait) aut Diaconus, aut Presbyter, propter causam suam, quamlibet intret in Curiam: quoniam omnis Curia è cruore dicitur, & immolatio simulacrorum est. Quoniam si quis Clericus in Curiam introierit, anathema suscipiat nunquam rediens ad Matrem Ecclesiam.*

Vnde dicatur Curia.

56 Concilium Antiochenum anno 340. celebratum, Episcopos, & Clericos à iudicijs Episcoporum vel Metropolitanorum, ad Imperatorem, & Iudices Laicos appellantes, excommunicationis, & priuationis Ecclesiasticæ dignitatis pœna ferit; vnde, cap. 11; ait: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel quicumque Clericus, & omnis omninò, qui est sub Ecclesiastica regula constitutus, prater consilium,*

vel

Digitized by Google

vel literas eorũ Episcoporũ, qui sunt intra Prouinciam, & maximè Metropolitani, ad Imperatorem perrexerit; hunc, abdicari, & ejci non solùm de communione debere, sed etiam propria dignitate priuari tanquam molestum, & importunum Imperialibus auribus, contra Ecclesiastica constituta.

57 Deindè idem Concilium cap. 2. similitèr seuerè animaduertit in eos, qui à Synodo, vel Metropolitano sua dignitate priuati, Imperatorẽ, vel Laicum Iudicem appellant. *Si quis à proprio Episcopo depositus, vel Presbyter, vel Diaconus; aut etiam si à Synodo quilibet Episcopus fuerit exauctoratus, molestiam Imperialibus auribus inferre non præsumat: sed ad maiorem Episcoporum Synodum sese conuertat: & quæ se putat habere iusta, in eorũ Concilio alleget, atque ab his, de se expectet quæ fuerit deprompta sententia. Quòd si deficiẽs pusillanimitate, hoc noluerit facere, sed Imperatori fuerit importunus, huiusmodi nullam veniam habeat, neque locum vllius assertionis suæ, nec spem recipiendi gradus habeat in futurum.*

58 Concilium Carthaginense 3. celebratum anno 397. Clerici ad Iudicia Laicalia confugientes, grauissimè puniuntur, quare ibi cap. 9. dicitur: *Placuit, vt quisquis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, seù Clericorum, cùm in Ecclesia ei fuerit crimen intentatum, vel ciuilis causa fuerit commota, si relicto Ecclesiastico iudicio, publicis iudicijs purgari voluerit, etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali iudicio; in ciuili verò perdat quod euicit, si locum suum obtinere voluerit. Cum enim ad eligendos iudices vndique patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consortio indicat, qui de vniuersa Ecclesia malè sentiendo, de iudicio seculari posit auxilium: cùm priuatarũ Christianorum causas Apostolus* 1. *Corinth.* 6. *ad Ecclesiam deferri, atque ibi determinari præcipiat.*

Laicocephali malè de Ecclesia sentiũt, & Apostolo contradicunt.

Igitur, malè de Ecclesia sentiunt, & Paulo Apostolo contradicunt Laicocephali Anglicani, qui causas Ecclesiasticorũ à Rege Laico, & à Parlamento Laico definiri contendunt.

59 Concilium Chalcedonense, celebratum anno 453. cap. 9. seriẽ iudiciorum, ac appellationum Ecclesiasticorum, seu Clericorum præscribit, vsque ad thronum Patriarchale; vetat tamen recursum ad iudicia secularia, his verbis: *Si quis Clericus habet cum Clerico litem, aut negotium, proprium Episcopum ne relinquat, & ad secularia iudicia ne excurrat: Sed causam prius ad proprium Episcopum agat, vel de Episcopi sententia apud eos, quos vtraque pars elegerit, iudicium agitetur. Si quis autem præter hæc fecerit, Canonicis pœnis subjiciatur. Si Clericus autem cum proprio, vel etiã alio Episcopo negotium, aut litem habeat, à Prouincia Synodo iudicetur. Si autem cum ipsius Prouinciæ Metropolitano Episcopus, vel Clericus controuersiam habeat, diœcesis Exarchum adeat, vel Imperialis Vrbis Constantinopolis Thronum, & apud eum litiget.*

60 Concilium Venetiçum celebratum anno 460. cap. 9. excommunicat similiter personas Ecclesiasticas, recurrentes ad seculare iudicium, per hæc verba; *Clerico, nisi ex permissu Episcopi sui, seruorum suorum secularia iudicia adire non liceat; sed si fortasse Episcopi sui iudicium cæperit habere suspectum, aut ipsi de proprietate aliqua aduersus ipsum Episcopum fuerit nata contentio, aliorum Episcoporum audientiam, non secularium potestatum debebit ambire: aliter à communione habeatur alienus.*

61 Concilium Romanum tertiũ sub Symmaco Papa, celebratum anno 501. cùm Theodoricus Rex sibi iudicium in Episcopos iniustè arrogaret, sed postquam ab Episcopis multis, audiuit, ob prærogatiuã suæ Sedis non posse compelli, vt minorum iudicio se subijcerent, Sereniss-

reniſſimus Rex talitèr, Deo aſpirante reſpondit: *In Synodali eſſe arbitrio, in tanto negotio ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe, præter reuerentiam, de Eccleſiaſticis negotijs pertinere: Committens etiam poteſtati Pontificum, vt ſiuè propoſitum vellent audire negotium, ſiuè nollent, quod magis putarent vtile deliberarent, dummodo venerandi proniſione Concilij pax in Ciuitate Romana Chriſtiana omnibus redderetur.* Vtinam Sereniſſimi Principes Angliæ, & Saxoniæ, Theodorici Regis ſequerẽtur exemplum, pro bono animæ, & pacis ſubditorum.

62 Item Concilium Romanum 4. ſub eodem Symmacho, anno 502. celebratum, cap. 3. nulla Laicis conceditur facultas, diſponendi de bonis, & facultatibus Eccleſiaſticis. *Laicis quamuis religioſis*, ſeu Catholicis, *nulla de Eccleſiaſticis facultatibus legitur vnquam diſponendi aliquid attributa facultas.*

63 In Concilio Agatenſi celebrato anno 506, Iudices ſeculares excõmunicantur, ſi Clerum, vel Eccleſiaſticos vexare attentauerint; & Eccleſiaſtici, prohibentur Iudici ſeculari reſpondere, ſi fortè, per calumniam, ab eis in ius vocentur; quare, ibi cap. 32. dicitur: *Clericum nec quisquam præſumat apud iudicem ſeculare, Epiſcopo non permittente, pulſare: ſed ſi pulſatus fuerit, non reſpondeat, nec proponat, nec audeat criminale negotium in iudicio ſeculari proponere. Si quis verò ſecularium per calumniam Eccleſiam, aut Clerum fatigare tentauerit, & conuictus fuerit, ab Eccleſiæ liminibus, & à Catholicorum communione (niſi dignè pœnituerit) coerceatur.*

64 Concilium Aurelianenſe 3. celebratum anno 537. prohibet expreſsè, nè aliquis audeat Clericum apud Iudicẽ, ſeculare accuſare, vndè ibi cap. 31, dicitur: *Clericus cuiuslibet gradus, ſine Pãtificis permiſſu, cauſas ad ſeculare iudicium nõ præſumat attrahere: neque Laico, inconſulto Sacerdote, Clericum in ſeculare iudicium liceat exhibere.*

65 Concilium Matiſconenſe celebratum anno 576. cap. 8. ſtatuit, *Vt nullus Clericus ad Iudicem ſeculare rem quemcumque alium fratrem de Clericis accuſare, aut ad cauſam dicendam trahere, quocumque loco præſumat: ſed omne negotium Clericorum, in Epiſcopi ſui, aut in Presbyteri, aut Archidiaconi præſentia finiatur.* Atque hæc ſunt Conciliorum decreta primorũ ſex ſæculorum à Chriſto, quæ Anglicanam Laicocephaliam reprehẽdunt, quæ Sereniſſimus Rex Angliæ Iacobus demẽtatum Anglicanæ Eccleſiæ Caput à Catholicis expoſtulauit cum ſuis, quibus ſe, & ſui aſſentiri promiſerunt. Et hæc ſufficiant ad reprobandam commentitiam Anglicanam Laicocephaliã, quantũ ad iuriſdictionem Capitis ſupra perſonas Eccleſiaſticas nefariè vſurpatã.

66 Remanet, vt ex Concilijs oſtẽdamus nullo modo ad Imperatorẽ Regem, & Principem Laicum pertinere, de rebus Fidei iudicare, nequè controuerſias de Fide exortas, dirimere. Poſtquam Conſtantinus Imperator, Eccleſiaſticorum, & Epiſcoporum iudicia ſibi aſſumere tanquã incompetẽtia nequiuerat, vt ex Gregorio Papa ſupra retulimus; in eadẽ Synodo, nullam ſibi decidendarum fidei litium auctoritatem aſſumpſit, ſed vt narrat Ruffinus lib. 1. hiſtor. cap. 2. & Sozomenus lib. 1. cap. 16. dixit: *Vos à Deo nobis dati eſtis Dij, & cõueniens non eſt, vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt. Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diſcernit, & ideò his omiſſis, illa quæ ad Fidem Dei pertinent, abſque vlla animorum contentione diſtinguite. Cumque hæc dixiſſet, omnes ſimul querimoniarum libellos iuſſit exuri, ne innoteſcerent vlli.* Imperator ergo Laicus, religioſè cauſas fidei ad ſolos Eccleſiaſticos Præſules pertinere cognouit.

67 Quod

Digitized by Google

67 Quòd si dicat Mornæus in suo Myster. inquit. oppositione 4. pag. 20. Constantinum illi Concilio tanquam Caput præfuisse; *Constantinus Concilio adest, præest, testes Eusebio, Socrate, Theodoreto, Sozomeno, Patres Synodi in ipsis epistolis Synodicis.*

68 Contra est enim, nullus eorum nequè posteriorum temporũ Scriptor, huius præsidentiæ meminit. Rufinus loc. cit. apertè loquitur: Theodoretus lib. 1. cap. 7. quamuis dicat, Romanum Pontificem in illa Synodo præsentialitèr non præfuisse; præfuisse tamen scribit Legatos suos: vt etiã ait D. Greg. Papa in loco hic nuper adducto lib. 4. epist. 75; præterquam quòd Nicolaus 1. Papa, Michaelẽ Imperatorẽ, Ecclesiasticorũ iura, in iudicijs Clericorum, & doctrinæ Fidei vsurpantem, Constantini exemplo redarguit, his verbis: *Vos autem non solùm Synodo in causa Sacerdotis collectæ interfuistis, verùm etiam numerosa secularium millia, fortè ad videndum eius opprobrium, aggregastis, cùm magis debueratis in hoc imitari Constantinum Pium Augustum, de quo scriptũ est, quòd dixerit: Quia si vidissem aliquem eorum, qui religioso circumamicti sunt habitu, turpitudinem aliquam operantem, Chlamydem meam explicassem, & cooperuissem eum, ne videretur à quoquam: &c. Nolite quæ sua sunt vsurpare: nolite quæ ipsi soli commissa sunt velle subripere: scientes, quia tanto nimirum à sacris debet omnis mũdanarum rerum administrator esse remotus, quanto quemlibet, & Cathalogo Clericorum, & militantium Deo nullis conuenit negotijs secularibus implicari. Denique hi, quibus tantùm humanis rebus, & non Diuinis, præesse permissum est, quomodo de his, per quos Diuina ministrantur, iudicare præsumant, penitus ignoramus, &c. Quibus omnibus ritè collectis satis euidenter ostenditur, à seculari potestate nec ligari, nec solui posse Pontificem.* Hæc Nicolaus 1. ex Constantino.

Admirabilis Constantini pietas erga Ecclesiasticos.

69 Quòd si Mornæus adhuc nõ quiescat, addimus pro Constantini pietate, ac Religiane erga Ecclesiasticos, testimonium alterius Pontificis Summi, scilicet, Gregorij 7. qui lib. 7. epist. 21. contra principes Laicos, Ecclesiasticorum iurium inuasores, Constantini gesta contorquet: *Non ne (ait) miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius Patrem, Discipulus Magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum potestati suæ subijcere, à quo credit non in terra solùm, sed etiam in cælis se posse ligari & solui? Hæc (sicut B. Gregorius epistola ad Mauritium Imperatorẽ, omnium Regum, & Principum ferè totius Orbis Dominus, euidenter intelligens, in Sancta Synodo Nicæna post omnes Episcopos vltimus residens, nullam iudicij sententiam super eos dare præsumpsit, sed illos etiam Deos vocans, nõ suo debere subesse iudicio, verùm se, ab illorum pendere arbitrio iudicauit.* Ex quibus omnibus patet Mornæi mẽdacitas, qui volabat, Constantinum præfuisse Nicæno Concilio, ac in iudicijs Ecclesiasticorum, & Fidei se immiscuisse.

70 At redeamus ad cardinem causæ. In Concilio Ephesino, soli Episcopi, fidei lites finiunt; &, vt patet in Actis eiusdem Synodi, Theodosius, & Valentinianus Imperatores, in epistola, ad Patres illos directa, testantur, ius finiendarum controuersiarum Fidei, ac Religionis, non Laicis Imperatoribus, ac Regibus, sed Sacerdotibus, & Episcopis conuenire, his verbis: *Igitur Candidianum præclarissimum religiosorum, domesticum Comitem ad Sacram vestram Synodum abire iussimus; sed ea lege, ac conditione, vt cum Quæstionibus, & cõtrouersijs quæ circa Fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat, nefas enim est, qui Sanctorũ Episcoporum Catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotijs, & consultationibus sese immiscere. Verùm vt*

Mo-

Digitized by Google

Monachos, & seculares, ac cæteros denique omnes, qui huius spectaculi causa, vel eò nunc confluxerunt, vel in posterum fortè confluent, ab eadem illos Ciuitate modis omnibus submoueat (quandoquidem non licet illis qui omninò necessarij non sunt, sacrorum dogmatum examen aliquo tumultu impedire, & ijs quæ à vestra Sanctitate constituti, definirique debent obstaculum aliquod afferre) tum rursum, vt diligenter prospiciat, ne qua grauior dissensio, ex mutuo repugnãdi studio coorta, & sæuæ tempestatis instar debacchata, Sanctissimæ vestræ Synodi consultationẽ, exactioremque veritatis indagationem quouis modo obturbet. Ex sententia ergo Sereniſſimorum Imperatorum, perſpectum eſt, Laicos Principes nullã penitùs auctoritatẽ habere in decernendis rebus fidei.

71 Reſpondent ad hanc auctoritatem aduerſarij, vt Spalatenſis lib. 6. de Rep. cap. 7. num. 71. & quidam Apologiſta, dicendo quòd currente rota, ex amphora vrceus exijt; dum, à Comite, arguimus, Regẽ non poſſe res fidei definire. *Candidiano (ait) id inhibetur, ne fidei rebus ſe immiſceat, cur ſit trãſitus ad Regem?*

72 O acuminoſam reſponſionẽ! Videat aduerſarius, quòd dum vrceum facere cogitat, currente vertiginoſi ſui cerebri rota, vas exiuit contumeliæ; Etenim, verba Theodoſij, & Valentiniani clara ſunt, nec poſſunt cauillis aduerſariorum obfuſcari; dum, non de ſolo Comite ab ipſis ad Concilium miſſo, ſed de omni, & quocumque ſeculari loquuntur, & fatentur: ſolis Epiſcopis, ac Eccleſiaſticis perſonis conuenire, Sacræ fidei dogmata diſcutere, ac definire. *Nefas (ait) enim eſt, qui Sãctorum Epiſcoporum Catalogo adſcriptus non eſt, illum Eccleſiaſticis negotijs, & conſultationibus ſeſe immiſcere.* Et nunc, vt experiar Apologiſtæ acumen, peto: Rex Laicus, eſt in Cathalogo Epiſcoporum, an extra, ſi dicat quod ſit in Cathalogo, falſum eſt, nã ſi eſt Laicus vt ſupponitur, quomodo eſt Epiſcopus? Si eſt extra Cathalogum: Ergo currente rota, non exit vrceus, ſed telũ quo impietas Apologiſtæ proſternitur; euinciturque, nullum Laicum, ſiuè is Rex ſit, ſiuè Imperator, poſſe munus Capitis in Eccleſia ſibi vſurpare, ac Fidei controuerſias definire.

73 In Concilio Chalcedonenſi Act. 6, & C. Nos diſt. 96. Martianus Imperutor, qui Synodo interfuit, nullum ſibi ius in dogmatibus finiẽdis ſibi vſurpauit, ſed ſolum protectionem ex ſua præſentia demonſtrauit, dum dixit: *Nos ad fidem roborandam, non ad aliquam potentiam oſtendendam, exemplo religioſiſſimi Principis Conſtantini Synodo intereſſe voluimus, vt veritate inuenta, non vltra multitudo prauis doctrinis attracta diſcordet, aliàs, ne vlterius prauis perſuaſionibus à recta ſeparemur fide, & ideo veram fidem Catholicamque etiã exponere, ſecundùm Patrum doctrinam concordantibus animis veſtris, veſtra properet reuerentia, vt qualiter in Nicæna Synodo vſque in hoc tempus, abſciſſo errore, vera fides eſt hominibus cognita, ſic & nunc, &c.*

74 Reſpondet Mornæus in ſuo Myſterio iniquit. Oppoſit. 11. pag. 68. & 69. Martianum præſediſſe Concilio, & Vicarios ab eo ad Synodum miſſos, actiones Conciliares fuiſſe moderatos, ac Iudices in fidei litibus fuiſſe.

75 Sed mentitur Mornæus; nam, Marcianus in Oratione habita in Concilio Act. 1. dixit: *Nos ad confirmandam fidem, non ad oſtendendam potentiam, exemplo Conſtantini adeſſe Synodo excogitauimus.* Vbi ly *non ad oſtendendam potentiam*, idem valet, ac, non ad oſtendendum me habere aliquam auctoritatem; ſed *ad cõfirmandam fidem*, vt ſcilicet, ope Imperatoria, Synodus non exturbaretur; nec dogmata à Patribus definita,

Digitized by Google

ta, à refractarijs impeterentur. Nota etiam, quod dixit, *Properet vestra Reuerentia, veram fidem exponere*. Nō ergo ipse Imperator, sed Episcopi fidem exponunt.

76 Similiter, quòd Mornæus ait de Vicarijs Imperatoris ad Concilium missis, falsum est; nam ibidem dicti Vicarij apertè dicunt, se nihil in fidei decisionibus immisuisse, dum de ijs instrui petunt à Patribus: *Quod placuit (aiunt) Reuerendo Concilio de Sancta fide, ipsum nos doceat*. Assistunt aliquādo Imperatores, vel Reges secul ares, nō vt Ecclesiasticas leges ferāt, vel de fidei litibus iudicēt, sed vt insolescentem hæreticorū audaciam aliquando tēporali potentia cōprimāt. Quare, Isidorus, (& habetur cap. Princeps 25. q. 5.) ait: *Intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi vt quod non præualent Sacerdotes efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem.*

77 Illud valdè notandum est; quòd, cùm in hoc Concilio Chalcedonensi, fuerint sexcenti quinquaginta Episcopi subscripti; nullus ibi Laicus, nequè Imperator subscripsit. Quomodo ergo potest Mornæi deliramentum subsistere?

78 In Concilijs posteriorum tēporum, idem factū legimus. (Quòd si prima sexcentorum annorum à Christo tempora contra promissum excedimus, Aduersarij sunt in causa, qui Imperatorum istorum sæculorum acta obijciunt.)

79 In 7. Synodo, seù in Concilio Nicæno 2. duo quidem Senatores eò ab Imperatore missi, nihil prorsùs in Ecclesiasticis se immiscuere tractatibus, nec Actis subscripserūt; qui etsi initio quædam pauca loquerentur, tamen Act. 4. dixerunt: *Post hoc magnificentissimi, & glorioſissimi Principes per Babunum magnificentissimum Patritium, & Præpositum dixerunt: Imperatores nostri miserunt seruos suos, qui Senatus vocatur, qui voluntate Dei honoratus est secundum omnia, vt simus discretiui eorum quæ geruntur auditores*, &c. Si ergo Senatores isti Laici ab Imperatore ad Concilium missi sunt tantùm auditores, & testes discretiui Actorum Conciliarium, igitur non sunt ludices causarum fidei.

80 Præterea in eodem Concilio Act. 3. in literis Monachorum, habetur distinctio Pontificiæ, & Regiæ potestatis per hæc verba: *Secundas Ecclesiæ partes portant Imperatores. Nam primum in Ecclesia locum Sacerdotes possident. Sacerdotium enim Imperij sanctificatio est, & constitutio; & Imperium Sacerdotij fortitudo est, & fundamentum, de quibus sapiens quidā Princeps, & in SS. Regibus beatissimus, ait: Maximum donum Deus hominibus præstitit, Sacerdotium, & Imperium, illud quidem adorans, & regens cælestia, hoc verò gubernans ista terrestria.* Pulchrè certè & venustè rem cōtrouersam explicant Patres. At Laicocephali terram cum Cœlo confundūt.

81 In Concilio Constantinopolitano 4. quod octaua Synodus appellatur, adfuit quidem, eique subscripsit Imperator Basilius; is tamen in oratione habita ad Patres eiusdē Synodi, ingenuè professus est, se, vtpotè Laicum nullam partem in Ecclesiasticis habuisse tractatibus, nec in negotijs Religionis, & Fidei se Laicum immiscuisse, quippè quæ ad solos Episcopos, & Ecclesiasticos pertinerent, vnde de hisce Fidei negotijs, contra hæreticos Photianos in eadem octaua Synodo damnatos, dixit: *Hæc autem inuestigare, & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi, & soluendi potestatem habent, qui Ecclesiasticas, ac cæleſtes adepti sunt claues, non nostrum QVI PASCI DEBEMVS, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus. Quantacumque enim religionis, & sapientiæ laicus existat, vel etiam si vniuersa virtute*

interiùs polleat, donec Laicus est, ouis vocari non desinet, &c. Quæ ergo ratio est in ordine ouium constituti? Pastores verborum subtilitate discutiendi, & ea quæ supra nos sunt quærendi, & ambigendi habent. Oportet ergo nos cum timore, & fide syncera hos audire, & à facie eorum vereri, (cùm sint ministri Domini omnipotentis, & huius formam possideant) & nihil ampliùs, quàm ea quæ nostri ordinis sunt requirere.

82 Hoc testimonium, quia barbam Laicocephalis, & signãtèr *Apologistæ* vellicat, multis ab eodem impetitur; & dum ad illud respondere nititur, fortiùs suis laqueis implicatur. Respondet ergo & dicit, Basilium in hac re nullam fidem facere, quia is Michaelem Imperatorem occidit, *Imperium* inuasit, & nihil aliud ex eius dictis colligi, nisi Sacerdotum proprium esse, & non Laicorum fidei mysteria *inuestigare, quod non negamus, sed illud durum est quòd sic allegetur dictum Imperatoris, vt nullo modo Laico liceat mouere sermonem de rebus Ecclesiasticis, sic enim nulle partes Principum forent.* Hæc *Apologista* Laicocephalus.

83 Contra miserum *Apologistæ* perfugium; est nã, si non debemus stare testimonio *Basilij*, quia is occidit Michaelẽ. Ergo neq; debemus stare verbis, ac testimonio *Dauidis Prophetæ*; quia iniustè, & vt cælaret adulteriũ, occidi iussit Vriam Etheũ, virum adulteræ, *ponite ex aduerso prælij Vriam* &c. *At*, vt narrat Anastasius Bibliothecharius, & innumeri Scriptores, *Basilius* Imperator iustè Michaelem occidit, quia is pluries ei mortem intentauerat. Præterea, falsum est Basilium, Imperium inuasisse, quandoquidem illorum temporum, sicut & posteriorum, Scriptores, vt Cedrenus, Zonaras, Anastasius Bibliot. citatus, & alij asserunt, Basilium per gradus, & per varia Magistratus officia, & per functiones prudentissimè gestas, ad *Imperij fastiginm* ascendisse.

84 Deindè, aduersarius oculos habet in calcaneo, dum solùm sistit in ly *inuestigare*, & sic totam huius loci lectionem absoluit: melius locum inspiciat, & videbit, Imperatorẽ ibi loqui, de potestate Ecclesiastica ligandi, atque soluendi, per excommunicationem, & absolutionem, quam fortè Laicocephali reges in Diuinæ Legis propudium vsurparunt. Loquitur de clauibus intelligẽtiæ *Scripturarum*, & Mysteriorum fidei, vt possint in doctrina sana sibi commissum gregem pascere. Loquitur de discussione facienda credendorum, & eorum quæ nostram intelligentiam superant. Loquitur de doctrina fidei quam Laici, veluti Oues, debent à suo Pastore audire. Loquitur de Episcopis tanquam de ministris *Dei* Omnipotentis &c. an hoc sit tantùm *inuestigare mysteria*, vt vult *Apologista*, iudicet æquus Laicocephalus.

85 Tandem pro coronide, imprudentèr petit principium, dum ait: durum esse, quòd Laicus nõ possit de rebus Ecclesiasticis loqui, *sic enim nulle partes Principum forent.* Hoc est in quæstione, bone vir. Nos dicimus, Principes Laicos nullam partem habere in definitione dogmatum, & rebus spiritualibus ad animam pertinentibus; tu ex aduerso hoc negas; & ideo negas, quia sic, nullæ essent partes Principis laici, in rebus Ecclesiasticis. Nos probamus nostrum assertum ex facto, & verbis Basilij Imperatoris; tu respondes, factum, & verba Basilij, non esse ad propositum; quia, sic rueret Laicocephalia. Hoc nos intendimus. Et hoc est in quæstione. Et probas, Principes habere partes in negotijs Ecclesiæ, quia habent partes in negotijs Ecclesiæ. Acuta responsio!

LB.

Digitized by Google

LECTIO III.

In qua, ad mentem Sereniſſimi Regis Angliæ, Commentum Laicocephaliæ ex Antiquitate profligatur; eiuſque nouitas oſtenditur.

1 IAm, vt ſupra vidimus, Iacobus Angliæ Rex, acerrimus Laicocephaliæ defenſor, dixerat. *Ingenuè ſpondeo, quoties Religionis quem profiteor vllum Caput oſtendetur non Antiquum &c. ſed nouitium, & recens &c. me ſtatim ab ea diſceſſurum* &c. Ad mentem igitur Sereniſſimi Regis, ex tota Antiquitate, commẽtitium eiuſdem Eccleſiaſticum Primatum, cum Anglorum Laicocephalia exſufflamus. Vndè Veritas Catholica in præcedenti Lectione ſtabilita.

2 Probatur quartò ex Patribus primorũ ſæculorum, quos Rex ipſe Angliæ Iacobus ſe velle recipere promiſit: Inuictus Dei Martyr Ignatius in epiſt. 7. ad Smirnenſes, ait, primum honorem deberi Deo, ſecundum Epiſcopo, tertium Regi; ad denotandum, Regiam poteſtatem temporalem, eſſe ſpirituali, & Eccleſiaſtica dignitate inferiorẽ. Deindè, in epiſt. ad Philippẽſes, inquit: *Præsbyteri, & Diaconi, atque omnis Clerus, ſimul cum omni populo, & militibus, atque Principibus, ſed & Cæſares obediãt Epiſcopo*: Igitur Imperatores, Reges, ac Principes ſæculares, omniſque Populus, & Clerus, debent Eccleſiæ Epiſcopis obedire: An hoc fiat in Anglia? ipſi viderint.

3 S. Athanaſius, videns Conſtantium Imperatorem, Eccleſiaſtica iura, Eccleſiaſticorumque iudicia, iniquo ſibi iure vſurpaſſe, ac Laicocephaliam in Eccleſia intẽtaſſe, epiſtolis datis ad ſolitariam vitam agẽtes, de Conſtantio Eccleſiaſticis negotijs ſe immiſcente, dixit: *Nam, ſi iſtud eſt iudicium Epiſcoporum, quid cũ eo commune habet Imperator? Sin contra, iſta minis Cæſaris conflantur, quid opus eſt hominibus titulo Epiſcopis? Quando à condito æuo auditũ eſt? Quãdo iudicium Eccleſiæ, auctoritatem ſuã ab Imperatore accepit? Aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum eſt?* Plurimæ ante hac Synodi fuere, multa iudicia Eccleſiæ habita ſunt: ſed nequè Patres, huinſmodi res Principi perſuadere conati ſunt, nec Princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſum præbuit. Paulus habebat amicos in Cæſaris familia & per eos in literis ſalutabat Philippenſes non tamen in iudicio eos ſocios aſſumpſit. Nũc autem nouum ſpectaculum ab Ariana hæreſi editur; Conuenerunt enim in vnũ hæretici, & Imperator Conſtantius, vt ille quidem ſub prætextu Epiſcoporum, ſua poteſtate aduerſus eos, quos velit, vtatur, & tamen, in perſecutione mouẽda perſecutor non appelletur: illi verò ſuccinti Principis poteſtate, inſidias faciunt quibus volunt, &c. Quis videns eum, in decernendo, Principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere iudicijs Eccleſiaſticis, non meritò dicat, illum, eam ipſam abominationem deſolationis eſſe; quæ à Daniele prædicta eſt.*

4 Ex his, Sole clariùs apparet, Anglicanam Laicocephaliam eſſe iam diù ab Athanaſio damnatam. Sed quid ad hæc, Regius Apologiſta? Cũ lippis oculis, ſolis claritatem ſibi offenſam videat, Soli maledicit; & in Athanaſiũ ſæuiſſimè debacchatur, eumque ledorijs, ac ſcommatibus impetit, nec eum cum hæc ſcriberet ſanæ mentis fuiſſe obmurmurat. Iãdem, reſpondet, Athanaſium loqui de auctoritate Eccleſiaſtica intrinſeca Sacerdotum, quam, certum eſt à Deo, non ab Imperatore in Sacerdotes fuiſſe transfuſam; non verò de poteſtate iudiciali extrinſeca, quam certum eſt (ait) Epiſcopos ab Imperatore laico accepiſſe.

5 At vt video, Apologiſta, malorum litigantium more, dum nequit, à clariſſimo teſte preſſus, ſe ueritate tueri, cauillis, & ſcommatibus causã

Digitized by Google

ſuam agit; cùm tamen Rex ſuus Calumniæ iuramentum præſtiterit, calumniaſque, in rebus, tàm ſerijs, euitare promiſerit, vt ſupra. *Athanaſij* liber manibus omniũ teritur, iſque clarè loquitur de auctoritate iudiciali extrinſeca, & viſibili Epiſcoporum; Loquitur de Synodicis iudicijs, in quibus, nullus vnquam Imperatorum Laicam ſuam auctoritatem immiſcuit. Loquitur de iniqua vſurpatione Iudiciorũ Imperatoris Ariani in decernendis rebus extrinſecis Eccleſiaſticis; & de iniqua vſurpata Imperatoris extrinſeca præſidentia ſupra Episcopos, vt per Regẽ Angliæ iniuſtæ fit, & factum eſt.

6 Hoſius Epiſcopus (qui vixit anno 350.) in Epiſt. ad Conſtantiũ Imperatorem, que extat apud *Athanaſium* ad Solitar. vitam agentes, eumdem Conſtantium Eccleſiaſticis ſe immiſcentem alloquitur. *Quid tale à Conſtante actum eſt? Aut quis ibi Epiſcopus relegatus? Aut quando iudicijs Eccleſiaſticis interfuit? aut quis ipſius Palatinus vim abhibuit, vt contra aliquam ſubſcriptio fieret? Vt idem Valens cum ſuis aliquid colligat, habeatque quod obijciat? Deſine, quæſo, & memineris te mortalem eſſe, reformida diem iudicij, ſerua te in illam diem purum, ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe; ſed potius ea à nobis diſce. Tibi Deus Imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ congredidit. Et quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit Ordinationi diuinæ; ita & tu caue ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. Neque fas eſt nobis in terris Imperium tenere, neque tu thymiamatum, & ſacrorum poteſtatem ò Imperator.* Hoſius ergo Epiſcopus, exemplo Conſtantis, & Valentis Imperatorum, Conſtantium Imperatorem, Sacris, ac Eccleſiaſticis negotijs ſe immiſcentem, redarguit: & ex Scripturis probat, Imperialium, ac Eccleſiaſticarum iurium diſtinctionem; vtrarumque fines, vtrique ingredi, prohibitum; Vni, docet, thymiamatum, & Sacrorum poteſtatẽ, alteri temporalium, ac terrenorum iura commiſſa.

7 Reſpondet Regius Apologiſta, Hoſium Epiſcopum, meritò Conſtãtium Imperatorem reprehendiſſe, non quia is, Eccleſiaſticis ſe immiſcuiſſet tractatibus, compellendo Epiſcopos ad confirmandam doctrinam fidei, ad iudicandum, & deponendum è ſuis ſedibus Epiſcopos, vt fecit *Athanaſio*, &c. ſed eum reprehẽdiſſe ob iniuſtitiam; tùm quia, iniuſtè compulerat Epiſcopos ad confirmandam doctrinam hæreticam, & falſam, & ad ſentiendum contra Chriſtum; tum etiam quia, *Athanaſium*, quem in Synodo insõtem liberauerat, contra omnem æquitatem, abſentem, nequè auditum, neque conuictum, condemnauit; & ita, optimè dicit Hoſius, Conſtantius has iniuſtitias Hoſio nè precipiat; & Hoſius, Conſtantio nè pareat: non verò in his, quæ ſecundùm æquitatem ſunt, in quibus Epiſcopi debent Imperatori obedire.

8 Videte prudentiſſimi Proteſtãtes locum, locique verba perpendite, totaſque acuminis veſtri vires, in Hoſij verborum explicatione impẽdite, num is in tota illorum verborũ ſerie, vel verbũ faciat de Conſtantij iniuſtitia: ego enim in illis, nihil tale inuenio; ſed tantùm ex illorum verborum tenore colligo; Hoſium Epiſcopum, Conſtantium reprehendiſſe; quia, ipſe Laicus, Sacris, ac Eccleſiaſticis tractatibus ſe immiſcebat; cui, ſolùm ſceptrum, & Laicales, forenteſque lites, ſicut & temporale regimen erat commiſſum. Et quia tunc duplex erat quæſtio diſcutienda, vna de dogmatibus, & ad fidem pertinentibus, alia de Epiſcopis Catholicis, vel deponendis, vel in exi-

lium

Digitized by Google

lium mittendis: Hosius, Imperatori restitit, eumque iudicij diem pertimescere monuit, nec ei acquieuit, sed dixit, *Tibi Deus imperium, nobis quæ sunt Ecclesiæ commisit &c. Caue ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahas*, &c. Et sic euanescit figmentum Apologi.

9 Cyrillus Hierosolymitanus Catheſi 17. (qui vixit anno 370.) in rem noſtram, ait: *Ad hodiernum vsque diem cernimus, mundanos Principes regi, & instrui ab Ecclesiasticis.* Igitur Reges Laici, reguntur ab Ecclesiasticis, non è cõtra vt fit in Anglia.

10 Gregorius Nanziãzenus (qui vixit anno 380.) Orat. 17. quæ est ad Ciues Nanzianzenos, & Præfectũ irascentem, inquit: *Quid igitur dicitis? aut quid inter nos conuenit? an me liberè loquentem æquo animo feretis? Nã vos quoque imperio meo, ac throno lex Christi subiecit. Imperium enim nos quoque gerimus, addo, etiam præstãtius, ac perfectius; nisi verò æquum est spiritum carni fasces submittere, & cælestia terrenis cedere. Sed non dubito, quin hanc dicendi libertatem* (alloquitur Præfectum) *in optimam partem acceptarus sis, vtpotè sacri mei gregis ouis sacra, magnique Pastoris alumna, rectegue iam olim à spiritu ducta, & instituta.* Et Oratione 6. ad Iudices, & Præfectos sic eos alloquitur: *Nemo igitur Caput sit, qui vix manus, atque pes esse possit, seù membrum aliquod corporis honorabilius*, &c. Videat Sereniſſimus Rex Angliæ, an ipſe iure poſſit, Capitis Eccleſiæ iura, ſibi vendicare.

Ex Christi lege Principes Laici subijciuntur Ecclesiæ.

11 Chriſoſtomus de verb. Eſaiæ Homilia 4. *Alij* (ait) *ſunt termini regni, alij termini Sacerdotij. Hoc regnũ* (Sacerdotij) *illo maius eſt, neque enim ex his &c. Maior hic Principatus, propterea Rex caput ſubmittit manui Sacerdotis, & vbique in veteri Scriptura Sacerdotes, inungebant Reges.* Et idem iterum lib. 3. de Sacerdotio, inquit: *Habent, & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, ſed corporum ſolum. Id autem quod dico, Sacerdotum vinculum, ipſam etiam animam continet, atque ad cælos vſque peruadit; vſque adeò, vt quæcumque in ſernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſpernè rata habeat.* Et Homil. 83. in Matth. alioquẽs Diaconum ſuum, ait: *Si dux quiſpiã, ſi Conſul ipſe, ſi is qui diademate ornatur indignè adeat, cohibe, & coerce: maiorem tu illo poteſtatem habes.*

12 Theodoretus lib. 4. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 16. refert verba Eulogij Epiſcopi, ad Præfectum Valẽtis Imperatoris, qui volebat ſacris tractatibus ſe immiſcere: *Ad quem* (ait) *Eulogius diſſimulanter quidem, ſed valde facetè reſpondet: Numquid Valens cum Imperio eſt etiam Sacerdotij dignitatem conſequutus? Præfectus igitur intellecta ironia capit grauiter ſuccenſere, conuitia in Presbyterum iacere, & hæc quoque verba addere: Non iſtud dixi, ò ſtupide, ſed vos, vti quibus cum communicat Imperator, cũ ysdem communicetis, adhortatus ſum.*

13 Cyprianus epiſt. 55, ſeu lib. 1. epiſt. 3. Quaſi Anglicanum Schiſma ab Eccleſia Dei præuidiſſet, fatetur, illud non aliunde o tum ducere, niſi quia Summo Sacerdoti, ac vniuerſali Paſtori Eccleſiæ non obeditur, ſed laico Capiti: *Neque enim* (ait) *aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſunt Schiſmata, quàm indè, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur &c.* Ex quibus verbis eruimus, Cyprianum tantum velle, vt nullus Laicus poſſit eſſe Eccleſiaſticorum negotiorum Iudex, ſed ſemper Summus Sacerdos, qui vice Chriſti, ſeu vt Vicarius viſibilis Chriſti Domini in terris, ſit Iudex omnium quomodolibet ad Eccleſiam ſpectantium negotiorum; quod ſi ſecus factum fuerit, hæreſes oriuntur, & Schiſmata.

14 Hilarius lib. aduerſus Conſtantium Imperatorem, ait: *Prouideat clementia tua, vt omnes ſe vbique*

Iudi-

Iudices, quibus Prouinciarum administrationes sunt creditæ, ad quos sola cura, & solicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religiosa se obseruantia abstineant. Sola ergo cura publicorum temporalium negotiorum laicis conuenit, non verò Religionis & Fidei. Et iterum idem ipse Hilarius ibidem ad eumdem: *Recognosce fidem quam olim optime, & elegantissime Imperator ab Episcopis optas audire, & non audis. Dum enim à quibus ea requiruntur, sua scribunt, & non quæ Dei sunt prædicant, orbem æternum erroris, & redeuntis in se semper certaminis retulerunt.*

15 Lucifer Caralitanus lib. 1. ad eundem Constantium Augustum pro Sancto Athanasio, alludens ad illud Deuteronom. 17. *Si quis superbierit nolens obedire Sacerdotis &c. morte moriatur homo ille*, Imperatorem qui causas Episcoporum iudicare præsumpserat, sic eum, & Carolum Serenissimum Regem Angliæ propheticè alloquitur. *Proba te super nos factum iudicem: proba, te ad hoc constitutum Imperatorem, ut nos, armis tuis, ad omnem implendam voluntatem amici tui diaboli, perduceres; cùm probare non possis: quia præceptum tibi sit, non solum non dominari Episcopis, sed ita eorum obedire statutis, vt si subuertere eorum decreta tentaueris, si fueris in superbia comprehensus, morte mori iussus sis. Nolens, scilicet, obedire Sacerdotis imperio* in rebus spiritualibus, & ad Fidem, ac Religionem pertinentibus, iuxtà locum Deuteronom. cap. 17. adductum: quare, cũ Summi Sacerdotis imperio noluisset obedire Carolus Rex Angliæ, pœna mortis, Deo vlciscente, mulctatur, ab iniqua plebe damnatus.

16 Ambrosius epist. 32. Valentinianum Imperatorẽ, multis argumentis Laicocephaliam prætensam exsufflat, dum ait: *Dalmatius me tribunus, & notarius mandato, vt allegauit, clementiæ conuenit tuæ postulans, vt & ipse iudices eligerem, sicut elegisset Auxentius: nec tamen expressit eorum nomina, qui fuerant postulati, sed id addidit, quòd in Consistorio esset futura certatio arbitre tuæ pietatis iudicio. Cui rei respondeo, vt arbitror, competenter, nec quisquam contumacem iudicare me debet, cùm hoc asseram, quod Augustæ memoriæ pater tuus, non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit, in causa Fidei, vel Ecclesiastici alicuius ordinis, eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt: hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit iudicare. Quin etiam si aliàs quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale iudicium pertinere. Quis igitur contumaciter respondit Clementiæ tuæ? Ille, qui te Patri similem esse desiderat, an qui vult esse dissimilem? Nisi fortè vilis quibusdam tanti Imperatoris existimatur sententia, cuius & fides, confessionis constantia comprobata est, & sapientia meliorate Reipublicæ profectibus prædicatur. Quando audisti, Clementissimè Imperator, in causa Fidei, Laicos de Episcopo iudicasse? Ita ergo quadam adulatione curuamur, vt Sacerdotalis iuris simus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipse alijs putem esse credendum? Si docendus est Episcopus à Laico, quid sequitur: Laicus ergo Disputet, & Episcopus audiat, Episcopus discat à Laico. At certè, si vel Scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est, qui abnuat in causa Fidei, in causa, inquã, Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare? Eris Deo fauente etiam senectutis maturitate prouectior, & tunc de hoc cẽsebis, qualis ille Episcopus sit, qui Laicis ius Sacerdotale substernit. Pater tuus Deo fauente vir maturioris æui dicebat: non est meum iudicare inter Episcopos: tua nunc dicit Clementia, ego debeo iudicare? Et ille baptizatus in Christo, inhabilem se ponderi tanti putabat esse iudi-*

iudicij: Clementia tua, cui adhuc emerēda baptismatis Sacramenta seruantur, arrogat de fide iudicium, cùm ipsius Sacramenta seruantur, arrogat de fide iudicium, cùm fidei ipsius Sacramēta non noueriti &c. Si tractandum est, tractare in Ecclesia didici quod maiores fecerunt mei. Si conferèndum de fide, Sacerdotum debet esse ipsa collatio, sicut factum est sub Constātino Augustæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante premisit, sed liberum dedit iudicium Sacerdotibus.

17 Respondet eodem modo quo supra Regius Apologista, quòd ex prædicta Ambrosij auctoritate tantùm colligitur, Regibus æternæ disciplinæ Ecclesiasticæ curam esse commissa; non autem internam, & spiritualem animæ.

18 Contra; nam, ibi dicit Ambrosius, quod non licet Imperatoribus, ac Regibus Laicis, de Episcopis iudicare, res fidei definire, & nullum prorsus ius in Ecclesiasticos habere, vt patet; igitur, negat Ambrosius, curam externam disciplinæ Ecclesiasticæ Regibus esse commissam. Cæterum Rex Angliæ, nedum indebitū extrinsecum Regimen, ac extrinsecā supremi Ecclesiastici Capitis præfecturam sibi vēdicat; sed etiam, fidei, ac spiritualis auctoritatis sibi gubernaculum arripit, Concilia conuocat, fidei controuersias finit, decreta fidei condit, Concilia confirmat, quæ omnia (vt sibi falsò suadent Anglī) conscientiam obligant; Verùm, hæc omnia, chymerici Capitis deliramēta sunt cum nulli Laico, siuè Imperatori, siuè Regi dictum sit. *Quodcūque ligaueris super terram erunt ligata, & in Cœlis* &c. neque: *Tibi dabo Claues Regni cœlorum*, neque: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinuerit, retenta sunt*, &c. Hæc enim Pontificibus Romanis Petri successoribus, & Episcopis Apostolorum filijs, qui pro Patribus nati sunt, dicta fuisse constat.

19 Deindè, Apologistam hoc dilemmate præcludimus. Vel decreta fidei, & morum, à Rege Angliæ edita, obligant intrinsecè & in conscientia, vel non; Si primum, tuit responsio Apologistæ, qui vult, Ambrosium tribuere tantum extrinsecū Ecclesiæ regimen Regi. Si secūdum, Laicocephalia, & Primatus Anglicanus, cum is nullam potestatem spiritualem Ecclesiasticam habeat. Vel certè erit chymera cum, & ventosum Caput Ecclesiæ nulla pollens spirituali, & Ecclesiastica auctoritate.

20 Hieronymus factum Oziæ Regis (in prima nostra probatione adductum) commemorens epist. 142. ait: *Ozias Rex, quandiù vixit Zacharias Sacerdos cognomento intelligens, placuit Deo, & cum omni veneratione delubrum eius ingressus est. Postquam verò Zacharias obyit, volens per se offerre donaria, Sacerdotalem Ordinem, non tam piè, quàm audaciter inuasit, & reclamantibus Leuitis & Sacerdotibus cæteris: Non ac tu es Ozias Rex, & non Sacerdos? audire noluit, statimque lepra perfusus est in fronte iuxta Prophetæ vocem, docentis psal. 28 Imple Domine facies eorum ignominia.*

21 Augustinus (an. 0400.) epist. 166. Donatistas redarguens quod Ecclesiastica iudicia Cæciliani Episcopi ad Constantinum Augustum detulissent, Laicocephaliam explodit, his verbis: *Primi Maiores vestri causam Cæciliani ad Imperatorem Constantium detulerunt. Exigite hoc à nobis, & si non probauerimus, facite de nobis quicquid potueritis. Sed quia Constantinus non est ausus de causa Episcopi iudicare, eam discutiendam atque finiendam Episcopis delegauit. Quod & factum est in Vrbe Roma, præsidente Melchiade &c.*

22 Apologista huius auctoritatis robur conatur infringere, dicendo, Augustinum, tantùm velle, quòd Canon 6. Concilij Constantinopolitani, & Can. 11. & 12. Concilij Antiocheni,

cheni,& Can. 107. Concilij Carthaginenſis,præcipiunt,ne Eccleſiaſtici adirent Imperatorem,niſi poſt iudicium,& ſententiam Epiſcoporum, ac Iudicum Eccleſiaſticorum; adeoque,vult aduerſarius,viros Eccleſiaſticos,poſt latam ſententiam à Iudice Eccleſiaſtico, poſſe ad Laicũ Imperatorum, vel ad Regum tribunal appellare.

23 At, caſſo labore deſudat Regius Laicocephaliæ defẽſor; primò, quia aerem verberat, dum citat Canonem 6.Concilij Carthaginenſis,in quo nihil habetur de hac materia. Secundò, nam rurſus citat Canonẽ 107. eiuſdem Concilij Carthag. in quo Concilio non ſunt niſi 105. Canones,ni velit,duos falſos Canones, antiquiſſimæ Synodi nuperus plagiator adiungere. Tertiò, quia in locis ab ipſo adductis,non extat talis commentitia diſtinctio, de appellatione ad Imperatorẽ ante, vel poſt Epiſcoporum iudiciũ. Quartò, quia in Concil. Antioch. cap. 12. ſup.cit. ſtrictiſſimè prohibetur, ne Clerici, poſt ſententiam à Iudice Eccleſiaſtico latam,vel exauctorati, vel depoſiti, Laicum Imperatorem appellẽt; *Quod ſi,* (ait Concilium) *deficiens puſillanimitate,hoc noluerit facere,* (ſcil. *ab Epiſcopo appellare ad Concilium*),*ſed Imperatori fuerit importunus;huiuſmodi,nullam veniam habeat, neque locum vllius aſſertionis ſuæ;nec ſpem recipiendi gradus habeat in futurum*. Ex quibus,conſtat,Apologiſtæ vaniloquiũ, de appellatione, poſt iudicium Eccleſiaſticum,ad Iudicium Imperiale Laicum, cum hoc ipſum, ſit in Synodo Antiochena expreſsè prohibitum,vt patet ex cap.12.eiuſdem Cõcilij ſupra adducti.

24 Sed dicit iterum Aduerſarius, Auguſtinum,cum toto Carthaginẽſi Concilio,Imperatori primatum Eccleſiaſticum detuliſſe, in cauſa Primoſi Epiſcopi.

25 Sed hoc falſum eſt; poterat Apologiſta vlterius progredi in lectione eiuſdem loci ex Concilio Carthaginenſi, & ita vidiſſet, quòd quãuis Primoſus, à ſententia Auguſtini, & omnium Patrum eiuſdem Synodi, Imperatorem appellauerit, eiuſque iudicium expetierit; tamen, vt conſtat ex verbis Auguſtini, noluit Imperator, eius quærelas admittere, ſed ad ſuum Iudicem competẽtem, ſcilicet,ad Concilium remiſit; &, vt conſtat ex eodem Concilio Carthaginenſi, Primoſus citatus à Cõcilio, Iudicem ſuũ refugiens, non amplius apparuit,repertuſque non eſt.

25 Optatus Mileuitanus lib. 2. cont. Parmenianum ſic contra Donatiſtas à Concilio, ad ipſum appellantes, exclamat: *O miranda furoris audacia! ſicut in cauſis Gentilium fieri ſolet,appellationes interpoſuerunt.*

26 Quid ad hæc Apologiſta? Reſpondet. *Tandem Conſtantinus ſententiam in Donatiſtas tulit.*

26 Cæterum, ex hoc, malè colligit quod pretendit Aduerſarius: tum quia miniſterialiter, & non tanquã legitimus Iudex damnauit Donatiſtas,idque colligitur ex D. Auguſtino epiſt. 162; vbi ait, quòd Imperator Conſtantinus,ſemel atque iterũ renuit Donatiſtarum iudicium ſuſcipere; imò, & Donaſtitas, qui eius Iudicium expoſtulauerunt, his verbis reprehendit: *Petitis me Iudicem ſeculi?* Et ita, tandem ad maius malum euitandum, innixus conſultationi Epiſcoporum,qui eos in concilio damnauerant, plus æquo poteſtatis aſſumẽs, veniam poſtmodum ab Epiſcopis de eccesſu petiturus, in eos ſententiam tulit; qui & in ſua de hac re confeſſione, expreſſit factum illud, nullo futuro tempore, poſſe in exemplum & imitationem tranſire.

27 Cyrillus Alexãdrinus in epiſt. ad Synodum Antiochenam,que extat in Actis Concilij Epheſini Tom. 1.cap. 9.ait: *Eſſet iuſtius,ſi Eccleſiaſtica qua-*

Digitized by Google

quæstiones in Ecclesia agitarentur, ac iudicarentur, quàm apud alios exteros, quibus sanè huiusmodi causarum tractatio non conuenit. Igitur secularibus exteris ab Ecclesiastico ministerio, non conuenit Ecclesiastica tractare negotia.

28 Sozomenus lib. 1. cap. 8. narrat, Constantinum Imperatorem ad Episcopos scripsisse, vt quæcumque vellent, imperarent; item scripsit ad Prouinciarum Præsides Laicos, vt Episcopis obedirent, his verbis: *Imperator Constantinus scripsit tum ad Episcopos, tum ad Præsides cuiuscũque Prouinciæ: ad illos quidem, vt quæ vellent imperarent: ad hos autem, vt morem gererent Episcopis, eorumque imperata studiosè facerent.*

29 Seuerus Sulpitius lib. 2. histor. sacr. de Sancto Martino Episcopo, ait: *Martinus, vir planè Apostolis conferendus, satis superque sufficere dicebat, vt Episcopali sententia hæretici Priscillianistæ iudicati, Ecclesijs pellerentur; nouum esse & inauditum nefas, vt causam Ecclesiæ Iudex secularis iudicaret.* Igitur priscis illis temporibus, & Sancti Martini tempore, nefas erat inauditum, asserere Laicocephaliam.

30 Apologista vt locum Sulpitij infirmet, nesciens quid obijciat, ait, Maximum Imperatorem, qui priscillianistarum appellationem à sentẽtia Concilij, ad se factam suscepit, non fuisse legitimum Imperatorem, sed tumultuaria militum vi, ad Imperium euectum; qui etiam fuit Iudæorum fautor. Quin, & Priscillianitarum causam, non fuisse de hæresi, sed solùm de eorumdem maleficijs. *Quæ appellatio (* ait Apologista *) etsi Martino displicuit, placuit tamen Leoni Romano Pontifici ex epist. 63. eiusdem.* Et Ithacius, in Cõcilio à Maximo Imperatore congregato, fuit à Synodo Treuirensi absolutus.

31 Præcluditur effugium, & Apologistæ fallacia ex ignoratione, vel dissimulatione Elenchi detegitur, & confutatur. Quæstio est, an Princeps & Imperator Laicus, possit de Ecclesiasticis iudicare. Nos negamus, & Sanctus Martinus negat, & reprehẽdit in Maximo, dicitque hoc esse inauditum nefas: Apologista affirmat, & dicit, Maximum illum non ritè fuisse initiatum Imperatorem, fuisse Iudæorum fautorem, fuisse hæreticum &c. Quare statum quæstionis euertit; non enim inquirimus, an Imperator ritè electus, Catholicus, vel hæreticus, possit Ecclesiastica sibi arrogare iudicia; sed an Imperator, siuè iure, siuè contra ius electus; siuè hæreticus, siuè Catholicus dumodo Laicus sit, possit se in Ecclesiasticis causis immiscere; & hoc, ait Sanctus Martinus, quod sit nefas inauditum; quia nullo modo Imperatori Laico conuenit *Pasce oues meas*, nec, *quæcũque ligaueritis super terram erunt ligata, & in Cælis* &c.

32 Ad illud quod addit Apologista, de Martino Episcopo, & Leone Romano Pontifice, dicimus; quòd aliud est quod displicuit illi, aliud quod placuit isti: displicuit Martino quòd Maximus, qui per quinquennium Occidentalis Imperij rexit habenas, Priscillanistas hæreticos, a Concilio damnatos, & iudicatos, ad ipsum appellantes audierit, quod etiam Leoni displicuit; Placuit autẽ Leoni, quòd mediante Imperatoris ministerio, Priscillianus, eiusque facinorosi asseclę, temporali gladio essent exterminati.

33 Tandem, ad illud quod subiungit de Ithacio; dicendũ est, quòd cùm Ithacius iste, fuisset iurè damnatus à Theognosto Episcopo, Patrocinante Maximo Imperatore, anno 386; ab Episcopis Ithacianæ factionis fuit Treueris congregatum Concilium, à quo prædictus Ithacius fuit, vt innocens absolutus. At hoc Concilium cum esset Schismatico-

Digitized by Google

rum, fuit omninò reprobatum à Siricio Papa, à Concilio Taurinensi cap. 5. & à S. Ambrosio. Quin, vt ait Seuerus lib. Dial. dial. 3. cùm Sãctus Martinus Maximo Imperatori communicasset, quãdiù iste vixit, peccatum hoc suum defleuit, & Ithacianorum communionem exhorruit, nullamque in posterum Synodum adijt, aut Episcoporum conuentum.

34 Probatur quintò. Eadem Veritas præcedenti lectione stabilita, ex vltronea Imperatorum, ac Regũ Confessione, qui in Ecclesiasticos viros, Ecclesiasticisque negotijs nullũ sibi ius conuenire dictis, factis, ac exemplis declararunt, Agmen ducit Sereniſſimus Imperator Constantinus semper Augustus, ex Anglico semine, ac germine procreatus; De quo, Ruffinus lib. 1. histor. cap. 2. & Sozomenus lib. 1. cap. 16. dicunt: *Cũ in Concilio Nicæno ex omnibus penè locis Episcopi conuenissent, & (vt fieri solet) diuersis ex causis inter se iurgia quædam detulissent, interpellabatur frequenter à singulis, offerebantur libelli, culpæ proferebantur; & magis ad hæc, quàm ad id, pro quo ventum fuerat, animos dabant. At ille videns, quòd per huiusmodi iurgia causa summi negotij frustaretur, diem certum statuit, quo vnusquisque Episcoporum, si quid querimoniæ habere videretur, deferret. Et cùm resedisset, suscepit à singulis libellos, quos simul omnes sinu suo continens, nec in eis quid contineretur aperiens, ait ad Episcopos: Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit DE NOBIS quoque iudicandi, & ideo NOS A VOBIS rectè iudicamur: vos autem nõ potestis ab hominibus iudicari: propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium, & vestra iurgia, quæcumque sunt, ad illud Diuinum reseruẽtur examen.*

35 Nec dissimilitèr Valentinianus, Theodosius, & Archadius Imperatores apud Gratian. causa 11. q. 1, suis subditis, & Præfectis per Imperium dispersis præcipiunt, vt nullam vim Ecclesiasticis inferant, nec audeant Clericorum se immiscere tractatibus, quippè quod iniustè cõtra iura diuina esset attentatũ: *Continua (aiunt) lege sancimus, vt nullus Episcoporum, vel eorum, qui in Ecclesia necessitatibus seruiunt, ad iudicia, siue ordinariorum, siue extraordinariorum iudicum protrahantur. Habent enim illi suos iudices, nec quicquam his, publicis est commune cum legibus.*

39 In Concilio Ephesino tom. 1. Concil. in *Act.* eiusdem cap. 6. extat epist. Theodosij, & Valentiniani Imperat. ad Cyrillum, vbi amplissimis verbis, declarant, causarum fidei discussionem, ac Iudicium, solis Dei Sacerdotibus cõuenire, dicentes: *Nos sanè Ciuitates simul & Ecclesias conturbari nequaquam sinemus: sed nec eã quoque doctrinam indiscussam manere patiemur, cui diudicandæ eos præsici oportet, qui Sacerdotijs vbi vis gentium præsident: per quos & nos in veritatis sententia stabilimur, magis magisque identidem stabiliemur.* Ex quibus perspectum est, quòd Sereniſſimi Imperatores, à Sacerdotibus, diount se doceri de rebus fidei, vt constat ex ly *per quos, & nos*, &c.

40 De Valẽtiniano Imperatore, narrat Sozomenus lib. 6. histor. cap. 7, quòd noluit se Ecclesiæ tractatibus immiscere, cùm non Ecclesiasticam, sed tantùm Laicalem potestatem haberet, qua, secularia, ac temporalia tantùm posset tractare negotia. *Petentibus (ait) Episcopis, vt sibi de doctrina fidei rectè constituenda in vnum conuenire permitterentur, Valentinianus Imperator respondit, sibi, qui vnus è Laicorum numero esset, non licere eiusmodi negotijs se interponere. Et ideo, inquit, Sacerdotes, & Episcopi, quibus hæc curæ sunt, per se, vbicumque ipsis libitum fuerit, in vnum conueniãt.* Quo responso ad legationem Hypatiani dato, *Lampsaci Concilium cogunt: atque vbi ad bimestre spatium de rebus fidei deli-*

Digitized by Google

deliberatum est, tandem decernunt Acta Constantinopoli, opera, & studio Eudoxij, & Acatij cũ suis sancita, abrogare.

41 Huic facto refragatur Regius Apologista Laicocephaliæ Anglicanæ defensor, & tria dicit. Primò, responsionem Imperatoris non fuisse ad propositum, sed, vt aiunt, extra Chorum; nam, Episcopi petunt de loco vbi erat Concilium celebrandum; Imperator respondit; sua non interesse hæc curiosiùs percontari. Secundò, rem hanc, aliter narrari à Nicephoro Callixto lib. 11. histor. c. 3, qui ait, aliã causam Imperatorẽ assignasse, ob quã nõ poterat Episcoporũ postulationi satisfacere, quia, nimirum, erat alij negotijs occupatus, *Mihi* (ait Imperator ex Niceph.) *facilè non est, qui negotijs occupatus, & Reipublicæ curis distentus sum.* Tertiò dicit, ex hoc loco, potius colligi Laicocephaliã; nam, quorsum Episcopi ab Imperatore illud peterent, nisi ad Imperatorem pertinuisset, licentiam eis impertiri, pro cogendo Cõcilio? cùm autem petierint; signum est, illud, in Imperatoris, & non in Episcoporum potestate situm esse.

42 Vana sunt hæc Apologistæ perfugia, & quidem primum, non subsistit; nam, Imperatoris prudentissimi responsio, fuit valde ad propositum: petentibus enim Episcopis, an liceret in vnum locum congregari, pro doctrina fidei rectè constituenda? *Imperator respondit, sibi, qui vnus è Laicorum numero esset, non licere huiusmodi negotijs se immiscere*: Quasi diceret, frustra à me petitis. quod non in mea, sed in vestra situ est potestate: Hæc Ecclesiastica, non laici, sicut ego sum, sed Ecclesiastici, de quorum ordine vos estis, tractãt. Secundum, est nullius roboris: Quãdoquidem, idem Nicephorus refert Imperatorem dixisse; *Nec fas est manum admouere* in his rebus Ecclesiasticis. Constat ergo etiam ex Nicephoro, Imperatorem agnouisse illud èsse sibi vetitum, *fas*, enim, vt ait Isidorus lib. 5. Etymologiarum cap. 5 ius importat. Sed his sepositis, magis credendum est Sozomeno, qui fuit Nicephoro antiquior. Tertium tandem, nihil pro Apologista conuincit; etenim, cùm multi essent tunc Pagani qui Iuliani statuta seruabãt, quique potuissent impedire, ne Patres congregarentur in Concilio; ijdem Patres necessitate coacti, non quidem licentiam, sed potius tutum, ac securum locum, ne à Iuliani sectatoribus turbarentur, flagitarunt. Sed tamen flagitassent. Quid inde? Quod ipsi ex necessitate, petunt; Imperator ex Religione negat, dicendo: se Religione, ac diuina lege teneri, ne posset in Ecclesiasticis negotijs se immiscere, vt supra dictũ est.

43 Martianus Imperator Codice de Episcopali audientia, declarat, neque se, neque nullum laicum in quauis dignitate constitutum, nullam penitus actionem habere in iudicijs Ecclesiasticis, ad solum Pontificem pertinentibus; imò mandat, vt quicumque, siue Præses, siue alius laicus in Ecclesias, vel Clericos aliquam actionem attentauerit, vt is, in iustam suæ temeritatis pœnam, vinctus & inuitus ducatur ad Antistitẽ almæ Vrbis. *Quicumque* (ait) *Catholicarum Ecclesiarum, quæ sub viro Religioso Archiepiscopo huius almæ Vrbis* (Romæ) *sunt (siue de Ecclesiasticis, siue de proprijs, & ad IPSVM SOLVM pertinentibus causis) vel quemcumque alterum earumdem Ecclesiarum Clericũ, aliqua voluerit lite pulsare, apud memoratum Beatissimum Archiepiscopum causam dicat; in negotijs autem fidem, ac synceritatem geminam præbiturum, & Sacerdotis, & Iudicis: volentibus tamen actoribus, pateat Episcopale iudicium: ac nullus, qui huiusmodi iutendit in Sacrosanctas Ecclesias, vel in prædictos Clericos actionem, ad religiosissimum Antistitem ducatur inuitus.*

44 Leo & Anthemius Imperato-

Digitized by Google

res Lege *Omnes* Cod. de Episcop. & Clericis, eosdem ad suos Ecclesiasticos Iudices ordinarios remittit secūdùm iura; his verbis: *Orthodoxæ fidei Sacerdotes & Clerici, cuiuscumque gradus sint, Monachi quoque in causis ciuilibus ad extranea iudicia protrahi non debent: nec quisquam eorum Ecclesias vel Monasteria propria (quæ Religionis intuitu inhabitant) relinquere miserabili necessitate iubeantur; sed apud suos Iudices Ordinarios Ecclesiarum ministeryis obsecundent.*

45 Item, Iustinianus Imperator in Authent. Constit. 79; Laicocephalos, ait, corrumpere Orthodoxæ Fidei honestatem, & adorabilibus sacris locis iniuriam inferre. *Quidam* (inquit) *volentes corrumpere Orthodoxæ fidei honestatem, si quidem litem habuerint, quasi cum Monachis, aut ascetryis, ciuiles Iudices interpellant: at illi mittant executores, præsumentes accedere intra loca Sancta, & Monachos trahere, atque monasteria, vel ascetrias inquietare, forsan etiam eas, quæ videntur: & hinc iniuriam, & confusionem non paruam adorabilibus fieri locis &c.* O si perpenderent prudentissimi Angli, huius Imperatoris dictum, forsan melius haberent Sacerdotes Orthodoxos quos expellunt, & loca sacra in brutorum stabula nō conuertissent!

46 Præterea, idem Sereniſſimus Imperator Iustinianus, ibidem Constit. 123. in Diuino iure fundatus, omne à se, suis Ministris, ac Regibus laicis, ius in Ecclesiasticos, alienum esse declarans, ait: *Si Ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habento Ciuiles Magistratus cum ea disceptatione, sed religiosissimi Episcopi, secundùm Sacros Canones, negotio finem imponunto. Præterea, si quis eiusdem Synodi religiosissimi Episcopi aliquam inter se controuersiam habeant, siue de iure Ecclesiastico, siue de quibusdam alyis rebus, prius Metropolitanus ipsorum cum alyis duobus de Sancta Synodo Episcopis rem dyudicato. Et nisi vtraque pars iudicatis insistat, tunc beatissimus Patriarcha illius Diœceseos audiētiam ipsis accomodato, & illa definitio, quæ Ecclesiasticis Canonibus, & legibus concinunt, neutra parte sententiæ eius contradicere queunte.*

47 Basilius Imperator Oratione quam habuit in Sancta 8. Synodo, pretensam Laicocephaliam Ecclesiasticam, manifestissimis hisce verbis explosit: *Vobis laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui absolutè (hoc est, absque dignitatibus) versamini, nullo modo licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & vniuersali Synodo aduersari. Hæc enim inuestigare, & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi; qui ligandi, & soluendi potestatem habent; qui Ecclesiasticas, & Cælestes adepti sunt claues: non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus.*

48 De Constantio Imperatore, rem notatu digniſſimam, narrat Suidas, in Leontio Tripolis Episcopo; his verbis: *Constantio inter Episcopos Ecclesyis præscribere volente, plerique quicquid ille dixisset, cum plausu, & admiratione accipiebant, rectissimè id esse dictum asserentes: hic verò (scilicet* Leontius *) tacebat. Quem cùm rogaret Imperator; Quid tu solus omnium taces? Miror, inquit, quomodo fiat, vt alyis curandis destinatus, alia tractes; qui cùm rei militari, & Reipublicæ præsis, Episcopis ea præscribas quæ ad solos pertinent Episcopos. Imperator itaque verecundatus, ab eiusmodi edictis in posterum abstinuisse fertur.* Quid Imperator? nū Sacerdotis infractum animi robur, & Apostolicum munus despicatus, adblandientibus cæteris, in exilium pellit, vt modo, & iam diù fit in Anglia? Nihil minus. Sed ab Episcopo Catholico admonitus, & correptus, ab iniqua iurium Ecclesiasti-

Digitized by Google

siasticorum vsurpatione, abstinuit.

49 Sed nec recitendū reor, quæ, de Gregorio Papa, & Leone Imperatore, narrat Gregorius Cedrenus in Leone Iconomacho. *Gregorius Papa* (ait Cedrenus) *missa decretali Epistola ad Leonem Imperatorem, monuit, non esse Imperatoris de fide statuere, aut veteris Ecclesiæ decreta, à Sanctis Patribus facta, conuellere.* Hæc scriptor Græcus.

50 Hononius Imperator, non sine maximo animi dolore percepit, Archadium Orientis Principem in illis regionibus Laicocephaliam intentasse; vnde de simili temeritate conquæstus, ad eundem Epistolam direxit, sequentis tenoris: *Est nuper proditum apud Constātinopolim Sacratissimo Paschæ Venerabilis die, trusos in custodia Sacerdotes, tantamque circa altaria vim sæuisse, vt & venerabiles Episcopi in exilium pellerentur. His repēte compertis, turbatos nos esse fateor. Quis enim in facinore tam cruento Dei Omnipotentis non timeret offensam? aut quo pacto non extra sinum Romani Orbis, omniumque mortalium putaret esse discrimen? cùm ipse auctor nostri Imperij, & Reipublicæ quam nobis concredidit gubernator Omnipotens Deus, funestis admodum exacrubilibusque commissis crederetur irasci, cùm, si quid de causa Religionis inter Antistites agenetur, Episcopale oportuerit esse iudicium? ad illos enim Diuinarum rerum interpretatio, ad nos Religionis spectat obsequiū.* Iam igitur in re ab annis mille biscentū, & amplius, fuit Laicocephalia Anglicana ab Imperatore Honorio profligata.

60 Similiter *Athalarius* Rex, quā vehementissimè dolet, quòd Saius Vrbis Præfectus, per vim, contra diuinum ius Clericos, ac Ecclesiasticas personas custodiæ mancipauerit. Quare, cùm Clerus Romanus apud Athalaricum conquæreretur, quòd contra omnem æquitatem, & sacrilegè, Saius in Ecclesiasticos Ordines manus admouisset; Athalaricus Epistolam ad Clerum Romanum transmisit, in qua, multum sibi displicuisse declarat, quòd nefarijs conuentionibus, Clerici, essent contra diuina iura pulsati: *Flebili additione* (ait) *causamini hoc fuisse longæ consuetudinis institutū, vt si quis Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ seruientem, aliqua crederet actione pulsandum, ad supradictæ Ciuitatis Antistitem negotium suum dicturus accurreret; ne Clerus vester forensibus litibus prophanatus, negotijs potius secularibus occupetur: addentes Diaconum quoque vestrum, ad contumeliam Religionis, tanta executionis acerbitate compulsum, vt Saius eum propriæ custodiæ crederet mancipandū: &c. Quod nobis, pro ingenita reuerentia, quam nostro debemus Auctori, displicuisse profitemur, vt qui pridem Sacris meruerant inseruire ministerijs, cōuentionibus irreuerenter nefarijs, expositi iniurijs subiacerent Ideo, considerātes Apostolicæ Sedis honorem, &c.*

61 Hoc notent, & admirentur humanissimi Angli, quòd Athalaricus iste, erat Ariana hæresi infectus, imò & Arianorum patronus; & tamen displicuit ei, quod Romani Clerici fuissent à suo Præfecto laico vexati, & qui Sacris meruerant ministerijs inseruire, nefarie à laicis essēt iudicati. Quin, & ob Romanæ Sedis reuerentiam præcipit ministris suis, ne in posterum audeant Ecclesiasticorum se immiscere negotijs, quę ad solos Ecclesiasticos Iudices esse deferenda cognouit.

62 Huic addimus Hunericū Regem Vuandalum, qui & si acerrimus Catholicæ Fidei persecutor extiterit, & Ariana peste infectus; nihilominus, reformidans diuinæ vltionis iacula, quæ quanto serius, tanto seriùs feriunt; cùm, (vt narrat Isidorus in Chronico, & Victor Vticensis lib. 2. de persecutione Vuandalica) Eugenio Carthaginensi Episcopo Catholico præcepisset, vt cum Episcopis

Aria-

Digitized by Google

Arianis ad disputandum de fide conflictum instituerent, respondit Eugenius, *se sine vniuersitatis assensu, non debere huiusmodi causam assumere*; qui Hunericum percunctatus, *num ipse Rex vellet esse index talis disputationis* Respondit Rex hæreticus, & tyrannus, se non posse Ecclesiastica sibi vsurpare iudicia. Et cùm diceret Episcopus Catholicus, *Quis ergo erit cognitor? Quis examinator?* Respõdit Notarius Regis: *Patriarcha Cyrillus*. Cyrillo Patriarchæ Catholico Fidei causæ, earũque iudiciũ fuerũt ab hæretico Rege, & ab Arianis delatæ: quippè naturali lumine instructi nouerant, Ecclesiasticas causas, non ad Laicos, sed solùm ad Episcopos Catholicos esse deferendas.

54 Dixi, naturali lumine instructi; Nam, Sacerdos iure naturæ precellit Regẽ, vnde Abraham, à Melchisedech benedicitur; & nunc Reges à Sacerdotibus iniungũtur, & benedicuntur, & vt ait D. Paulus Hebræor. 7. *Sine contradictione, qui minus est, à maiore benedicitur.* Præterea, Reges, cùm munia Sacerdotalia, sublimiora Regijs, agnoscerent; se Sacerdotes fieri curabant, vt ait Isidorus lib. 7. Etymolog. Et ita, Galba, ex Suetonio, triplex gessit Sacerdotium. Et Numa, ex Halicarnas. lib. 1. voluit Sacerdos initiari. In Lacedæmoniorum Republica, (ex Xenophonte) Rex, ducem, & Sacerdotem agebat. Et, vt narrat Ficinus, Trimegistus sapientissimus apud Ægyptios, Rex atque Sacerdos fuit:

55 Præterea, de Ægyptijs narrat Ælian. Var. lib. 14. cap. 34. non alios apud eos iudices extitisse, præterquam Saacerdotes: *Iudices (ait) apud Ægyptios, ijdem quondam fuerunt, qui & Sacerdotes: in his Princeps erat sententiæ maximus natu, & in omnes statuendi ius habebat.* Strabo Greg. lib. 17. de Æthiopibus narrat, olim summam potestatem apud Sacerdotes extitisse, quæ tanta fuit, vt nonunquam Sacerdos misso nuncio, mortem Regi imperaret. Scribit etiam Cæsar. in Commentar. de bello Gallico lib. 6. quod Druidas Sacerdos, apud Gallos summam potestatem obtinuit: *Magno (ait) hi sunt apud eos honore: nam ferè de omnibus controuersijs publicis priuatisque constituunt: & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, si de finibus controuersia est, ijdem discernunt, præmium pœnasque decernunt.* Demum, Tullio lib. de Leg. teste, Romana Resp. tanti Augures fecit, quos loco Sacerdotis habebant, vt à summis Imperijs comitia tollerent: Concilia vel instituta dimitterent, vel habita rescinderent. Id verò naturali ductu Gentes Barbaræ falza quamuis Religione, religiosè præstabant, eo quod in hominibus, qui Diuina illa ex munere tractabant, Diuinum quid, natura instigante, susciperent. Naturali ergo lumine ducimur ad reuerentiam Sacerdotij. Vnde, contra naturæ iura, ac dictamina agunt ij, qui Sacerdotium, Laico subijciunt; & Regem Laicum, Sacris viris, ministerijsque præficiũt. Cogitẽt humanissimi Angli, an in hoc facto naturæ iura subuertant.

56 Concludo cum Constantino, & Irene Augustis, qui in epist. ad Adrianum Papam, elegantèr distinxerunt inter Sacerdotij, & Imperij dignitatem, sic enim in Diuali ad Pontificem dicunt: *Debitum nobis, & vobis, ò Sanctissimum Caput, hoc est, vt irreprehensibiliter, quæ eius sunt sapiamus, & in suis versemur, vtpotè ab ipso nos quidem Imperium, vos verò Principalis Sacerdotij dignitatem suscipientes*, &c. At Rex Angliæ non sic, sed vtrumque sibi per summam iniuriã arrogat.

57 Probatur eadem Veritas Catholica 6. ratione. Antequam autem ad rationes accedamus, notandum est ex supradictis ex Patribus, & alijs, quòd potestas ciuilis, & Regia, dif-

Digitized by Google

differt ab Ecclesiastica, & Sacerdotali ex eo, quòd illa velut corpus sit, hæc spiritus & *Anima* sit eiusdem corporis. Ciuilis enim potestas, quæ ad corpus spectant, potissimùm curat; vtpote cuius finis tantùm sit, tẽporalem Ciuium pacem modis omnibus tueri. Ecclesiastica verò velut prestantior, ad animarum æternam salutem tendit, ac potiora bona, quę apud *Deum* reposita sunt, pro fine habet. His breuitèr adnotatis. *Sit*

58 *Prima ratio pro nostra asserta Veritate. Sicut* naturæ expostulat ordo, vt corporis operationes potius subijciantur, quam præsint animæ; Ita Ciuilis potestas, quæ corporalia, & temporalia *Regni* respicit iura, velut caro Spiritui Ecclesiasticæ potestati, quæ spiritualia animæ bona gubernat, & ad eternum gloriæ finem animam dirigit, debet esse subiecta, & ab ea, in his, quæ ad *Deũ* spectant, quid agendum sit, debet exquirere. Ergo sicut peruerteretur ordo naturæ, si corpus vellet sibi, spiritus, & Animæ iura subijcere; ita, eiusdem naturæ ordo peruertitur, si potestas *Regia*, & temporalis, vellet Ecclesiæ iura, & officia vsurpare, & de Fide leges prescribere; quin, & Ecclesiam sibi per Laicocephaliam subijcere. Hæc ratio est desumpta ex Verbis *Ioannis Damasceni* Orat. 2. de Imaginibus, vbi ait: *Regum partes non sunt, vt Ecclesiæ leges præscribant. Considera enim quid Diuus Apostolus dicat, & quos quidem in Ecclesia posuit, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tũ Pastores, & Doctores. Ad Ecclesiæ constitutionem non adhibuit Reges. Et rursus, Obedite, inquit, Præpositis vestris, &c. Regum est ciuilis administratio Ecclesiastica verò constitutio Pastorum, & Doctorum &c. Paremus tibi Rex in ijs, quæ ad vitæ ciuilis negotia pertinent, &c. At in Ecclesiasticis rebus statuendis ac decernendis habemus Pastores, qui nobis locuuti sunt Verbum, & leges, atque instituta Ecclesiastica tradiderunt. Nos transferimus terminos sempiternos, quos nobis Patres nostri constituerunt: sed quæ nobis præscripta sunt, vt accepimus, tuemur.*

59 Secunda ratio, desũpta est ex Naziãz. Orat. *ad ciues timore perculsos.* Reges Christiani, præsũt Christianis ciuili potestate quatenus homines sunt, sicut interdum præsunt Iudęis, & Paganis: Pontifices, verò & Episcopi, præsunt Christianis, quatenus Christiani sunt, & Oues Christi. Sed Christiani, vt Christiani & Oues Christi, sunt sub dominio Pastoris à Christo instituti, siue is sit Vniuersalis, cui dictum est, *Pasce Oues meas*; siuè particularium Ecclesiarum *Episcopi, quos Deus posuit regere Ecclesiam suam*. Ergo iniquo iure, *Reges*, qui Christiano gloriantur vocabulo, & Oues Christi sunt sub cura Pastoris à Christo constituti, Præsulis Munus vsurpant, & tyrannicè fiunt Pastores, imo, & Pastores Pastorum, cùm adhuc Episcopos sibi subijciant.

60 *At* si dicant Laicocephalistæ; *Reges* præesse Christianis, quatenus Christiani sunt, & Oues Christi. *Audimus. At* vbi *Dei* verbum? Ostendãt cui, vbi, & quando *Regi* à Christo dictum sit, *Pasce Oues meas.* Hoc vnum scio, quod Nazianzenus loc. cit. sic Imperatorem i ascẽtem affatur: *Scito te esse Ouem gregis mei*, &c.

61 *Tertia ratio.* Ius Gentium, iuri Diuino subditur, non è contrà. Sed potestas Regia, tantùm iure Gentium est constituta, potestas verò Ecclesiastica, (vt in præcedenti probatione vidimus,) *Deum* auctorem, ac institutorem habet. Ergo potestas Ecclesiastica, à Rege Angliæ tyrannicè vsurpatur, ac Laicali suæ potestati subijcitur. Maior est manifesta; nam, *Ius* Gentium, est ab homine; Ius Diuinum, à *Deo*: Illud hominum consensu fuit constitutum, hoc *Dei* lege sancitum: Nec negabunt *Aduersarij*, iura omnia, iuri *Diuino* cedere, à quo omne

ius

ius legitimatur: *Adeòque*, quæ, iure gentium tantùm instituta sunt, non modò nihil obtinent super ea quæ *Diuino* sunt iure statuta, sed etiam illa, ab is pendent, diuinoque iuri subijciũtur. Minor etiam patet; quia, ea quæ *Diuino* iure sunt constituta, nulla possunt hominum lege mutari: At verò pleraque *Regna*, *Rege*, vel abdicato, vel interfecto, vel per rebellionem Ciuium pulso, in *Rempublicam* sunt mutata; Multaque alia, vno Rege depositio, alium pro libito subrogarunt, sibique præesse voluerunt; Quin, & multa videmus Imperia extincta, solo hominum arbitrio. Quòd euidenter ostendit ea, non esse ex *Diuina* institutione (quæ immutabilis est) constituta. Consequentia benè infertur; optimèque euincitur, Regiam *Anglicanam* potestatẽ, vtpotè humanam, nullo modo nisi tyrannicè posse ius sibi diuinum, spiritualem, ac Ecclesiasticum vsurpare.

62 Quinta ratio ex Verbo *Dei* petita. Munus docendi, & iudicandi de doctrina fidei, (quæ est potissima Ecclesiasticæ potestatis pars,) sicut, & munus Pascendi *Oues* Christi, neq; Imperatoribus, neque Regibus laicis, sed solis *Apostolis* eorumque successoribs Episopis, est à Christo in, Ecclesiæ suæ edificationem, perpetuò concredium. Ergo dum *Rex Angliæ*, hoc sibi munus vsurpat, contra *Diuinum* ius vsurpat, & tyrannicè exercet. Patet consequentia: nam, illud ius dicitur tyrannicè vsurpatum, quod nõ est alicui diuino vel humano iure concessum; si ergo vt ait *Apostolus* Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo*, & Ecclesiastica potestas pascendi Oues Christi, iudicandi de doctrina fidei, Episcopis, & Ecclesiasticis, non autem Regibus laicis est à *Deo* collata; consequens est, vt, dum hi, illam sibi non collatam vsurpant tyrannicè vsurpent. Antecedens probatur: Petro, & non Cesari Augusto, vel Pontio Pilato, vel Herodi dictum est à Christo, *Pasce Oues meas*. Sicut, *Apostolis*, & Episcopis eorum successoribus, & non Regibus dictum est Matt. 28. *Euntes docete* (vtique doctrinam fidei) *omnes gentes, baptizantes eos &c. Qui credideri, & baptizatus fuerit &c.* & Marci 16. *Euntes in mundum vniuersum, predicate Euangelium omni creaturæ*. Malachiæ 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius*. Deuteronom. 17. *Venies ad Sacerdotes Leuitici generis &c. qui indicabunt tibi iudicij, veritatem &c.* Ergo munus pascẽdi oues, & potestas docendi & iudicandi de doctrina fidei, non Regibus Laicis, sed Petro, Episcopis, & Sacerdoribus est collata. *Adeoque* tyrannis existimãda est, cum Rex laicus hanc sibi potestatem iudicãdi de rebus fidei violenter vsurpat.

63 Quare in Concilio Niceno 1. Sanctissimus ille Hosius Episcopus, dum vellet Constantinus *Imperator* negotijs se fidei, ac doctrinæ immiscere, constanti animo dixit: *Nec te misceas, Imperator, rebus Ecclesiasticis: neque nobis in hoc genere precipe, sed potius ea à nobis discе*. Et Valentinianus *Imperator*, vt testatur Paulus Diaconus lib. 12. agens cum Episcopis de electione Episcopi Mediolanensis, dixit: *Talem eligite, cui & nos, qui gubernamus Imperium, sincere capita nostra submittamus*. Religiosè *Imperator* Caput suum Episcopo submittit.

64 Et nunc, liceat cum Simeone Tessalonicensi lib. 8. de mysterijs, & cæremonijs Ecclesiæ, exclamare: *Proh Deum! Ordinatum à Spiritu Sancto huius Ecclesiæ (Anglicanæ) Pastorem, alterius Ecclesiæ Pastorem ab ijs Regibus constitui, qui Sacerdotij facultatem, & operationem non habent, & præter voluntatem Spiritus Sancti? Si opus est ad ædificationem constituere eum in maiore Ecclesia, à Spiritu Sancto, à quo ordi-*

ordinatus est, hoc faciendum: non autem à seculari potestate. Imò Abbates Monachorum, Ministri predicantes, & alij Ecclesiastici in Anglia, *qui animarum curæ sunt præpositi, sic sunt præter voluntatem Spiritus Sancti, & soluunt, & ligant. Hoc ab ijs (*Regibus*) obtinentes, qui facultatem Charismatis non acceperunt, & ordinantur, & multis præsunt, nihil penitus curantes eos, qui habent Charismata*, Catholicos scilicet Sacerdotes, quos è finibus Angliæ contra Dei præceptum eijciunt. *Hinc multæ ruinæ: Hinc imminuti* in Anglia veri Sacerdotes, *& ad pauciores, quàm omnes gentes redacti: Et propter eorum violentiam, qui potestatem in ijs habere, & ea tractare student quæ eis, non congruunt, & alieni nobis imperant: & quia faciunt quæ Deo displicent, nostri & Dei inimici, nobis, vt par est, insultant: & dum Sacra vindicamus, communicamusque ea nobiscum, putantes lucrum facere ex Consecratis Deo, factum est, vt propria amiserimus, & depascunt nostra, in nostroque conspectu Aduersarij nostra comedunt. Sed vtinam remedium aliquod hec calamitas tandem accipiat, & cedat Cæsari quæ Cæsaris sunt; & quæ Dei, Deo: vt omnia sint digna gratia Dei, res Sacra Cõstituta, & Secularis aucta: ac non potius contra, alterum ab altero intereat* omninò in Anglia. Hæc cũ Tessalonicensi deploramus..

65 Probatur tandem 7. Veritas specialibus Principijs, & testimonijs Protestantium, ac Laicocephalistarum inhærendo. Lutherus, qui Pontifices, Episcopos, ac Clericos secularj potestate subiecerat; ac doctrinæ fidei iudicia, Laico Magistratui cõtulerat; vtraque retractat, & in rem nostram, in libro de bello aduersus Turcas, ait; *Salutet Deus vos infideles Principes vestrorum subditorum: quis diabolorum vobis in mandatis dedit, tam vehementer non comissa Ecclesiastica negotia peragere, quæ ad Deum, & conscientiam spectant?*

66 Et rursus in Commentar. sup. Psalm. 102. dicit: *Semper seculares Principes, nomine ipsius Diaboli, Christum docere, & instruere gestiunt, qua ratione suam Ecclesiam gubernare debeat.*

67 Et iterum idem Lutherus lib. de Seculari potestate inquit: *Si quãdo secularis tuus Princeps tibi mandat, hoc vel illo modo credere; aut iubet libros abijcere; sic dices: Non decet Luciferum sedem suam iuxta altissimum ponere, benevole Princeps, omnem corporis & fortunæ obedientiam tibi dabo. Mãda mihi pro ea, quã in terris obtines potestate, & sequar te. Si quid aut præceperis de fide aut libris ablegandis, non tibi dicto audiens ero. In his Tyrannũ te prebes, modum excedis, atque ea præcipis, in quibus nullam potestatem obtines.* Et tandem idem tom. 2. cont. Artic. Louanienses, inquit: *Non est Regum, & Principum veram doctrinam confirmare, sed Ecclesiæ subijci, & seruire.*

68 Subscribit Luthero, Caluinus, (in horum duorum Pseudomagistrorum verba, iurarunt Angli) qui Commentar. in cap. 2. Amos, contra Regem Angliæ, his verbis inuehitur: *Qui in initio tantopere extulerunt Henricum Regem Angliæ, certè fuerunt homines inconsiderati: dederunt illi summam omnium potestatem: & hoc me semper grauiter vulneranit. Erant enim blasphemi, cùm vocarent ipsũ Summũ Caput Ecclesiæ sub Christo.*

69 Præterea, idem Caluinus Laicocephaliam damnans, laicos ab Ecclesiasticis, & Diuinis ministerijs arcet, ipse enim à veritate coactus, in cap. 14. Actor. ait: *Scriptores Ecclesiastici nomen Chirotoniæ vsurpant pro solemni Ordinationis ritu, qui in Scripturis vocatur impositio manuum. Hac autem loquendi forma optimè exprimitur legitima in creandis Pastoribus ratio.* Ostendat er-

Digitized by Google

go Rex Angliæ, à quo legitimo Præsule, hanc manuum impositionem, à Caluino requisitam pro Ecclesiastica auctoritate, acceperit. Certè, à nullo. Iterum expressiùs de Laicis idem Caluinus in cap. 12. *Actor.* ait: *Illa verba, conuenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc, non seniores Laici, sed Episcopi, & Presbyteri nomine seniorum veniunt, ex communi interpetrum sententia.*

70 Rursus, Caluinus lib. 4. Instit. cap. 11. §. 3. docet idem, & laudat S. Ambrosium, quòd vocatus ad Palatium ad conferendum de fide coram Imperatore, omninò recusauerit. Et ibid. cap. 20. §. 7. dicit, *Apostolicum munus Regi non conuenire.*

71 Sed & Bullingerus, in Commentar. cap. 13. *Actor.* ex hoc eodem loco deducit, Ecclesiasticas causas nullo modo ad Laicos esse deferendas, his verbis: *Sed ne ad tractandam causam, vulgus promiscuè fuisse admissum quispiam putaret; Lucas disertè Apostolos, & Presbyteros nominat, sicut erant magis causæ cognitores.* Et deindè, concludit: *Hic etiam mos in Sanctis olim Episcopis, ad Apostolorum imitationem diligenter constitutus est.* Non ergo Laici, sunt Ecclesiasticarum causarum cognitores, sed Episcopi, & Sacerdotes, in sententia Protestantis Bullingeri, & Caluini; & hoc, non ex noua Ecclesiæ institutione, sed ex consuetudine inueterata, & Apostolica traditione agnoscũt promanasse; adeoque, inanis, & fallax est Laicocephalia ab Henrico Rege, & Posteris somniata, cùm nullus Laicus, quauis dignitate præcellens, habeat ius, in spiritualibus Ecclesiæ tractatibus.

72 Non absimiliter Ioãnes Knoxius Scotus Caluinista (apprimè a Caluino laudatus in epistolis, & Responsis epist. 305. pag. 565.) in sua Prouocatione, & Exhortatione ad Nobiles Scotiæ, impressa Geneuæ 1558, confictum hunc sui Regis Primatum, exsibilat, his verbis: *Non sanguinis propinquitas, aut à Regibus nasci satis est, vt quis super Populum, Christũ Iesum, & illius æternam veritatem professentem, Regnum, & Imperium obtineat, sed in electione Regis, idem ordo quem in electione Iudicum inferiorum Deus stabiliuit, obseruari debet.* Sentit ergo Caluinianus iste Scotus, quòd perperam Reges, sibi spiritualem præfecturam supra Dei populum arrogant, contra Dei statutum.

73 Christophorus Goodmannus, (quem Caluinus, epist. 306. fol. 566 circa medium, suum *Adiutorem* fidelissimum appellat) in lib. *Quomodo Superioribus nostris obediendum sit,* impresso Geneuæ (in qua Schola fuit educatus) per Ioannem Crispinum anno 1558. cap. 8. fol. 96. Primatum Ecclesiasticum ab Anglorũ Regina Elizabetha contra omnem æquitatem, & Dei legem vsurpato, his verbis damnat: *Ne mulier regnet, lex Dei Prohibet, à fœmineo regimine natura ipsa abhorret, vt fœmina regnarent, nunquam ex Verbo Dei legitum probatum fuit, sed euidens signum iræ Dei, & plagæ notabilis pro peccatis populi, quale erat Imperium Iezabel, & impiæ Athaliæ. Nunquid ille, aliud sunt quam splendida instrumenta Satanæ, & flagella populi Dei Israel?*

Laicocephalia Anglicana ex Scripturis reprobatur, ex Protestantibus.

74 Hanc Goodmanni doctrinã, fuisse à Doctissimis Angliæ Doctoribus apertis vulnis exceptã, & approbatam, refert Vuitinghamus Caluinianus Anglus in Præfat. ad librũ citatum Goodmanni, dum ait: *Goodmãdus articulos suos, & præcipuas suas propositiones doctissimis illius Regionis suæ Prouinciæ ostendit, qui easdem approbarunt: placuit ei Concionem illam paulò acutiorem prælo committere, vt pignus officij sui, & timoris erga Dei Ecclesiã &c.* Cæterum vt video, ità legitimè, & secundùm æquitatem Protestantes, Primatum Ecclesia-

cleſiaſticum à Laicis Principibus ablegarunt, ſicut contra omne ius omnēq; iuſtitiā eiſdem, temporalē Principatū denegarunt. Nec mirum, fuerūt enim iſti duo Knoxius, & Goodmandus in ſchola Geneuenſi educati, in qua doctrinam tumultuariā hauſerunt, & in *Anglia*, & Scotia contra ſuos Principes, belli faces incenderunt.

75 His Diſcipulis ſuis ſuppetias affert Caluinus qui ſupra; & in Anglicanum Primatum iterum quàm feruentiſſimè debacchatur lib. 4. Inſtit. cap. 11. §. 15, oſtendendo Laicocephaliam aſſertam à Rege, & alijs, nullum penitùs in ſcripturis habere fundamentum: *Si Scripturas* (ait) *& vetera exempla intueamur, quis eſt qui non aſtruat, in cauſa fidei, Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare?* Idem rurſus, in Comment. 1. Corinth. 11. cùm videret exemplū Primatus Anglicani, ignemque Brittannicum iā Germaniam peruadere, ait: *Sed interea ſunt homines inconſiderati, qui faciunt illos nempè Magiſtratus ſpirituales, in his enim regionibus nimium graſſatur, & nunc ſentimus quales fructus naſcantur in Germania ex illa radice, quòd ſcilicet Principes, & quicumque poſiti, vt Imperio præſint ſe ita ſpirituales eſſe, vt nullum ſit amplius Eccleſiaſticum regimen: & hoc Sacrilegium apud eos graſſatur, qui non poſſunt metiri ſuū officium certis, & legitimis finibus, ſed non putant poſſe ſe regnare, niſi aboleant omnem Eccleſiaſticam auctoritatem, & ſint ſummi iudices tàm in diuino, quàm in toto ſpirituali regimine.* Hæc rerum Caluinus contra ſuos *Anglocaluiniſtas* Laicocephaliæ ſectatores.

Primatus Anglicanus Scripturis, & exemplis caret ex Caluino.

76 Caluino ſubſcribit eius ſucceſſor Theodorus Beza in Confeſſ. fidei Caluiniane.

Vide Confeſſ. Fidei Caluiniane.

77 Deindè, ipſemet Sereniſſimus Rex *Angliæ* Iacobus, conſcientiæ morſibus tortus; factis, & ſignis quādoq; Laicocephaliā reprobauit; Etenim, vt teſtatur ſuperioris ſubſellij Caluiniſta Tookerus Decanus Licheſeldenſis in *Duello* pag. 311. *Sereniſs.* (ait) *ipſe Rex Iacobus non habuit quicquā antiquiùs, & honorificentiùs, quā cū Valentiniano filium ſe Eccleſiæ profiteatur; & cum Theodorico Italiæ Rege, ſe alumnum Eccleſiæ, & Diſcipulum Archiepiſcoporum ſuorum, & Epiſcoporum libentèr recognoſcat.* Si ergo Sereniſſimus Rex, ſe filium, *Alumnum*, & Diſcipulum faciebat Epiſcoporum; certò certiùs eſt, factis Primatum à ſe abdicaſſe, & tanquam ſibi omni iure indebitum repuliſſe.

78 *Antonius* Gilboy Proteſtans, in ſchola Geneuana educatus, ſummis viribus contendit, Anglicanam Laicocephaliam, & Primatum multis rationibus abolere: eumque nullam firmitatem obtinere docet, in Ordinatione ſua ad *Ang os*, & Scotos, impreſſa Geneuæ per Ioannem Criſpinum Caluini amanuenſem, & thypographum anno 1558. his verbis omni acerbitate conſperſis: *Regnante Henrico 8. toto tempore libidinoſi illius Monſtri, & Tyranni, nulla erat reformatio, ſed deformatio potius. Aper ille fateor & porci ſequentes, & terram fodientes, & vertentes, ſatagebant circa plurima; ſed amenos flores, & fructus quos roſtris ſuis aduncis è propinquo ſubodorati ſunt, quærebant; præterea nihil. Verum eſt ſui cauſa vrticas plurimas euellebant, ita tamen interea verterunt terram, malo bonum, dulci amarū, medicinæ venenum admiſcentes; ita inquam omnia vertebant, & miſcebant, & eiuſmodi confuſionem legum, & Religionis inducebant, vt ſi quid boni ſub eiuſmodi hortulanis creſceret, miraculo tribueretur. Nec mirum ſi rectè conſideretur; nam, Aper iſte infrenduit, contra Deum, cōtra Diabolum, contra Chriſtū, contra Antichriſtū. Hoc declarat prima ſpuma, quam contra Lutherum excreauit, expunctio nominis Papæ dum adhuc*

Digitized by Google

leges illius retineret, cædes cruenta multorum militum Christi, & multorum etiam Papistarum, præcipuè combustio Barnæi, Hieronymi, & Gatretti fidelium prædicatorum veritatis, quando eodem die Christi Poellus, Abelus, & Fetherſomus pro defenſione poteſtatis Papæ patibulo ſuſpenſi ſunt. Hæc inquam beſtiam indicant, & quàm nulli addictus erat Religioni. Nihilominus hic Aper monſtruoſus, ſub pœna Capitis mandauit, vt Caput Eccleſiæ eum inſcriberent. Dominum Ieſum Chriſtum vnicum Caput (inuiſibile tamen, & principale) *animarum, cui ſoli nomen capitis* principalis *tribui debet, ſuo loco amouens &c. Sicut fecit noſter Henricus quem vos tantopere magnificatis. Nam tunc, cùm in optimo ſtatu res conſiſterent, nihil in ore hominum erat præter librum Regis, acta & inſtituta Regis, nihil præter Regis homilias in Eccleſijs, vbi ſolum Verbum Dei prædicari debuit, auditum eſt: in hunc modum Regem veſtrum feciſtis Deum, nihil credentes niſi ab eo approbatum, quomodo ad antiquum volutabrum, poſtremo reuerſus ſit pudet enarrare.* Hæc proteſtans Caluinianus contra commentitium Eccleſiæ Anglicanæ Primatum.

79 His ſubſcribit Deodatus Lucenſis Caluiniſta in Marginalibus Scolijs vulgari lingua editis ad illa verba Deuteronom. 17. *Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis Imperio*, diſtinguens Sacerdotum, & politicorum Principum munera, ait: *Sacerdotes tanquam interpetres Diuinæ legis, in rebus quæ per illos indicari poterant, pronunciabant ſententiam finalem. Rectores Politici ſupremi, dabant ſententiam definitiuam in rebus pertinentibus ad ordinationes, & leges ciuiles. Illi declarabant quid eſſet æquum nempe Sacerdotes, iſti erant executores legis.* Igitur, Sacerdotes, & Pontifices, negotia Eccleſiaſtica decernunt, & Imperatores adiutorium, & miniſterium impendunt pro obſeruantia; adeoque, non Imperatores, & Reges laici primatum, & iurisdictionem Eccleſiaſticam obtinent, ſed tantùm, ſuum famulatum, & miniſterium impendunt, ne refractariorum petulantia, Eccleſiaſticorum decretorum obſeruantia impediatur.

80 Burrillus Proteſtans Anglus in reſponſione pro Tortura Torti pag. 113. mordicus negat, Eccleſiaſticum Primatum Regi ſuo deberi, his verbis: *Nec Primatem quidèm omninò Regem noſtrum dicimus, multò minus Primatem Eccleſiaſticum.*

81 Idem Burrillus ibid. pag. 224; ait: *Rex Angliæ non habet iuriſdictionẽ Eccleſiaſticam, nec interiorem, nec exteriorem.* Et idem iterum, in quendam inuehitur, & ait: *Quidam petulcus, & audaculus Regem, Caput, Paſtorem, & Primatem Epiſcoporum appellat.*

82 Riccardus Thomſonius in Elencho refutationis Torturæ Torti, ſeu Sacellani Regij pag. 44. in perſona omnium Proteſtantium, omnem Poteſtatem Eccleſiaſticam Regi ſuo adimit, eumque Eccleſiaſtico Epiſcoporum iudicio ſubijcit, dicendo: *Omnes fatemur, Reges excõmunicandi poteſtatem nullam habere, potius eos excommunicari poſſe.*

83 Tookerus in Duello Beccanico pag. 3. de eodem ſui Regis Angliæ primatu ediſſerens, ait, *Nec Primatem eum vocamus, & multo minus Primatem Eccleſiaſticum.* Et cùm hoc ex conſenſu ſuorum Symmiſtarum, præſertim Salcobrigenſis, & aliorũ dixiſſet; ibidem pag. 6; ex hoc antecedenti, infert, nullo modo, Regem ſuum Primatum Eccleſiæ Anglicanæ obtinere, his verbis: *Si Primas vocari non poteſt Rex Angliæ, nec Primatum vllum poteſt prætendere.* Et ibidem, addit: *Reges non habere poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta.* Et iterum, pag. 63. *Iuriſdictio in foro interiori*

Digitized by Google

rieri Sacerdotum est, nulla est Regum.

84 His adde, Centuriatorum Magdeburgensium de hac re sententiam; qui in Præfat. Centur. 7. omnem à Seculari Magistratu Primatus potestatem Ecclesiasticam adimunt, his verbis: *Sint sanè, & ipsi Magistratus membra, & partes, & ciues Ecclesiæ, imò vt ex toto corde sint, omnes precari decet: flagrent ipsi zelo pietatis, sed non sint Capita Ecclesiæ, quia ipsis non competit iste Primatus.*

85 Tandem sub Rege Iacobo, talis erat in Anglia Ecclesiæ status, vt Rex, circa spiritualia, nullam potestatem haberet, qua vel Sacra tractare, vel Ordines conferre, vel Ecclesiastica decreta sancire, vel qua excommunicare aliquem posset, vt testantur Protestātes Doctores Angli Tookerus citatus pag. 15. Sacellanus Regius, seu Tortura Torti p. 151; Thomsonius pag. 83. & 84. Imo vt testatur Burhillus in Respōsione pro Tortura Torti, talis erat Sereniſſimi Regis Iacobi status inter Anglos, vt esset suorum Episcoporum subditus, qui ab Episcopis excommunicari potuit, & ab Ecclesia eijci. Sub quo etiam inconfesso erat, dari in Anglia Spirituale Tribunal, Regia potestate altius. Vbi ergo Primatus?

86 Ex his omnibus constat, Sereniſſimum Regem Angliæ, reclamantibus Scripturis, Pontificibus, Concilijs, Patribus, imò, & ipsis Doctoribus Anglis suis subditis, adeòq; toto humano genere, paucis exceptis Aulicis adulatoribus, sibi Ecclesiasticum Primatum vendicare; quē, nullo iure, nulloque prætextu pretendere potest; maximè, cùm à prudentioribus suis Anglocaluinistis, & Protestantibus, vt hactenus recitauimus, iurè sit Ecclesiasticæ potestatis incapax pronunciatus.

LECTIO IV.

Vbi diruuntur Fundamenta, præstructa à Brentio, Sereniſſimo Rege Angliæ, Anonymo Regiæ Apologiæ Defensore, Archiepostata Spalatensi, & alijs.

1 REmanet pro huius Concertationis complemēto, vt, Aduersariorum Fundamenta, quibus Laicocehpaliam Anglicanā stabiliunt, conuellamus: quibus dirutis, nemine impellente, tota Anglicani Primatus ventosa Machina ruit. Igitur.

Proponuntur, & soluuntur Argumenta.

2 ARguit 1. Brentius in Prologom; & intendit probare, quòd Episcopi, & Sacerdotes, sunt serui Principum Laicorum, quorum iudicia Laicis Principibus defert. Episcopi sunt serui Ecclesiæ, 2. Corinth. 4. *Nos autem seruos vestros per IESVM.* Ergo à fortiori sunt serui Regis, dicente Principe Apostolorū Petro epist. 1. cap. 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siuè Regi tanquam præcellenti, siuè ducibus tanquam ab eo missis.*

3 Respondetur: quòd Episcopi dicuntur Ministri, non Regum, sed Christi, dicūtur *serui per Iesum*, ideſt, propter Iesum, qui eos docuit mansuetudinem, & humilitatem, *& propter verba labiorum eius, custodiunt vias duras* in humilitate; Et quia, non habent potestatem Excellentiæ Christi Domini, dicuntur ministri, seù *serui per Iesum.* Et quamuis Sacerdotes nō sint Reges, vocantur tamen, *Gens Sācta, Regale Sacerdotium:* Vndè inter Regnum temporale, & Ecclesiasticū, aptè Christus discrimen apposuit, dum dixit: *Reges gentium dominantur eorum &c. vos autem non sic.* Quasi diceret;

ceret; nolo vos, Regum, ac Principũ more, militibus stipatos, seculari modo superbè dominari, sed Christiana, Paterna, ac Pastorali cura præesse, & *qui maior est vestrum, fiat sicut minister*. Idque ita altè retinuerunt Apostoli; vt, cùm essent Pastores, & Principes Ecclesiastici, constituti super omnem terram, non superbè dominati sunt, sed charitatiuè dixerũt: *Nos seruos vestros, per Iesũ*. Et sic, Principatui Ecclesiastico, non repugnat seruitus, & ministratio Euangelica, quando Christus ipse de se, dicit, *Nõ veni ministrari, sed ministrare*. Cæterũ, hæc seruitus, & hoc Ministerium, Roman. cap. 13. etiam Regibus, Principibusque Laicis, tribuitur ab Apostolo, & ab eo, *ministri* vocantur; Et ità, ex hoc eodem capite, Laicocephalia pessumdaretur. Sed & Romani Pontifices, Christi & Apostolorum exemplo, à Gregorio Magno glorioſum titulum mutuati, inde se, *seruos seruorum Dei*, appellant; ac in tanta celsitudine constituti, humilitatis titulum non fastidiunt: Quin, vt ait Franciscus Bernardinus Ferrarius lib. 3. de Antiquo epistolarum genere cap. 1. si aliquod Pontificium rescriptum, eo titulo careat: pro surreptitio, & adulterino habetur. Sat nunc Primatus Laicus, qui à Christi & Euangelica humilitate discordat, & cum superbienti Angelo Dei nomen, ac Petri solium imprudens affectat.

4 Arguit secundò idem Brentius, & obiicit nobis Augustinum, qui in epistola 166. Regibus Laicis potestatem mittendi Prædicatores, & sacrilegia prohibendi tribuit, vnde ibi Donatistas arguendo, air: *Si iussiones Regum non pertinent ad prædicandam Religionem, & sacrilegia prohibenda, quare ad edictum Regis talia inbentis etiam ipsi vos signatis? An ignaratis verba Regis esse.*

5 Resp. 1. quòd D. Augustinus loquitur de potestate defensiua, & ministeriali, & facti, quam habent Reges ad promouendam prædicationẽ Catholicæ fidei, non verò de potestate iuris, & Principali. Hoc non ex nostro comminiscimur, sed est eiusdẽ D. Augustini doctrina, qui, ibidem, de ministeriali Laicorum potestate dixerat: *Si vos priuata vestra audacia, tàm violenter cogitis homines, aut ire in errorem, aut permanere in errore, quãtò magis nos debemus per ordinatissimas potestates, quas Deus, secundùm suã prophetiam subdit Christo, resistere furoribus vestris?* Et statim, adducto illo loco, *Adorabunt eũ omnes Reges terræ, omnes gentes seruiant ei*; subiungit: *Et ideo hac potestate vtimur*, (en potestas Episcopalis) *quam ei Dominus promisit, & dedit*. Ex quibus verbis eruitur, quòd potestates istæ, scilicet, Ecclesiastica, & ciuilis, siuè Regia, vocantur, *potestates ordinatissimæ*, & dicit Regiam potestatem esse Christo, adeoque Christi ministris in spiritualibus subditam; qua Augustinus, & cætrri Episcopi vtuntur; quaue aliquoties, tanquam per suam ministram, Ecclesia hæreses exterminat, & Religionem propagat; ordinatè præcedente in his omnibus Sacerdotio.

6 Respondetur secundò, quòd esto ad Reges pertineat Religionem tueri, propagationi prædicationis fauere, eam impedientes coercere, &c. non tamen ad eos pertinet, leges pro credibilium sanxione ferre, & de prædicatione iudicare.

7 Instat contra hanc Responsionem defensor Apologiæ Regis Angliæ. Non potest dari defensio, & coercitio sine auctoritate. Ergo si ad Reges pertinet defensio Religionis, & coercitio eorum qui prædicationem impediunt, iam habẽt auctoritatem id præstandi.

8 Respondetur, Regem vtique habere auctoritatem, sed ordinatã, vt ait Augustinus, & non sine ordine; ergo habet auctoritatem subordina-

Digitized by Google

dinatam Sacerdotio, iuxta Diuinæ legis præscriptum. Imò compertum est, quòd defensio, supponit id quod defenditur; & propagatio, supponit id quod est institutum, constitutum, promulgatum, & interpretatum à Sacerdotibus, quorum *labia* ex Malachia cap. 2. *custodiunt scientiam*; Nec Imperatores, vel Reges, hæreticos coercent, nisi hi, sint tanquam hæretici damnati ab Ecclesiastico iudicio. Sic testatur Possidonius in vita *D. Augustini* cap. 18, vbi postquam dixerat, Romanos Pontifices quosdam hæreticos à fidelium communione separasse, & anathematizasse, addit: *Et hoc tale de illis, Ecclesiæ Catholicæ prolatum iudiciũ, etiam pijssimus Imperator Honorius audiens, ac sequens, suis etiam legibus damnatos inter hæreticos haberi debere constituit.* Et sic, & nõ alitèr verum erit quod dicit *Augustinus*, quòd scilicet Episcopi in Ecclesia, procedunt per ordinatã potestatem: ergo Imperatores per potestatem in spiritualibus subordinatam; semper, in his, præcedente Ecclesiastico Sacerdotum iudicio.

9 *Alia* Brentij argumenta ex ratione petita, infra sunt adducenda.

10 *Arguunt* 3. Serenissimus Iacobus Rex Angliæ in sua Apologia, Defensor eiusdem Regis & *Apologiæ*, ac Archiapostata Spalatensis in *Apologia* pro eodem Rege, quæ extat in fine sui Tomi 6. de Republica Christiana num. 24. vbi strictim adducit omnia sequentia loca Scripturæ pro primatu Regio, & alij. Lib. 4. Reg. cap. 19. Iosaphat Rex laicus reuocauit populum ad Cultum veri Dei Regia auctoritate, & ibid. v. 8. constituit Iudices *ad iudicandum vbi quæstio est de lege, & cæremonijs*. Ergo dum reuocauit populum ad Dei cultum, monstrauit se esse Ecclesiæ Caput; & dũ Leuitas, & Sacerdotes constituit Iudices causarum fidei, & cæremoniarum sacrarum, habebat sũmam potestãa Ecclesiasticam, & Spirituale.

11 Resp. 1. quod ex eodem Capite & Lib. 4. Reg. habetur solutio argumenti: nam, ibidem, Iosaphat distinguit officium Regis ab officio Sacerdotis, cùm dicit: *Amarias Sacerdos, & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent præsidebit: porrò Zabadias filius Ismael, qui est Dux in domo Iudæ super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.*

12 Instat Defensor Apologiæ; nã, ex hoc loco, Laicocephalia stabilitur, quia Rex distinguit officia Sacerdotis, & Regis.

13 Resp. quòd Iosaphat non fuit huius distinctionis auctor, sed cùm sciret esse de Iure Diuino, quòd laicus, non debet se in Ecclesiasticis, & spiritualibus immiscere tractatibus; ne diuinæ legis violatur existeret, iussit, vt laicus, in solo se suo contineret officio, vt denotant illa Regis verba, *quæ ad Regis officium pertinent*, secundùm diuinas leges; non secundùm meam institutionem. Et quidẽ vt dicunt ibi Pagninus & Vatablus, id factum est à Iosaphat, in obseruantiam Diuinæ legis, latæ Deuteronom. 17. vbi Rex laicus, iudicio Pontificis subijcitur in spiritualibus &c. & sic *Apologista* nihil obtinet.

14 Instat tamen iterum, & ait; *illa verba, ad Regis officium pertinẽt*, nõ extare in fõte, vbi solũ habetur, *quæ ad Res Regis pertinent*, quæ scilicet, *ad terrenam politiam pertinent*.

15 Resp. quòd hac responsione, Laicocephaliam potius destruit, quã construit Defensor Apologiæ; nam, quid sibi vult, vt Zabadias, quæ ad Res Regis pertinent curet, & Amarias Res spirituales, & ad Deum pertinentes tractet? Quidẽ nisi quòd Zabadias Laicus, non se immisceat Rebus Ecclesiasticis, quia sic est diuina lege sancitum; Deuteronom. 17. vt dictum est in responsione præcedenti. Sed satis mirari nequeo Apologistæ temeritatẽ, qui locum

addu-

Digitized by Google

adductũ Vulgatæ reprehendit; cùm tamen ab vniuersali Ecclesia, & ab antiquis Patribus Hieronymo, Augustino, & alijs sic legatur.

15 Resp. secundò & quidem ad primum locum adductum in argumento; quòd non satis ptudentèr Apologista Regius, ex reuocatione populi ad cultum Dei, infert primatum Ecclesiasticum Regis laici Iosaphat; nam, sic etiam possemus inferre, quòd omnes Prædicatores ad partes infidelium à Sancta Sede Apostolica missi, quia populos infideles reuocant ad veri Dei cultum, Primatum Ecclesiasticum, atque rationem Supremi capitis obtinerent; & ita, tot essent Ecclesiæ suprema Capita, quot Prædicatores. Quod an falsum omninò sit, iudicent eruditi Anglocaluinistæ, & Laicocephali.

17 Deinde, hoc eodem argumẽto, inconsideratè, à se assertam Laicocephaliã destruit Defensor Apologiæ Regiæ: quia, possemus nos eodem argumento vti, & dicere: Quicumque reuocat populum ad cultũ veri Dei, habet primatum Ecclesiasticum: Sed in Anglia præsidentes, ac Ministri, & non Rex, reducunt populum ad cultum Dei, (vt Angli dicunt) nam, illi, & non Rex, habent munus prædicandi, Sacramenta administrandi &c. per quæ populus reducitur ad cultum Dei: Ergo prædicantes, & Ministri Primatum obtinerent, & non Rex. Si dicat Aduersarius quòd Rex hos Prædicatores destinat, adeoque Rex habet Primatum, & non predicantes &c. Et hoc insulsissimũ est; primò, nam qua auctoritate potest mittere Prædicatores absque legitima vocatione? 2. nam sic possemus etiã dicere, quòd si Imperator Orientis & Turcarum, mitteret Prædicatores ad prædicandum Euangelium Christi, ipso in suo Mahumetismo, & infidelitate persistente, iam obtineret in Ecclesia Primatum, & hic esset error peior priore.

18 Ad 2. locum adductum, ex eodem lib. & cap. v. 8; dicimus, quòd ibi Iosaphat, non constituit Iudices causarum fidei; sed, eosdem à quibus tale iudicium contra æquitatem per Idolatras fuerat ablatum, vel impeditũ, ipse in officio Sacerdotis, & Iudicis quæstionũ fidei restituit, non instituit. Restitutio autem, non arguit initiationem, seu auctoritatem, & potestatem conferendi Sacerdotium; sed damni, & iniustitiæ præteritæ recompensationem. Et quidem, si Serenissimus Angliæ Rex, vel Serenissimus Dux Saxoniæ, promulgarent edictum, vt Templa, & Ecclesiæ bona, restituerentur Catholicis legitimis possessoribus, ac soli Catholici Sacerdotes, Ecclesias suarũ ditionũ regerẽt, sacraque administrarent, nõ per hoc dicerentur instituisse, sed restituisse Sacerdotibus Calholicis, quòd iniustè eis fuit ablatum; adeòque ex hac restitutione, non euinceretur eiusdem Regis vel Ducis Primatus, imo euinceretur oppositum, scilicet, eos non esse Capita Ecclesiæ.

19 Vel dicimus, Regem Iosaphat instituisse Iudices Sacerdotes, & Leuitas, non quidem potestatiuè conferendo eis auctoritatem, sed tantũ designando personas, vt pluribus Religiosissimis Regibus, & principibus Christianis concessum est; qui pro beneficijs, & quibusdam dignitatibus Ecclesiasticis conferendis habuerunt, vt possent personas nominare, præsentare, & designare; nec per hoc Primatum Ecclesiasticum obtinent.

20 Arguit quartò idem Rex, & Defensor Regiæ Apologiæ, cũ Spalatensi, ex facto eiusdem Regis Iosaphat. 4. Reg. cap. 17. vbi habetur, quòd is pro publica reformatione, misit multos Leuitas, & Sacerdotes; & ait: *Mittens autem, superior est missò; qua ratione Pater Diuinus maior est Filio; & in hoc, superior Rex erat*

missis,

Digitized by Google

missis, non docendo, quippe qui eos ad docendum misit, sed gubernando. Primatum enim ponimus non in docendo, quod est Pontificis, sed in gubernando, qui Primatum Regium constituit.

21 Resp. quòd hoc argumento, suisque verbis *Apologiæ*, nil aliud faciunt Rex, Spal. & Defensor, nisi, quòd & Laicocephaliam, & Sanctissimam *Trinitatem* prorsus euertant. Laicocephaliam quidem; nam, Rex *Iacobus* in libris à se editis, scilicet, in *Basilicon*, *Doron*, & in *Triplici nodo triplex Cuneus*, & in *Apologia*: per suam Laicocephaliam, & Primatum, ne dum vult Ecclesiasticarũ personarum, & Religionis negotia iudicare; sed etiam iubet: doctrinæ fidei iudicia, & Conciliorum definitiones, ad suum Primatum deferri: *Apologista* verò, Regi, docendi potestatem adimit; ac Summo Pontifici tradit. Quod potiùs est Regis Primatum inuadere, quàm iuuare. Nã, si Rex habet primatum gubernandi, Pontifex Summus habet potestatem docendi; quare ergo Rex & Laicocephali non audiunt Pontificẽ summũ Doctorem docentem, & dicentem; Regem, esse tantùm *Caput* ciuile, & temporale, non autem Caput Ecclesiasticum, vel spirituale? Et, si Summus Pontifex primatum obtinet in docendo, etiam debet habere Primatũ in Regimine Spirituali, quòd est necessariò & inprescindibiliter cõiunctum cum ratione Capitis Ecclesiastici ex *Diuina* institutione, *Pasce Oues meas*; &: *Quæcunque dixerint vobis seruate, & facite*: &, dum ex Cathedra definiunt Successores Petri, eorum sententiæ, in dogmatum definitione, tutè debet Orbis acquiescere, cùm inconcussam obtineat firmitatem, ex Christi promissione, *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Cùm autem *Apologista*, *Anglorum* Regi adimat docẽdi potestatem, nullo modo potest Rex munus Pastoris, & Capitis exercere *confirmando fratres* in fide vacillantes, vel à fide aberrãtes, cùm munus docendi sit summi Pontificis, & non Regis, vt ipse ait, & *fratres confirmari nequeant in fide, nisi à Magistro, & Doctore*.

22 Quòd autem *Apologista*, Sanctissimam *Trinitatem* conetur euertere; patet, nam is, Ario manus præbens, mira temeritate *Diuinum* Filiũ facit Patre minorem, ex eò, quia fuit missus à Patre, cùm tamen, vt ait *D.* Paulus Philipp. 2. Christus Filius Dei, *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Hic error, fuit à nobis confutatus p. p. Tract. 1. Iustruct. 2. Lect. 2. à fol. 418. & seq. & mox hæc veritas magis dilucidabitur; vnde

23 Ad illud quod dicunt, Regem *Iosaphat* ex eo, quòd Sacerdotes misit pro reformatione, se superiorem Sacerdotũ declarasse; dicimus, quòd triplex potest esse missio; prima, ex *Imperio*: *Sic* Rex, aut Dominus mittit subditum aut seruum. Secunda, ex consensu: *Sic Deus Pater*, misit Filium in hunc mundum; & Filius Spiritum Sanctum. Tertia, ex consilio, zelo, & directione: *Sic* Cõsiliarij mittũt Regem ad bellum. Prima missio, arguit inferioritatem missi admittentem; non autem secunda, & tertia; & ità, nequè Filius missus ex consensu, est Patre minor, nec Petrus missus ex Consilio *Apostolorum* in *Samariam* Actor. 8. v. 4. Nec Sacerdotes, & Leuitæ missi à Rege *Iosaphat*, sunt habendi subditi, vel inferiores Regis; vel Petrus erat subditus Apostolorum, eisque inferior, quia hæc missio non est per imperium, & auctoritatiuè, sed est per modum consilij exprimendo zelum. Missio triplex.

24 Arguit quintò idem *Apologista*. *Dauid*, vt habetur 2. Reg. cap. 6. *Arcam* Domini ad cõstitum locum perduxit, eiusque imperio facta est

Digitized by Google

hæc asportatio; Per hoc quòd *Arcæ* præibat, suum Ecclesiasticum Primatum indigitat, in facto asportationis: Qui etsi ante *Arcam* luderet, nō humilitatis, sed gaudij signum præstitit; nam, si ob humilitatem saltasset, subsequi debebat, non præire.

25 Resp. quòd Dauid non sua auctoritate, neque vt Caput, & Primas Ecclesiasticus, neque vt Rex, sed speciali *Dei* mandato, & vt Propheta egit, quicquid egit in Arcæ asportatione. Nequè per hoc quòd *Dauid Arcæ* præibat, arguitur eius Primatus, sed potiùs oppositum; nam, in Ecclesiasticis processionibus, (sicut in illa processione asportationis *Arcæ*) non qui præit, sed qui vltimò processionem comitatur, præstantiorem locum obtinet; quin, & in incessu Regum, serui præeunt, nobiliores Regem vltimo loco incedentē comitantur. *Di*splicet tamen, quòd Regius istæ defensor Anglus, Regis *Dauidis* humilitatē carpat, & Scripturæ Sacrę contradicat, dicendo, Regem Sāctissimum ex ambitione Primatus, & in signum gaudij, non in humilitatis exemplum, sicut Domini seruus, Arcæ præiuisse, cùm tamen eius humiliras, loco citato exprimatur, illis eiusdem Regis Sanctissimi verbis: *Vilior fiam plusquam factus sū, & ero humilis in oculis meis.* Non ergo Dauid Arcæ præeundo, declarauit se obtinere Primatum, sed suam corā *Arca*, Sacerdotes, & Leuitas, humilitatem, ac in spiritualibus inferioritatem expressit.

26 Cæterum, cùm Rex Iacobus, (seù quisquis auctor est Apologiæ,) & omnes Laicocephali, asserant, *Dauidi* nequaquam fuisse concessum, *Arcam* attingere; & ex hoc, probent, Regem *Angliæ*, non habere potestatem tractandi sacra; quia hæc, ad Sacerdotalem potestatem pertinent; certè non video qualem illi Ecclesiasticum Primatum Regi suo tribuant, cum is, qui in vno quoque Ordine velut Caput præest, possit ea omnia efficere, quæ possunt officiales subditi, sicuti supra exemplificauimus in ordine militari in Imperatore, & *Duce* exercitus, qui potest facere officium Centurionis, & *Tribuni*; Et in Ordine Ecclesiastico Episcopus potest omnia ea præstare quæ faciunt Parochi: & in Ordine politico, & ciuili Rex potest facere omnia quæ faciunt sui *Proreges*, & Præsides *Prouinciarum*. Si ergo in omni Ordine, Caput, potest efficere omnia que efficiunt membra & subditi; & Rex *Angliæ* iuxta suam, & Apologistæ, ac ceterorum *Anglo*caluinistarum, & Laicocephalorum sententiam non potest Sacra attrectare, vt faciunt Episcopi, & Sacerdotes; quomodo possit dici Caput Episcoporum, Sacerdotum & Ecclesiæ rationem nullam video.

Laicocephaliæ aperta confutatio.

27 *Arguit* 6. idem, ex alio facto *Dauidis*, qui Ministros, Ministeria, ac Templi officia disposuit. Ergo Rex laicus fuit Caput &c.

28 Resp. quod hæc omnia, erant iure diuino disposita, ipse tamen ministerialitèr curauit vt exequerētur; non quidèm initiando vel consecrando ministros; sed initiandos, & consacrandos designando, & nominando. Itaque talis dispositio Tēpli, non fuit facta à Dauide auctoritatiuè, sed tātum executiuè & Ministerialiter, nominando personas, & vt habiles ad Sacrum ministeriū eligerētur, quam ministerialem potestatem, nō habebat quatenus Rex, sed per dependentiam à Sacerdotio.

29 Arguit septimò idem; Iosue cap. 5. circumcidit filios *Israel*, repetit legem, & multa alia ad Ecclesiam spectantia edidit. Ergo &c.

30 Resp. Quod *Iosuæ* ex speciali *Dei* mandato, & diuina dispensatione circumcidit filios *Israel*, non ex officio; vnde, in loco adducto ab *Arguente* v. 2. habetur: *Ait Dominus ad Iosue: fac tibi cultros lapideos, & circum-*

Digitized by Google

eumcide secundo filios Israel. Fecit quod iusserat Dominus. Nec per hoc Iosue dictus est Caput Ecclesiæ, quia vrgente necessitate id iusserat Dominus; sicut dum dicimus, etiam fœminas in casu necessitatis posse baptizare; nec per hoc obstetrices, & fœmellæ Primatum Ecclesiasticum obtinent.

31 *Arguit* 8. idem. Paralip. 2. c. 1. Salomon Rex Templum Dei ædificauit, dedicare autem Deo Templa actus est primarius, neque cuiuscumque, nisi cuius partes in Religione Primæ; nec tantùm interfuit solemnitati dedicationis Templi, sed ex auctoritate præfuit, nec à cæteris poterant præstari, quæ Salomon ipse præstitit. Inter cætera, etiam sacrificauit Salomon coram Tabernaculo offerens mille hostias. Hæc sunt ipsissima Apologistæ verba.

32 *Resp.* 1. quòd arguens malè infert, *Edificauit*: ergo *dedicauit*: Edificare, conuenit muratoribus & operarijs, *dedicare* autem stat dupliciter, vel pro *consecrare*, & hoc spectat ad Ecclesiasticos; vel pro offerre, vel attitulare; & ita, multi Imperatores, ac Reges, suis expensis curarunt Ecclesias, ac Templa construi, eaque nomine alicuius Sancti, cuius patrocinium sentierunt, attitularunt, eique dicarunt. Sic dicimus, quòd Salomon, Templum Domini fieri fecit; ac, eidem Domino, consecrauit, ac dicauit. Et tunc nihil proficit Apologista. Nisi fortè velit Architectos, ac cæmentarios, seu muratores esse Caput Ecclesiæ; Vel Centurionem Militem, qui Iudæis Synagogam edificauit, Caput Synagogæ fuisse.

33 *Resp.* tamen secundò. Quod vt habetur 3. Reg. cap. 28. Dauid, insinuauit filio suo Salomoni, se à Deo accepisse Exemplar, seu modulum manu eiusdem Dei descriptum, ad cuius exemplar deberet Templum, & totum opus construere; quare, Salomoni mandauit, vt perficeret *omne opus ministerij Domus Domini*. Deinde ibidem cap. 29. Dauid eidem Salomoni testatus est, Deum elegisse eũ *ad hoc opus grande*. Adeoque dicimus ad Argumentum, (quicquid sit an superintendentia in opere fabrili, sit sacra) Salomonem, ex speciali Dei ordinatione, id præstitisse. Cæterum, vtinam Reges Angli, qui Primatum iactant se habere Ecclesiæ, Ecclesias & Templa Deo cõstruerent, & non potiùs suorum antecessorum Catholicorum pietate constructa, destruerent, & expilarent; & vasa Sacra argentea, religiosa piorum Anglorum deuotione Deo, ac Sanctis eius iam pridem oblata, Arpyarum rapacitate, ac sacrilega direptione, in militum, & scortorum stipendia, non conuertissent! Eheu fatum!

34 Ad illud quod additur in Argumento, scilicet, Salomonem mille hostias obtulisse, & sacrificasse; dicimus, quòd non ipse manu sua, sed per manus Sacerdotum sacrificauit, & Hostias obtulit. Non enim Regi laico id erat concessum; quandoquidem, quia Saul non expectato Propheta Samuele, (cum quo erat à Deo dispensatum, vt Sacerdotij munere fungeretur, vt patet ex S. Ignatio epist. ad Magnes; Cypriano epist. 65: Augustino trac. 2. cap. 55; Eucherio, & Beda in ea verba 1. Reg. 2. *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.*) Sacrificauit, ideo ipsemet Saul, errorẽ suum, eo quòd laicus sacrificauerat, agnoscens, dicebat: *Necessitate compulsus obtuli holocaustum*. Nec tamen per hoc, diuinam vltionem euasit, sed grauissimè obiurgatus, tanquam Legis Dei temerator, audiuit: *Stultè egisti, nec custodisti mandata Dei tui*. Et, vt ait S. Ignatius Martyr epist. ad Magnesianos, *Regali dignitate dehonestatus est*. Videat ergo arguens, quòd Saul Rex laicus, cùm Sacra tractasset, dicitur non custodisse legem Dei; &, vt ait Ignatius, dehonesta-

neſtatus eſt Regali dignitate: Iudicet ipſe an hæc ſuo Regi Laicocephalo quadrēt, an is ſtultè agat, & Dei legem non cuſtodiat, Eccleſiaſticis ſe immiſcendo negotijs, & an hoc, ſit Regiam dignitatem dehoneſtare.

35 Verùm, neſcio, quid ex hoc argumento, velit deducere Apologiſta. Si enim deducit quod intendit, ſcilicet, Salomonem ſacrificaſſe, adeòque Regem laicum Sacerdotis munia obijſſe; hoc, nihil iuuat Regium Angliæ Primatum, cùm ipſe met Apologiſta, dicat de Rege ſuo, quòd non ſit ei permiſſum ſacrificare: *Nec incenſum adolere ſinimus, nec id facere*, ſcilicet ſacrificare, *cuius typus tum erat incenſum*. Quid ergo intendat; ad Calendas Græcas percipiemus.

36 Arguunt ijdem nonò ex 2. Reg.cap.27.vbi legitur, Salomonem Regem Laicum, Abiatharum ſummum Pontificem exauthoraſſe, aliūque in eius locum ſubrogaſſe. *Vndè* (ait Defenſor Apologiæ Regiæ) *ad Regem pertinebit etiam Pontifici ius dicere, eumque exigentibus eius demeritis, exhaucturare hoc exemplo, quod ad Primatum Regis confert.*

37 Reſp. quòd talis priuatio, ex ſpeciali Diuina commiſſione, Deique voluntate fuit facta, declarante Salomone, quod Deus fieri iuſſerat. Cùm enim Salomon de decreto, & voluntate Dei regnaret; Abiathar Sacerdos, tentauerat contra voluntatem Dei Salomonem Regno priuare, & Adoniam inthonizare; quare, Deus extraordinariam Regi Salomoni poteſtatem conceſſit, qua non vt Rex, ſed vt ſpecialis Dei Cōmiſſarius, diuinum decretum miniſteriali poteſtate exequeretur, exauctorizando Abiatharum. Hoc colligitur ex 3.Reg.2. vbi dicitur: *Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non eſſet Sacerdos Domini, vt impleretur ſermo Domini*, &c. nota ly *impleretur ſermo Domini*. Sicut etiam legimus, multos Prophetas, Reges exauctoraſſe, vt conſtat de Elia qui Regnum Syriæ ad Azaelem tranſtulit, & de Saule, & Ozia à Prophetis mulctatis: Quòd ſi Rex Angliæ velit hanc Dei commiſſionem oſtentare ſupra Epiſcopos, oſtendat ſi poteſt Dei reuelationem; At videat, ne ſit ſicut ſpectrum illud ab Anglis confictum tēpore Reginæ Mariæ.

38 Reſp. 2. & ex facto adducto contrarium euinco. Abiathar ſummus Pontifex, vitæ ſanctitate præſtans 3.Reg.1.& 2.vt dictum eſt, volebat Salomonem Regem Laicum deponere, & ſubſtituere Adoniam; ergo ſummus Pōtifex ſanctus agnoſcebat ſe habere auctoritatem deponendi Regem. Ergo ex loco ab Apologiſta adducto, firmatur Pontificis auctoritas ſupra Regem, & Regia auctoritas infirmatur, ac Pōtifici ſubijcitur. Sicut enim ex facto Salomonis in depoſitione Abiathar, ipſe aduerſarius colligit ſuum intētum; ita ex facto ab Abiathar in intentata depoſitione Salomonis, colligimus Pontificis auctoritatē ſupra Regem. Et ſicut ipſe negat hoc, ita nos firmiori ratione, negamus illud.

39 Reſp. 3. quòd adhuc ſi, ſine Dei commiſſione Salomon Abiatharum exauctoraſſet, iniuſtè id feciſſet, tyrannicè ſibi vſurpando auctoritatem, quam non habebat in Sacerdotem; & ſic, probabiliter putant multi Catholici Doctores, ſignanter Card. Caietanus; quod non eſt nouum in Salomone, cùm ipſi maiora affricentur crimina, ſcilicet, Idolatria, libido, &c. Adeoque, Abiatharis depoſitio, fuit iniuſta, & nulla; idque colligimus ex 3.Reg.cap.4. v.4.vbi dicitur: *Sadoc autem, & Abiathar Sacerdotes*: Igitur, in ſuo Sacerdotio perſeuerauit, quia eius depoſitio fuit nulla, Siuè ergo dicatur licitè fuiſſe depoſitū, ſiuè illicitè & iniuſtè, nihil pro ſe aduerſarius obtineti nam, ſi dicamus licitè, ſpeciali

Dei

Digitized by Google

Dei commissione, ac dispensatione à Salomone deponitur: Si illicitè, illud nullo iure, sed tyrannicè factũ est. Si autẽ defensor Apologiæ Regiæ dicat primum, ostẽdat suũ Regẽ specialẽ Dei commissionem, ac dispensationem habere. Si dicat secũdum, nihil aliud euincit, nisi quòd Rex Angliæ tyrannicè, & cõtra omnem æquitatem, Ecclesiastici Capitis & Primatus Anglicani dignitatẽ, ac auctoritatem vsurpet.

40 Arguunt dec mò ijdem, Rex, Spalatensis, & Defensor Apologiæ Regiæ. Moyses fuit Princeps laicus; & tamen, vt habetur Exod. cap. 18; maiores cause Religionis ad eũ deferebantur: ergo cause Religionis & fidei, omniaque Ecclesiastica negotia ad Principem, & Regem laicum sunt deferenda.

41 Resp. primò ex dictis hic circa finem 1. Notabilis, & lib. 1. Trac. 3. lec. 1. in notab. 1. ex Hieronymo, quòd potestas ciuilis seu Laicalis, ab Adam, vsque quò Aaron Sacerdotio fungeretur, erat coniuncta cum potestate Sacerdotali, & Pontificia; & sic Amram, qui fuit Pater Moysis & Aaron, erat simul Princeps, & Pontifex: illo defuncto, vsque ad Eductionẽ Israëlis ex Ægypto, Moyses vtrumque munus obibat, quandoquidem is erat Princeps & Dux ciuilis, & Pontifex Ecclesiasticus populi Dei, iuxta quod dicitur in Psalmo. *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius.* Quin, & exod. cap. 7. dixit Deus ei: *Constitui te Deum Pharaonis*, Sed cùm is, vtrumque onus ferre non posset, petijt à Domino, vt Aaron, Sacerdos ac Pontifex fieret; & ita, Aaron, Pontifex à Deo institutus fuit; & ex tunc, Moyses quoad vixit, temporalem Principatum tenuit; & non tanquã Princeps laicus, sed tanquam Domini Propheta, etiam in Diuinis, quid agendum esset, Dei nomine, eiusque speciali commissione præcipiebat. Nec est in Scriptura nouum, Prophetas, ex speciali Dei mãdato, in Ecclesiasticis negotijs se immiscuisse, vt patet in Iona verbum Dei Niniuitis prædicante, ieiunia indicente, &c. Quin, neque nouum est, Prophetas auctoritatẽ à Deo obtinuisse supra Reges laicos; nam Samuel, Regem Agag in frusta discerpsit; Ahias, vnxit Ieroboam Regem super Israël &c. Et alibi in Scripturis, iubente Deo concessa est Prophetis, Regum creatio, eorumdem institutio, & destitutio.

Hieronym. in quæst. Hebraicis in Genesim ex doctrina Hebræorũ. Alcuinus in quæst. in Genes; idem sentit.

42 Totum hoc, patet ex Scriptura: quoadusque enim Moyses fuit simul Pontifex Ecclesiasticus, & Princeps seu Dux Ciuilis, vtrumq; munus exercuit; & tunc, vt dicitur Exod. 4. v. 14. Aaron erat Leuites, & ibid. num. 16. Aaron erat substitutus Moysis, nam ibi dicitur, *Aaron frater tuus &c. loquetur pro te ad Populum, & erit os tuum, tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.* Deinde locus adductus ab Apologista ex cap. 18. potius destruit, quàm firmat Laicocephaliã, ã tunc Moyses iudicabat omnes causas Religionis, quia erat Pontifex Ecclesiasticus, vt ex eodem loco v. 19. dicitur Moysi, *Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent &c. Ostendesque populo ceremonias, & ritum colendi &c.* Quod est manifestum indicium, ipsum tunc, fuisse Pontificem, & Ducem simul. Deinde, ibid. cap. 28. Dixit Dominus Moysi: *Applica quoque tibi Aaron fratrem tuum, cum filijs suis de medio filiorum Israel, vt Sacerdotio fungantur mihi &c.* Et num. 41. Deus præcipit Moysi, vt Sacerdotum, & Pontificis Aaron manus consecraret, *Cunctorum consecrabis Manus, sanctificabisque illos, vt Sacerdotio fungantur mihi.* Ex tunc postea, Moyses abdicato à se Sacerdotio, & constituto Aaron, tanquã Dei Propheta, & non vt Dux Ciuilis; ex speciali Dei mandato, in is quæ

ad

ad Sacra pertinebant, nomine Domini, ſicut & Prophetæ cæteri, ſe immiſcebat. Tandem à D. Auguſtino lib. 3. quæſt. in Leuitic. cap. 23; dicitur: *Quamquam etiam pſalmus ille, vbi dictum eſt: Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius, auferat dubitationem quòd Sacerdos fuerit, & Moyſes.*

43 Reſp. 2. ex D. Thoma in 4. diſt. 19. q. 1. ad 1. Quòd Moyſes fuit *Sacerdos, quaſi Sacra dans, quia immediatè à Deo accepit Sacra, & ea primò dedit populo: non verò fuit Sacerdos ex officio offerendi.* Adeoque, ſi aſſeramus cum alijs, Moyſem non fuiſſe Sacerdotem, illud intelligendum eſt, de Sacerdotio ex officio; attamē, cùm munus Sacerdotis, & Pontificis exercuit; id, ei ex ſpecîali Diuina diſpenſatione, & commiſſione, imò & expreſſo mandato, à Deo collatū eſt. Oſtendat defenſor Apologiæ, vbi in Scripturis, Regi Anglorum, dictum ſit: *Tu autem eris ſuper his quæ ad Deum pertinent*, & vincet.

44 Arguunt 11. ijdem. Ex lib. 4. Reg. cap. 22. habemus, quòd Ioſias Rex Laicus, librum de nouo in Domo Domini repertum, publicè Populo legit. Quem, cùm legiſſet Rex, conſuluit ſenſum Prophetiſſe, ad eā tranſmittens Helchiam Pōtificem, & non expectata declaratione Eccleſiæ, indixit Rex conuentum, & in eo præcepit recitari librum, præcepitque Sacerdotibus ſecundi ordinis, vt eijcerent de Templo vaſa, quæ Baali ſacra fuerāt, & ſtatuit de celebratione Paſchæ; *hi autem actus*, ait defenſor Apologiæ, *ſpirituales ſunt, & ſacri, & à Rege præcepti, & vbi præcepit Rex, paret Pontifex Regi. Hoc exemplum Ioſiæ, plurimum certè facit pro primatu Regio.*

45 Reſpondetur, quòd hoc exēplum Ioſiæ mendaciſſimè adductū, mendacem facit, & Primatum Regium, & Regij Primatus aſſertorem. Et quidem primò, mendacium eſt, quòd Rex, propria auctoritate librū legit; nam, vt ait Scriptura Exodi 22. quam ipſe citat, nō Rex à ſe ipſo, ſed à ſummo Pontifice Helchia per manus Saphani librum à ſe repertum, accepit, vt legeretur ei ab eodem Saphano, à Pōtifice deſtinato: ait enim Scriptura ibi v. 8. *Dixit autem Helcias Pontifex ad Saphan ſcribam: Librum legis reperi in Domo Domini: Deditque Helcias volumen Saphan qui & legit illud. Venit ergo Saphan Scriba ad Regem, &c. Narrauit quòque Saphan Scriba Regi dicens: Librum dedit mihi Helcias Sacerdos. Quem cùm legiſſet Saphan coram Rege, & audiſſet Rex &c. ſcidit veſtimenta ſua.* Et quia Rex agnouit, quòd *magna ira Domini ſuccenſa eſſet contra ſe, & Populum ſuum, timore perculſus noluit ipſe conſulere Interpetres ſacros, & Prophetiſſam; ſed miſit Pontificem,* (non quidē præcipiēdo tanquā ſuperior, ſed ex conſilio, & cōuenientia, & tanquā ad quē de iure ſpectaret, ſacra cōſulere) *ad Prophetiſſam. Qua conſulta, audiuit Rex perterritus, quod non viderent oculi ſui omnia mala quæ inducturus erat Deus ſuper locum illum*; in ſequenti cap. 23. Rex, congregauit Populum ex Pontificis conſenſu, & cum eo conuenerunt idem Pontifex, & Sacerdotes, *legitque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis*; ideſt, legi fecit per Anacephaleoſim; ſicut paſſim dicitur in Scriptura, quòd quæ Rex per alios facit, à ſe facta dicat, v. g. *Occidit quinquaginta millia*, &c. & Paralip. 2. c. 30. *diſſipauit excelſa, ſuccedit lucos* &c. non quidem Rex ipſe, ſed milites quinquaginta millia occidiſſe, & lucos ſuccendiſſe cenſendum eſt.

46 Vel dicendum, quòd non ex officio legit. Vel denique, legerit Rex librum; quid ex hoc tandem pro ſe habet aduerſarius, vt Primatum Regis ſtabiliat? Obtinebit ad ſummum, quòd Ioſias functus ſit officio Lectoris; ex quo deberet inferre

ferre, quod Rex Anglus Lectoris gradum, & non supremam Capitis, & Primatis dignitatem obtineat in Ecclesia. Et sic (vt ipse dicebat) *Iosia exemplum, multùm certè facit pro Lectoratus gradu, & non pro Primatu Regio.* Nec Lectio illa fuit ex officio, nec conuocatio auctoritatiua, & sine consensu Pontificis; Nec Rex præcepit recitari librum, vt patet ex textu; sed eum à Pontifice accepit, & legit, vel legi fecit, vt ministerialiter populum ad legis obseruantiam, territus, prouocaret.

47 *Ad* alia quæ adducuntur in argumento, dicimus; ea, tantùm ministerialitèr, vt pios Principes decet, à Iosia facta fuisse. Quòd si modum excessit, est illi, sicut & Constantino qui etiam Episcopis aliquando iussit, parcendum, tanquam Regi, in notitia diuinorum, & Legis, nouitio; non adhuc de omnibus ritibus, & dogmatibus informato; nec enim, (ex ruina sibi in eo libro comminata territus) poterat considerare, omnes eiusdem libri sententias, in quibus expressè mandabatur submissio Regis Laici, erga Pontificem, & Sacerdotes. Sed vtinam, Populus *Anglus*, subditus, & obediens esset Regi suo vt par est, sicut Populus ille obediens se exhibuit Iosiæ Regi!

48 *Arguit* 12. idem. Ezechias auctor fuit fœderis inter Populum, & Deum. Quod si Nehemias auctor fuit fœderis illius apud Nehemi. cap. 9. qui fuit *Dux* solum, & cui delegata tantùm erat potestas: an non Rex multò magis? Hæc defensor *Apologiæ*.

49 Deindè pergit & de eodem Ezechia, dicit, quòd is, Serpentem Dei mandato erectum confregit: *In confractione* (ait) *Serpentis, Rex Templum intrauit, ibique Serpentem contriuit, & meritò, quia Serpenti illi iam offerebant sacrificia suffitus adhibendo* (*vt fit Imaginibus à Pontificijs*) *venerando illum, & thurificantes ratione accepti beneficij, non vt Deum, sed vt beneficium datum à Deo, qua veneratio, quoniam superstitiosa erat, à Rege Ezechia sublata est. Si erga Reges serpentes æneos iussu Dei factos, miraculis insignes, Christi etiam typos comminuere postquam abierunt in abusum; parum aberit à Primatu auctoritas illa Regia si sic pertingat in Templum, atque ibi ita in re tractet Ecclesiastica.*

50 Resp. ad primum; quòd cùm deferre vero Deo cultum sit cuique lumine naturæ dictatum, possunt Reges, ob defensionem veræ Religionis, edicta condere etiam contra hæreticos, ne in suis pertinentijs habitent, in quibus pertinentijs volunt vero Deo cultum deferri à subditis, ac veram fidem Catholicam promoueri; hoc autem, non est vti potestate Ecclesiastica, sed obedire Ecclesiæ, quæ, definit hos, vel illos esse hæreticos, qua definitione suppositâ, nolunt Reges suos subditos cum hæreticis communicare; Adeoque, cùm percutere fœdus cum Domino, nil aliud sit, quàm præcipere, vt populus, verum Deo cultum ab Ecclesia probatum, & definitum exhibeat; id, non est vti potestate Ecclesiastica, sed in Ecclesiæ, eiusque decretorū obsequium, legem in populos ferre, eosq; ministerialitèr, ac subsidiaria potestate compellere, vt, quæ sunt Ecclesiastica potestate præscripta, & maximè, naturali lumine dictata, à suis subditis obseruentur.

51 *Ad* illud quod canendo extra chorum adducit de Nehemia, nihil concludit, tùm quia nulli Reges illo tempore fuerunt; tùm etiam, quia Nehemias (vt dicitur Nehem. 10.) qui percussit fœdus, erat Sacerdos, *Nehemias Athersatha &c. Hi Sacerdotes.* Igitur, Nehemias illud præstitit, non quia erat Rex, sed quia Sacerdos; & ex ordine subscriptionum in fœdere ibidē adducto, destruitur Primatus Regius,

& Pri-

& Primatus Sacerdotij ſtabilitur; cũ primò ſubſcripſerint Sacerdotes, ſecundò Leuitæ, tertio Capita Populi, ſeù Principes, & Laici. *At* ſatis mirari nequeo, acutam *Aduerſarij* illationem; dum, ex iure, & facto Sacerdotis Nehemiæ; infert Primatum Eccleſiaſticum Regis ſui Laici.

52 *Ad* 2. reſp. quòd licet lib. 4. Reg. cap. 18. v. 4. (ab ipſo non citato, ex quo tamẽ deducit obiectionẽ) dicatur, *ipſe diſſipauit excelſa, cõtriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque Serpentem æneum, quem fecerat Moyſes &c;* Hoc tamen explicatur per epitome Paralipom. 2. cap. 30. v. 13. vbi dicitur, quòd non Rex, ſed Populus hæc omnia fecit: *Congregatique ſunt in Ieruſalem Populi multi &c. Et ſurgentes deſtruxerunt altaria quæ erant in Ieruſalem, atque vniuerſa, in quibus, idolis adolebant incenſum, ſubuertentes* &c. Si autẽ cõfregit Serpẽtẽ æneum, hoc autem ex ſpeciali Dei mandato, & commiſſione fecit, quod mandatũ non auctoritate Regia, ſed Sacerdotibus mediantibus, ſeù immediatè à Sacerdotibus eſt executioni mandatum, Rege tantùm adminiculante, & iuuante; nam, ſine vi Regia, Idolatre Sacerdotibus inermibus reſtitiſſent, ne facerent. Deindè, intrauit Ezechias in Templum, quid inde? Etiam hodie videmus fœmellas in Templum intrare, erũt ne iſtæ Caput Eccleſiæ? Intrauit vtique in Templum, vt Laicus; at non vt ſacrificaret, ſed vt Sacerdotibus ſacrificãtibus, ſacrificijſque, vt pius Princeps, aſſiſteret. Vnde in hac re Primatus?

53 Ad illud quod addit arguens, de ſacrificio ſuffitus ſerpenti exhibito, falſum eſt. Nam, illa, fuit ſimplex thurificatio, non verò thurificatio quæ erat ſacrificium; cùm hec, illa ſola eſſet, quæ exprimitur Exodi cap. 30; ſcilicet, quæ fiebat à magno Sacerdote ſuper altare aureũ, ex Thymiamate. Tamen, quia, etiã illa ſimplex thurificatio, & incenſi adoletio, ſoli Deo extimabatur debita, & cultus latriæ; cùm eſſet Idolis exhibita, erat ſuperſtitioſa, habẽdo ſerpentem, nedum vt ſignum beneficij à Deo accepti vt ait aduerſarius, ſed etiam vt Deum. Hoc non ex noſtro comminiſcimur, ſed eſt ipſiſſima doctrina Sancti Patris Auguſtini lib. 10. de Ciuit. cap. 8. vbi ait: *Quem ſerpentem, propter facti memoriam reſeruatum, cùm poſtea populus errans, tanquam Idolum colere cœpiſſet, Ezechias Rex religioſa poteſtate Deo ſeruiens, cum magna pietatis laude contriuit.* Ex quibus, habes, quòd eſto ſerpens fuerit ab initio ob facti memoriam reſeruatus, tamen errauit poſtea populus colendo illum idolatricè tanquam idolum; & tunc Ezechias, religioſa, ideſt, ſeruando Sacerdotum iura iuxta præſcriptum legis, miniſterialiter & ſubſidiariè, ne Idolatræ Pontificem; vel Sacerdotes opprimerent, brachium ſuum in ſubſidium impendit, & annuente Pontifice, ſerpentem contriuit, & idolatriam idem Ezechias aboleuit, Templum ingrediendo.

54 Ad illud quod ex toto ſuo diſcurſu colligit Defenſor Apologiæ, ſcilicet, quòd eodem zelo poſſunt Reges laici ingredi Templa, & ibi deſtruere cultum Sacrarũ Imaginum ad exemplum Ezechiæ; cùm hic, ſit idolatricus, ſicut ille, ſerpenti exhibitus. Sed errat, nam cultus Sacris Imaginibus à Papiſtis (vt ipſe ait) delatus, toto cœlo ab illo ſecernitur: illi putabant, & colebant verum Numen in Serpente: nos nõ ita, ſed Sacris Imaginibus honorem Duliæ deferimus ac nõ eas præcisè, prothotypa colimus, non quidem vt Deos, ſed vt Dei amicos, & aulicos. Quòd ſi in Anglia Reges, & Populi, Templa ingreſſi ſunt, non quidem vt ea ad Ezechiæ exemplum mũdarent per manus Sacerdotum,

ſed

Digitized by Google

sed vt sacra vasa, & vestes sacras Sacerdotum Catholicorum expilarent, per manus sacrilegorum & rebelliũ, ea in stipendia, & vestes militum conuertendo, & Templa Sacra in brutorum stabula transferendo.

55 *At* nõ sic pius Rex Ezechias, cum suo Populo; mundauit Templum ab immunditijs, ab idolis; &c. sacra vasa, & vestes in honore habuit, & non nisi à Sacerdotibus tangi voluit, imò & donarijs Templa cumulauit: ac demum, Serpentem seù Idolum, non auctoritate sua, sed Sacerdotum, eos potestate sua contra Idolatras adiuuando, ministerium, & famulatum illis exibendo, contriuit, & aboleuit. Quare, prius Ecclesia, & Sacerdotes illum cultũ superstitiosum declararunt, ac dãnarunt, & deindè Idolum, Rex pius Ezechias, famulatum Religioni exhibens, deuastauit. Non enim inconuenit, quòd pij Reges, post Ecclesiæ declarationem, hæreticos, & idolatras, gladio subijciant, & huiusmodi scelera ministerialitèr puniant.

Post Ecclesiæ declarationem, possunt Reges, ministerialitèr punire infideles.

56 *Arguunt* 13. ijdem & obijciũt simile factum ab *Asa*, qui reintegrati fœderis cum Deo auctor extitit, etiam iuramento interposito. Neque dicas, ad ipsos Reges pertinuisse, Populos ad Dei cultum euocare, quia Reges ipsi fuerunt causa euocandi, & abducendi Populos à Deo; quia, tùm Iosias, tùm Ezechias, tùm *Asa* nunquam recesserunt à Deo, nec fuerunt causa, vt Populi ab eodem Deo recederent. Ergo Primatus astruitur Regius; maximè, cùm Paralipom. 2. cap. 5. dicatur, *confortatus est Asa, & abstulit Idola.*

57 Resp. quòd æquum erat, vt, cùm Regum malitia, & exemplo, Populi à veri Dei cultu fuerunt abducti, etiã religiosa Regum pietate, ad verum cultum adducerentur ministerialitèr, & seruato iuris ordine, cum debita Sacerdotum commissione, iuxta legem à Deo latam in Scripturis, Deuteronom. 17. & alibi, vt in 1. probatione Veritatis. *Ad id* quòd subdit arguẽs, dicimus, iustissimè Idolatras fuisse ad Deũ euocatos à pijs Regibus, qui nõ fuerunt causa ablationis Diuini cultus; quia, nõ solũ ille qui malè accipit, tenetur ad restitutionẽ, sed etiam ille, qui malè possidet rẽ, ab alio malè acceptã; & ita, Etiã si *Asa*, & alij Reges non fuerunt causa ablationis Diuini cultus, quia tamen ab idolatris Regibus fuerat in ijs Regnis relicta superstitio, & idolatria: tenebantur Reges pij, rem ab illis malè relictam restituere, restituendo cultum verò Deo, malè ab illis ablatum per idolatriã. Et sic, nihil obtinet *Apologiæ Regiæ* defensor.

58 *Arguunt* 14. ijdem; Cùm Ioas esset septennis, fœdus est initum à Pontifice *Ioiadæ*, non Pontificia, sed Regia auctoritate, & tanquam custos, & Procurator Regis paruuli.

59 Resp. quòd lib. 4. *Reg.* cap. 11. constat contrarium; nam, postquam Athalia, omnes ex Regio semine occidisset, solus Ioas paruulus ex eodẽ semine Regio fuit occultatus à Ioiade Pontifice, qui conuocatis in Templum militibus, & Centurionibus, fecit acclamare Ioam in Regem, cũque manibus suis diadema tare coronauit. Et ipse Pontifex *Ioiada* fœdus pepigit inter Deum, Regem, & Populum; nec apparet in Scripturis quod Ioiada Pontifex, fuerit custos, vel Procurator Regis paruuli, vt aduersarius de suo comminiscitur. Rẽ narrat Iosephus Hebræus lib. 9. Antiquitatum cap. 7. his verbis: *Ioiada Pontifex conuocato Populo, ac militibus in Templum, omnes Sacramento ad fidem Regis adegit, incolumitati ipsius tuendæ, Regnoque augendo daturos operam: Eodem iureiurando Regem adstrinxit, ad Diuini Numinis reuerentiam, & ad obseruationem legum.* Ex quibus Laicocephalia Regij defensoris condemnatur, non commendatur. Nam, si Pontifex, Populum

Digitized by Google

conuocat in Templum, Regem diademate coronat, fœdus init, iureiurando Regem ad Numinis reuerentiam, & legis Diuinæ obseruantiam adstringit, quomodo poterat tanquam custos, & Procurator hæc facere? quomodo Regem iuramento adstringere? quomodo Populos Sacramento ad Regis fidem adigere? Igitur, Ioiada tanquam Pontifex ex officio, & non vt Procurator Regis, vt Regius Defensor comminiscitur, illa omnia sua auctoritate patrauit.

60 Arguunt 15. ijdem, & ex titulis quibus decorantur Reges in Scripturis, Regium Primatum probare contendunt. Sed cùm Rex Angliæ in sua Apologia, simul cum suo Defensore, hanc cantilenam protrahunt; Archiapostata Spalatensis, breui Epitome omnia eorum argumenta, & Scripturæ loca collegit in sua Apologia, contra Suarez, annexa in fine Tomi 6. suæ Republic. n. 24. quæ omnia ipse proponit, his verbis: *Nec verò tituli, & notæ quibus insigniuntur honorariè, ab his eorum actionibus* (commemorauerat omnia argumẽta præmissa) *discordant; vocantur enim filij Altissimi, imò Dij; & Christi seu Vncti Domini: in Dei solio sedentes: famuli Dei, imò, Angeli Dei, facti iuxta cor Dei: Luminaria Israelis: Nutricij Ecclesiæ; cum innumeris ex eodem genere titulis, atque insignijs honorarijs, quibus & Vetus scatet Testamentum, & aduersarius ignorationem nullam potest ostendere.* Hæc ille qui deinde, addit & dicit.

61 *Cõfirmatur totus discursus præcedens hac coronide, etiam ex veteri Testamento. Reges enim psal. 2. ad eiusmodi opera animantur cum dicitur: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram; & postea, apprehendite disciplinam, & iterum in psal. 137. Confiteantur tibi omnes Reges terræ, quod & suo Dauid præstitit exemplo dicens, psal. 138. perfecto odio oderam illos, impiam doctrinam detestando, & Hypocritas, & viros sanguinum odio habendo. Non est ergo Principibus Laicis neganda potestas cultus, & disciplinæ, & instaurationis eorum quæ ad Religionem pertinent, vt etiam de doctrina iudicium ferre, vt Brentius, & alij citati.*

62 Ad omnia hæc, (quæ sunt eadem à Rege, & eius Defensore pro suo Primatu stabiliendo adducta,) eadem facilitate qua sũt ab eis prolata, respondetur; quòd ex illis, nulla prorsus Ecclesiastica prælatio euincitur.

63 Primò ait arguens, quòd Reges vocantur *Filij Dei*, hoc puto ex 2. Reg. 1. esse desumptũ; Sed ex hoc nihil obtinent Laicocephali pro Rege suo; nam, id nõ omnibus, sed solùm Salomoni dictum est, qui fuit figura Christi; cui dictum est, *Ipse erit mihi in Filium*, de Christo verò, *Filius Altissimi vocabitur*. Quod si velit aduersarius, ex titulo filiationis, stabilire Regis Primatum, de facili dicẽt Anglici Populi, quemque eorum habere Primatũ supra Regẽ, adeòque posse eum morti addicere; quia, cùm quisque Anglus putet, se Deum per veram fidem recepisse, dicet se, esse ex Scripturis Filium Dei pronunciatum, dicente Ioan. ec. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri*, adeoque dicet, se habere potestatem vt possit fieri Caput Ecclesiæ Anglicanæ, cum omni potestate ciuili, & Ecclesiastica, sicut Regem habere dicit aduersarius; cùm is velit, ex Dei filiatione, Regium Primatum euincere. An si hoc fiat, rectè fiat, iudicent aduersarij. Dicitur autem Deus etiam *Pater noster*, ratione Creationis, sed tamen hac ratione nequè Primatus obtinetur; Nam primus parens, hoc titulo, nullum Principatũm obtinuit, sed expectauit, vt diceret Deus, *Dominamini Piscibus maris, & omnibus volatilibus Cæli &c.*

64 Se-

Digitized by Google

64 Secundò dicunt, quòd Reges vocantur *Dij*, ex illo psal. 81. *Ego dixi Dij estis*; Dicerem, dici Deos per potentiæ Diuinæ participationem, quatenus possunt leges condere, & subditos ad obseruãtiam obligare, non tamen ex aliqua facultate supernaturali, & spirituali illis cõcessa. At hic titulus, nedum Regibus, sed clariùs Iudicibus potest applicari ex Scriptura, *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diudicat.* & Exod. 21. habetur, quòd *si latet fur, Dominus domus applicabitur ad Deos*, ideſt ad Iudices. Et tamen Iudices Synagogæ, non habebant Primatũ Ecclesiasticum. Solus Moyses, qui tunc erat simul Princeps, & Pontifex (vsque quo Leuit. cap. 8. abdicato Pontificatu vt dictum est, Aaron consecrauit in Pontificem) fuit Deitatis titulo specialitèr decoratus, cùm ei ante abdicationem dictum est, *constitui te Deum Pharaonis*. Quãuis ergo Regia potestas sit à Deo, est tamen ab illo per interiectum ius Gentium; & mediante Populorum electione; Quare, proximiùs Diuinæ potentiæ accedit Sacerdotalis potestas, quæ immediatè fluxit à Deo, quã Regia; quin, à Rege, per Sacerdotem intermedium, itur ad Deum; sicut inter Deum & Saul Regẽ, mediabat Samuel, qui omnium Veterum consensu, Sacerdos habetur; & cùm eum repulissent, conquæritur Dominus dicendo, *non te abiecerunt sed me, ne regnem super Israel*; quasi quod his, Deus ipse esset. Constat ergo, Iudicis potestatem, Regibus, non nisi Sacerdote intermedio, fuisse collatam, iuxta Dei legem, latam Deuteronom. 17. Cæterùm, Moyses, quandiu Sacerdotium & Pontificatum, simul cum ciuili Principatu retinuit, vt Pontifex super Cathedram sedebat: hoc, à se abdicato, & Dei auctoritate in Aarone translato; omnes eius in Pontificatu Successores, ex Dei mandato expresso, super Cathedram sederunt, quibus obedientiam prestari iussit Christus in Euangelio; adeòque, potiori iure Moyses vt Pontifex, & successores eius, titulum Dei obtinuerunt, quàm Reges & Iudices laici, qui in partem sollicitudinis ministerialis à Moyse, & successoribus Pontificibus assumuntur. In huius rei testimonium, accedat Imperator laicus Constãtinus Magnus, qui, Episcopos, ac Sacerdotes, Scripturæ auctoritati innixus, in Concilio Nicæno 1; Deos appellauit, dicendo: *Vos Dij estis*. Ex quibus, aduersarijs satis superque satisfactum puto.

65 Tertio dicunt, quòd Reges vocantur Christi, & Vncti; indeque deducunt Regium Primatum Laicale, ac spirituale; cùm ex hoc, potius Primatus Pontificis, ac Sacerdotij supra Regem euincatur. Quãdoquidem, Reges, non à Regibus Laicis, sed à Pontifice, vel ab Episcopis inunguntur. Vel ergo Rex, per vnctionem ab Episcopo acceptam, accipit aliquã potestatem, vel nullam: *Si* nullam; ergo frustra Arguens ex hac Vnctione, vel titulo Vncti, & Christi, infert Primatus Regij potestatem. Si accipit aliquam; ergo ab Episcopo Rex potestatem accipit. Sternant hunc Achillem gloriosi milites. Rursus, vel Episcopus vt Episcopus aliquid efficit vngendo Regem, vel nihil. Si nihil. Ergo frustra Rex inungitur; vel frustra inungitur ad Episcopo, cum posset è laico. Si aliquid. Ergo aliquam potestatem accipit Rex ab Episcopo Ecclesiastico; quam non accipit ægrotus à medico inungente caput, bracchium &c. sicut nec acciperet Rex, si à laico, & non ab Ecclesiastico Episcopo inungeretur.

66 Deinde, Aduersarius negat Sacerdoti vntionem, quã Regi tribuit, quod falsum est. Vgitur Rex, vngitur, & Sacerdos. Vtra sit nobilior vnctio, declaratur ab Innocen-

nio 31 cap. cum *Veniſſet de Sac. Vnctione*, vbi cùm docuiſſet, quòd in lege veteri *nedum vngebantur Sacerdotes, ſed etiam Rex & Propheta*, ait; *Diuerſimode nunc Regum vnctio, & Sacerdotum ex eodem more fit, quia Caput Pontificis Chriſmate conſecratur, bracchium verò Principis oleo delinitur, vt oſtendatur quanta ſit differentia inter auctoritatem Pontificis, & Principis poteſtatem.* Quare, etiam Sacerdotes, nobiliori vnctione deliniuntur, quàm Reges; ac de illis dictum eſt, nolite tangere Chriſtos meos. Quod ſi velit *Aduerſarius* Reges, & non Pontifices dici; *Chriſtos Domini*; iam cogitur aſſerere, Ieſum Saluatorem noſtrum, non deberi Pontificem appellari, ſicut nec deberi vocari Chriſtum, reclamante Paulo, reclamante Scriptura, imò & Vniuerſo humano genere reclamante, Chriſtum eſſe *Pontificem ſecundum Ordinem Melchiſedech, qui poſſit compati infirmitatibus noſtris.* Vel ſi dicat, ſolos Reges laicos, & temporales eſſe vnctos & Chriſtos; ſequeretur, cùm Saluator noſter dicatur Chriſtus, ipsum, ſolummodò fuiſſe Regem temporalem, & non ſpiritualem, ac animarum Redemptorem; quod eſſet totam Chriſtianitatem euertere.

67 Quartò, ex titulo *famuli, ſeu Serui Dei*, Spalatenſis, Rex *Angliæ* in *Apologia*, & *Defenſor Regis*, colligunt Primatum laicum, ſeu Laicocephaliam. Quod eſt idem, ac ſi dicamus: *Impius*, & Idolatra *Achab*, erat Rex in *Iſrael*; ergo Rex impius & idolatra eſt ſeruus Dei. An concedent hanc conſequentiam? *At*, falſa deprehenditur in Scriptura, vbi habemus, quòd Propheræ, huius (ſicut & ſimilium) Regnum, id exigente eius impietate & Idolatria, in alios, diuino iuſſu tranſtulerunt; imò, & progenies eius fuit deleta, & extirpata. Malè ergo, ex hoc titulo, omnibus Regibus, ceteriſque non Regibus communi, Regium Primatum deducunt; eo vel maximè, quia, titulus *Serui Dei*, alijs a Regibus conuenit, Elias enim, Eliſeus, Abraham, Iſaac, & alij innumeri, ſerui Dei ſũt appellati, qui tamen haud fuerunt Reges. Quòd ſi Dauid vel alius Rex fuit Seruus Dei appellatus, hoc fuit perſonale, ratione perſonalis probitatis; cùm non officio Regali, ſed pietati, morum probitati, vitæ ſanctitati, vero Dei cultori, ac hominis religioſitati titulus iſte debeatur. Tãdem, titulus iſte *Serui Dei*, cuiuſcumque creaturæ, quæ Deo ſubſeruit, conuenit. Et ſic, etiam inanimata, ratione obedientalis potentiæ quam habent, æquè poſſunt titulo ſerui Dei, *cui omnia ſeruiunt, & faciunt verbum eius* appellari. Hoc titulo tanquam ſibi debito, honeſtantur Sacerdotes, qui in Sacro miniſterio immediate Deo ſubſeruiunt, & ex humilitate, ſerui Ieſu Chriſti appellantur, ſic dicitur in Scriptura, *Paulus ſeruus Ieſu Chriſti, Petrus ſeruus Chriſti Saluatoris &c.* Quin, communiter, omnes quos virtutibus Chriſtianis, Dei amore, ac legum obſeruantia, ac vitæ munditia pollere cernimus, Seruos Dei appellamus. An Rex Angliæ vera fide Deum colat, eique vitæ probitate, ac vera Chriſtiana Religione ſubſeruiat, vnde poſſit ſeruus Dei appellari, an potius contra; ipſe, & ſui recogitent.

68 Quintò, ex titulo *Angeli*, putant Laicocephaliam firmare; ſed vna littera dempta, verũ erit, quod *Anglus* ſit Rex, non Angelus, ideſt, *diuiſus* per Schiſma à fide Catholica Vrbis, & *ab Orbe* Catholico, à Deo, à Chriſto, à Chriſti Vicario, Vniuerſalis Eccleſiæ piẽtiſſimo Patre, Capite, & Paſtore amantiſſimo. Præterea, hic titulus fuit ſemel tantùm 1. Reg. cap. 12. à quadam muliere Thecuitide tributus Dauidi, ob eius animi perpetuam ſerenitatem, ab omni perturbatione, Angelico

lico more, alienam; nec video, cur ad *Angliæ* Regẽ, eiusq; Primatũ stabiliendũ trahat Spalatensis, & Regiæ Apolog. *Defẽsor. Angeli* titulũ. Vnũ in Scripturis Malachiæ 2. 1. Corinth. 11. & Apocalyps. 2. & 3. inuenio; quòd scilicet, Sacerdotes, & non Reges vocantur *Angeli*; & de Prædicatoribus dicitur, *Ite Angeli veloces.* Ostendant *Aduersarij*, Regem *Angliæ* esse Prædicatorem, Sacerdotẽ, vel *Dauidem*; & tunc, ei *Angeli* titulum tribuant.

69 Contra hanc responsionem insurgit *Apologiæ* defensor, & ait: *Non valet, esse communem hunc titulũ Angeli etiam Sacerdotibus, nam est hac mimia licentia, vt vnus Rex Angelus dicatur, & non qua Rex est, & in Sacerdotes generatim defluat idem titulus.* Et huius rei, hanc rationẽ assignat: *Sed etiam malignitas deprehenditur in hac euasione; nam, Rex Tyri Cherubin homo Ethnicus fuit, & si illi idem titulus competit, cur Christianis Regibus denegatur?*

70 Illustrissima certè argumentatio, pro Primatu Regis *Angliæ* stabiliendo; desumpta ab exemplo Regum Ethnicorũ; sic Reges Ethnici, vocantur *Angeli*, & Cherubini; Ergo à fortiori, Christianus Rex *Anglus* debet vocari *Angelus*, & Cherubin, ad ostendendum suum Primatum. Cùm potiùs debuisset *Defensor* Regius inferre oppositum, sic: Reges Ethnici vocantur *Angeli* & Cherubin: Sed Reges Ethnici, neque sunt Caput, neque Primates, neque membra Ecclesiæ Catholicæ & Christianæ: Ergo ex titulo *Angeli*, non potest quis vocari primas, & Caput Ecclesiæ Christianæ; cùm Ethnicus Rex, qui tali nomine insignitur, neque membrum sit Ecclesiæ. Et tunc, inferenda alia consequentia: Ergo Rex *Anglus*, ex titulo *Angeli*, non potest Primatum prætẽsum deducere. Nisi fortè, velit deducere Primatum superbientis Angeli, & sicut iste Dei, ita ille Petri supremam Sedem ambire, dicendo *sedebo.* Sed videat ne, dum *Angelica* superbia *Sacrum* Thronum effectat & ambit, irreparabili ruina puniatur.

71 Ex his, reijcitur id quod prosequitur sexto loco Spalatensis; nã, si Regem *Angliæ*, eo titulo decorat, vt sit in *Dei solio sedens*; videat, ne cum *Angelo* rebelli ruat, (ex Isaia quomodo cecidisti de Cœlo *Lucifer &c. verumtamen ad Infernum detraheris in profundum laci*) qui simili superbia elatus, *Dei* solium effectauit.

72 Septimo, ex eo quòd Reges dicuntur, *secundùm cor Dei*: infert Laicocephaliam; sed æquè ineptè: nam hic titulus, tantùm *Dauidi* tribuitur in Scriptura ratione suæ pietatis, & religionis. Extenditur autem hic titulus ad omnes fideles, qui fide recta credunt, ac vera *Deum* Religione colunt, mandataque eius obseruant; & sic isti, *Dei* voluntatẽ facientes, quæ *est Santificatio nostra*, dicuntur *viri secundùm cor*, *seu voluntatem Dei.* Quòd si velit aduersarius, titulum hunc, Regi vt Regi conuenire, æquè bene posset competere Regibus impijs, & Idolatris, scilicet, *Achabo*, Hieroboam, *Sauli*, & cæteris, quòd non est dicendum, cũ hi sint Dei inimici. Neque (vt facit arguens) distinguenda est persona Regis, ab officio; nam, an putabit aduersarius, quod si Rex vt Rex, est impius; & idolatra, persona Regis effugiet damnationem æternam? Prudens negabit. Ostendant *Aduersarij* Regem *Angliæ*, esse *Dauidi*, ac pijs Viris in humilitate cordis *Deo* seruientibus, in fide, religione, pietate, ac Sanctitate similem, & tunc dicemus eum, esse secundùm cor *Dei*, nõ tamẽ Caput Ecclesiæ Anglicanæ, sicut nec similes pij Viri quos diximus *secundùm cor Dei*, possunt ex hoc titulo, sibi Ecclesiasticum

Pri-

Primatum vendicare.

73 Octauo, ex titulo *Lucernæ*, ab aulicis Dauidi dato 2. Reg. 21, deducunt Laicocephaliam Ecclesiasticam Regis. Hic titulus soli Dauidi collatus, non transit ad posteros, nisi hi, Dauidis imitatione, se ipsos, rectè fidei, ac Religionis, veræque totius Sanctitatis, populis præbeant exemplum, etenim, *Regis ad exemplum totus componitur Orbis*. Cæterum, Lucerna ista lunaris debet accipere lumen fidei, & Charitatis ardorem à Sole, scilicet à Romano Pōtifice, & à Sanctissimis Episcopis, *A*postolorum Successoribus, quibus verè à Christo dictum est, *Vos estis lux mundi*: Matt. 5. Et *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in Cælis est.* In his lumen residet doctrinæ, & morum; hos Christus æternus *A*mor iussit audiri; hos, sicut tot Soles, misit in mundum vniuersum, *vt prædicarent Euangelium omni creaturæ, & illuminarent, quæ sit dispensatio Sacramenti fidei absconditi à seculis in Deo.*

74 Nono, ex illo Esaiæ 49. v. 23. *Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ*; inferunt: Reges, esse Superiores, & Patres Ecclesiæ. Sed eos, egregiæ mentiri docet *D*octor, quē *A*nglorum nemo contempnet, is est Protestans Barlous, in *D*efensione *A*rticulor. Religion. Protestanticæ, pag 34. post medium, vbi explicat adductum Esaiæ locum, non quidem de superioritate, sed de subiectione, submissione, & obedientia Regum quam tenentur Ecclesiæ, & Ecclesiasticis personis impendere; his verbis: *Initio Nascentis Ecclesiæ, nondum impletum est promissum illud erunt Reges nutritij tui &c. de Regum obsequio, & obedientia versus Ecclesiam; quin, illud potius Saluatoris tunc locum habuit, ante Reges, & Præsides ducemini propter nomen meum &c.* Cæterum, Reges promittuntur Nutritij Ecclesiæ, & vt ait idem Esaias cap. 6. v. 6. de Ecclesia dicitur, *Lac Gentium sugges, & vbera Regum*; hoc tamen, ex Hieronymo, dictum est, ex eo quòd Reges Catholici, Christiana pietate, Ecclesiam ditarunt, ac multis expensis *T*empla extruxerūt, eaque prætiosissimis donarijs ornauerunt. Sed & Procopius Gazeus eum locum, sic exponit: *Nutritios Reges, & Reginas Nutrices fore Prophetæ significabat, imò & ipsa Gentium imperia, distributis bonis in pauperes nutritiorum more Ecclesiæ subseruiitura. Vehemens quoque solicitudo nutritum nutritiorumque gloriam conciliat, qui genu flexo in Ecclesia, frontes terræ allidunt, puluerem delingere gestientes.* Verùm, an Henricus 8. Angliæ Rex, fuerit Ecclesiæ, siue Ecclesiarum Nutritius, an direptor, & expilator; dicant *A*ngli, *A*nglorumq; pangant *A*nnales.

75 *A*d confirmationem initio argumenti appositam (quam nobis Spalatensis, vt Regis Angliæ, Regijque Defensoris ærarium augeret, obiecit) facili negotio respondemus ex dictis, quòd illis in locis, animantur Reges in Legis, Religionis, ac pietatis obsequium; vt, scilicet, Ecclesiasticam, & Catholicam, ac cœlestem fidei *disciplinam*, & doctrinam, non doceant, sed à Sacerdòtibus fidei magistris (quorū labia sciētiam custodiunt) apprehendant; nè, si velint ipsi docere, & disciplinam, & doctrinam à Sacerdotibus traditam non *apprehendere, irascatur Dominus*: vt cùm sint tantùm Electi ad *iudicandam terram*, ac ciuilem, & temporalem iustitiam populis, administrandam, *erudiantur*, & imbuantur legibus, & statutis. Et nota, quòd locus adductus, tantùm *terram* Regibus tradit iudicandam, ideſt, tantùm terrena & temporalia, non verò spiritualia, & cælestia; quæ, tantùm Sacerdotibus, & Episcopis sunt reseruata, dum dicitur:

Quo-

Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c. &: *Quæcumque ligaueritis super terram erunt ligata & in Cælo, & quæcũque solueritis super terrã, erunt soluta, & in Cælo.* Nihil ergo celeste, nihil spirituale tractare possunt Reges; quibus, tantùm terrena iudicia sunt collata. Quòd si Reges *perfecto odio oderint* peccatores & Hæreticos, pij Christiani partes implent, cùm nedum Rex, sed quilibet, qui Christiano gloriatur vocabulo, teneatur, & debeat peccatores, & hæreticos propter hæreses, & peccata odio habere, cùm dilectione hominum, & odio vitiorum.

76. Et si quando videtur, quòd in Scripturis opera spiritualia Regibus sint cõmissa; hoc sic est intelligẽdũ; vt illud non Regia, ac Principali, sed tantùm annuentibus Sacerdotibus, (quibus principaliter hæc cura est demandata) ministerialitèr, adminiculatiuè, & per modum adiutorij, & defensionis, seù concessione facti, & non iuris præstent; semper cum dependentia, & subiectione ad Sacerdotium, iuxta legem à Deo latam, & Sacrorum Canonum præscriptionem.

77. Hoc totum declarat Laicus Imperator Iustinianus in Constitutione sua inserta in Synodo Constãtinopolitana sub Mẽna Patriarcha, quæ incipit. *Rem non solitam*, & habetur in Nouella 42, his verbis: *Quoties Sacerdotum sententia quosdam indignos Sacerdotio de Sacris Sedibus deposuit, quemadmodum Nestorium, Eutychetem, Arium, &c. toties Imperiũ eiusdem sententiæ, & ordinationis cum Sacerdotum auctoritate fuit; sicque diuina pariter & humana concurrentia, vnam consonantiam rectis sententijs facere.* Omnia enim, circa res Ecclesiasticas, à Laicis Imperatoribus edita, cum Sacerdotum auctoritate sũt facta, Laicali potestate, Diuinæ, & Ecclesiasticæ ministerialitèr subseruiente, & famulante. Et sic puto Brẽtio, Regi, Defensori, ac Archiapostatæ Spalatensi factum satis.

Doctrina de Laica potestate ministeriali in negotijs Ecclesiasticis.

78 *Arguit* 16. ex rationibus Brẽtius in Prologom. *Ad* Principes Laicos spectat, ne Pseudoprophetæ, & Pseudodoctores veniant in suas ditiones, sub vestimentis Ouium; *At quando* (inquit ipse) *Principes impios Doctores profligabunt, si non iudicauerint, & cognouerint, qui sint verè Pseudoprophetæ, & impij Doctores?*

79 Dicam ego quomodo; & paucis te expediam Brenti frater mi; cognoscunt Principes Laici, & iudicant, quia præcessit Sacerdotum Iudicium, & declaratio, quod hi, vel illi, sint Pseudoprophetæ, & impij Doctores; quod horum, vel illorum doctrina Catholicæ, & *Apostolicæ* fidei consentanea sit, vel dissentanea, vt in præcedenti Responsione vidimus; & sic Principes Laici, non iudicant, & declarant hunc, vel illũ esse hæreticum; sed, iam ab Ecclesia iudicatos, & declaratos hæreticos, & ab Episcopis in Concilijs, iussu Romani Pontificis congregatis, & ab eodem approbatis, damnatos, è suis terris, ac ditionibus eijciunt; & sic nihil proficit aduersarius.

80 *Instat* Brentius. Si Principes Laici Prælatorum iudicio adhærentes, hæreticos profligarent, & coercerent, hoc idem prorsus esset, *ac dicere, Principes Laicos sine iudicio Prælatis credere. Cumque Prælati in suis decretis, & statutis ferendis falli, & fallere possint, vt homines: summo studio videndum, & iudicandum, num anathemate quis meritò emendandus.*

81 Respondetur, quòd Principes Laici nõ crederent sine iudicio Prælatis, qui esto vt homines possint errare, non tamen prout diriguntur à Spiritu Sancto, vt diximus Tract. præcedenti lect. 1. & 2.

82 *Arguit* idem 17. Principum potestas est à Deo. Ergo se extendit ad omnia quæ ad Deum pertinent, vt sunt Verbum Euangelij, Ecclesiasti-

Digitized by Google

siastica ministeria, quæ cùm Diuina sint, vigore diuinitùs datę potestatis, à Magistratibus constitui, & præfigi possunt. Antecedens; patet ex Apostolo, dicente, quòd *omnis potestas à Deo est.*

83 Respondetur, distinguo antecedens, *à Deo est* eodem modo, nego antecedens: diuerso modo, concedo antecedens. Ciuilis enim potestas est à Deo mediatè, per interiectum ius Gentium, & hominum electione; Vndè, formaliter considerata, merè humana est. At potestas Ecclesiastica, immediatè, nulloque Gentium iure mediante, à Deo Ecclesiæ ministris collata est, vt ipsemet Matth. 15. Christus asseruit. *Quæcũque alligaueritis super terram erunt ligata, & in Cælo,* &c. *Quare, cùm prima, habeat pro fine aliquod temporale, & vt quietam, & tranquillam vitam agamus* &c; & secunda, habeat pro fine aliquod æternum, scilicet, æternam Paradisi fœlicitatem, ad quam dirigit, & ducit; simulque aliquod spirituale, vt est animarum salus, (Ecclesiastici enim Præsules, vt ait Paulus, *pernigilant, quasi rationem pro animabus nostris reddituri,* & non Reges) Fit, vt vtraque sit à Deo, sed diuerso modo, & ob diuersos fines; & sicut naturaliter corporalia, spiritualium fines, toto Cœlo diuersos, ingredi nequeunt; & spiritualia, ob sui eminentiam, in corporalibus agere possunt, vt Angeli in nobis, nostrisque corporibus frequenter agunt: ita, nequit potestas ciuilis, fines spiritualis, ac Ecclesiasticæ potestatis ingredi, esto hæc, in his quæ spiritualia sunt, possit agere ob sui eminentiam. Nam in Scripturis, Laici Principes, frequenter appellantur *Reges terræ*, Pontifices verò & Sacerdotes, Regale Sacerdotium talẽ habentes potestatem, *vt quæcumque ligant in terris*, ratum habeatur in Cœlo: distãt ergo hæ duæ potestates quantùm distat Cœlum à terra.

Distat Ciuilis, ab Ecclesiastica potestate, quantũ distat Cœlũ à terra.

84 Arguit 18. idem & potest esse replica, cont. præcedentem responsionem. Religio de iure Gentium, imò & lumine naturali introducta est. Ergo eius moderatio eodem iure fieri potest, & præscribi. Ergo ad Principes spectabit eiusdem moderatio. Antecedens patet ex dicto Ciceronis. Prima consequentia, etiam constat, quia cuius est institutio, eius est & moderatio. Secunda consequentia manifesta est; nam, quæ sunt de iure naturali, vel gentium, ad ciuilem Politiam moderãda deferuntur.

85 Respondetur, distinguo Antecedens, Religio communiter accepta, prout complectitur tàm veram quàm falsam, est iure gentium, & naturali introducta, concedo antecedens: Religio vera & supernaturalis, nego antecedens. Et ad ambas consequentias eodem modo distinguendum est. Itaque, esto in genere lumen natulale dictet aliquem Deum, aliquibus certis cæremonijs esse colendum, eique latriæ cultum esse deferendum; tamen, quod verus Deus, legitimo cultu, & cæremonijs ab ipso vero Deo præscriptis, & iuxta Diuinum placitum colatur, ex August. lib. de cõsen. Euang. c. 1. hoc, haud naturę lumine, vel Gentium iure cognosci ac effici potest; cùm id omnes naturæ vires, & captum excedat; & non nisi per diuinam reuelationem, & per fidem supernaturalem, quę eamdem diuinam reuelationem, tanquam rationẽ formalem respicit, cognoscatur. Nos autem, cũ de vero veri Dei cultu, veraque Religione loquamur, negamus, eam iure gentium vel naturali haberi posse; adeoque, eam, ad Reges & Principes terræ deferendam esse pernegamus. Hæc Responsio desumpta est ex D. Thoma 1. 2. q. 10. art. 1. 2. & 3; Et 3. p. q. 6. art. 5. ad 3. Arg. Et ex D. Augustino lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 6.

Digitized by Google

cap. 6. vbi docent, quòd ex defectu veræ fidei, ac diuinæ reuelationis, Paganorum sacrificia, cultus, & cæremoniæ, non ad veram Religionem, sed potius ad superstitionẽ augendam pertinebant.

86 Arguit 19. idem *Brentius*. Distinctio Pontificalis potestatis à Regia, à Politia Gentilium incepta est: *At* antiquitùs Principes Politici in Sacra ius habebant. Ergo & modo.

87 Respondetur: Nego antecedens; nam, hoc fuit *Diuina* lege sancitum, vt vidimus in prima Probatione ex locis Sacræ Scripturæ Deuteron. 17; & 2. Paralipom. cap. 29. *Amasias autem Sacerdos, & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent prouidebit; Porrò Zabadias filius Ismael, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent &c.* Quare, Honorius Imperator epist. ad Arcadium orientis Principem, pro Episcopis in Exilium actis, in huius legis obseruantiam, scripsit: *Ad Episcopos enim diuinarum rerum interpetratio ad nos Religionis spectat obsequium*. Ergo hæc distinctio potestatum, non à Gentilium Politia, sed à *Diuina* institutione manauit. Et potius Diabolus, fidelium Dei, mysteria, cæremonias, & Regimẽ æmulatus; per suos emissarios *Anglos*, voluit Regi Anglorum, à Catholica Ecclesia per Schisma præciso, Ecclesiasticum Primatum deferre. Sed & Ethnyci Imperatores, Sacerdotale munus supra Imperiale, ac Regium agnoscentes, se Pontifices maximos vocari affectabant; quod est manifestum iudicium, Sacerdotium præcellere Imperio, ac Regno terreno.

88 Arguit 20. idem. Iste duæ Politiæ, scilicet, Sacerdotalis & regia, duo Capita efficiunt; & cùm in vnũ coalescunt, non vt in duobus duo, sed vt in vno vnus Primatus est. Æquum ergo est vt vnus, & idem Rex, sit & Sacrorum Princeps.

89 Respondetur, quòd duæ illæ potestates, duo efficiunt Capita; vnum quod præest ciuilibus, & tẽporalibus, aliud quod præest spiritualibus: & Ecclesiasticis; iuris tamẽ ordine seruato, (vt supra dictũ est) scilicet, quòd sicut spiritualia corporeis, & ciuilibus præcellunt, & æterna tẽporalibus; ita, Caput quod præest spiritualibus, superiùs est capite quod præest tẽporalibus, & ciuilibus; Quæ, si in vnũ coalescere cõtingat, potiùs superiori potestati inferior ipsa potestas iungitur, quàm inferiori superior, cùm inferior à superiori potestate perficiatur, non è contra, sicut, propter Verbi *Diuini* eminentiam, rectiùs dicimus hunc, hypostaticè vniuisse sibi humanitatem, quàm hanc, Verbo esse vtinam hypostaticè; quia, hæc à Verbo perficitur, non è contra.

90 *Arguit* 21. idem. Regum subditi, sunt partes Regni non Ecclesiæ; quia, antequam essent de Ecclesia, erant Regum subditi: & cùm extra Ecclesiam sunt, nihilominus manent Regum subditi: omnis legislatio autem subditos respicit. Ergo priuilegiati & exempti subduntur constitutionibus Principum.

91 Respondetur, distinguo maiorem, qua subditi in temporalibus, & ciuilibus sunt partes *Regni*, concedo maiorem; qua subditi in spiritualibus, & quãtum ad vim directiuam ad finem vitæ, & beatitudinis æternæ, nego maiorem; & dist. min. eodem modo, omnis legislatio tẽporalis respicit subditos in tẽporalibus, & ciuilibus cõc. min. omnis legislatio spiritualis respicit subditos in tẽporalibus, & ciuilibus neg. minorem; & nego irregularem consequentiam, in qua, neque maior, neque minor extremitas reperitur. Itaque, cùm quisque subditus, alicui potestati sit subditus; si potestas est spiritualis, subditus, subditur potestati in spiritualibus, & sic est pars Regni, & Ciuitatis *Dei* seu Ciuis Ecclesiæ; Si potestas est tẽ-

Digitized by Google

poralis,& ciuilis; ſubditus, ſubditur poteſtati temporali, & ciuili, & ſic eſt pars Regni, & Ciuitatis terrenæ, cùm Reges temporales in Sacra Scriptura, frequentiſſimè dicantur, *Reges terræ.*

LECTIO V.

In qua oſtenditur, Chriſtianos Imperatores, Reges, & Principes, ſemper Pontifici Romano tanquam Patri filios ſe ſubieciſſe, ex quo Laicocephalia iterum profligatur.

1 MArcus Antonius de Dominis Archiapoſtata Spalatenſis in ſua Republica lib. 6. cap. 5. à num. 185. & ſequentibus vt Anglicanæ Laicocephaliæ commentum, qua poſſet via ſtabiliat, multa inordinatè,& prout furor eſt, ab exemplis,aglomerauit argumenta,quæ quia ſunt manifeſtè ſoluta à P. Magiſtro Grauina tom. 4. controu.7.à fol.134. & ſequentibus, ne actum agerem,placuit alia via prædictis argumentis occurrere;ſcilicet, exempla vera, fictis & malè extortis opponendo, eaque euidentiſſima, & ad librum patentia:quibus oſtenditur, ſemper Chriſtianos Imperatores, ſe Romanis Pontificibus, tanquam Patri ſpirituali ſubieciſſe; nec Eccleſiaſtici Primatus faſtigiũ ſomniaſſe;quod argumento eſt, Regij Anglicani Primatus aſſertores, nimis inſulsè deſipere, contra omnium Regum,& Imperatorum Chriſtianorum ſententiam.

2 Omnium Imperatorum primus, qui Chriſto nomen dedit, fuit Philippus 1. Imperator, qui quantum Romano Pontifici tamquam filius ſpiritualis detulerit, narrat Euſebius Ceſarienſis in ſua hiſt. lib. 6. cap. 27. & Nicephorus Caliſtus lib.5.cap. 25. Nam, cum is à Sancto Fabiano Romano Pontifice anno 248. de quibuſdam malè actis reprehenderetur, voluit Sereniſſimus Imperator ſpontè ſe in locum pœnitentium includere, quando *Imperator alacri animo, & lubenti, Epiſcopo morem geſſit, & religioſam piamque affectionem Dei timore incitatam re ipſa declarauit.*

3 Conſtantinus 1. Imperator, poſt ſuſceptam fidem Catholicam, ac recuperatã Sancti Syluestri oratione incolumitatem, quantum eidem Romano Põtifici eiuſque Succeſſoribus detulerit, ſequenti ſua conſtitutione, ex ſua & omnium Senatorum,Optimatumque ſententia æditam,declarauit:*Imperator Cæſar Flauius Cõſtantinus in Chriſto Ieſu vno ex Sancta Trinitate Saluatore Domino noſtro, victor ac triumphator, ſemper Auguſtus, Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Patri Patrum Syluestro Vrbis Romanæ Epiſcopo,& Papæ,atque omnibus eius Succeſſoribus, qui in ſede Beati Petri vſque in finem ſæculi ſeſſuri ſunt, Pontificibus, nec non & omnibus Reuerendiſſimis, & Deo amicabilibus Catholicis Epiſcopis, eidem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ &c. Ea, quæ Saluator, & Redemptor noſter Dominus Ieſus Chriſtus per ſuos Sanctos Apoſtolos Petrum, & Paulum, interueniente Patre noſtro Syluestro, ſummo Pontifice, & vniuerſali Papa, mirabiliter dignatus eſt operari, liquida enarratione ſtuduit propalare noſtra ſerenitas. Primùm quidèm noſtram fidem, quam à prælibato beatiſſimo Patre, & Oratore noſtro Syluestro Vniuerſali Pontifice edocti ſumus, intima cordis confeſſione proferentes &c. Et dum hæc prædicante Sancto Syluestro, agnoſcerem, & beneficio ipſius B. Petri integerrimè ſanitati comperi me reſtitutum, vtile iudicauimus, vna cum omnibus noſtris Satrapis, & vniuerſo Senatu, Optimatibuſque meis, & cuncto Populo Romanæ gloriæ Imperij ſubiacẽti, vt ſicut in terris Sanctus Petrus Vicarius Filij Dei videtur eſſe cõſtitutus, etiam & Pontifices, qui Succeſſo-*

cessores sunt ipsius Principis Apostolorũ, Principatus potestatem, amplius quàm terrena Imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur, &c.

4 Honorius Imperator, in epist. ad summum Romanum Pontificẽ, filialem obedientiam, simul & gratulationem expressit de recuperata eiusdem Bonifacij sanitate, eique se ipsum tanquam Patri subijcit, ac Imperium commẽdat, vt eum apud Deum suis sanctis orationibus adiuuet, amplissimis hisce verbis: *Victor Honorius, inclytus triumphator, semper Augustus, Sancto, & Venerabili Bonifacio Papæ Vrbis æternæ. Scripta Beatitudinis tuæ debita reuerentiæ gratulatione suscepimus, quibus recensitis, egimus omnipotenti Deo maximas gratias, quòd Sanctimoniam tuam, post longum incommodum, optatæ redditam didicimus sanitati: & ideò, reuertentibus venerabilibus viris:, gaudium nostrum sacrorum apicum attestatione signamus, ac petimus, vti quotidianis orationibus Apostolatus tuus studium, ac votum suum circa salutem, & Imperium nostrum dignetur impendere. Illud autem pietati nostræ satis placitum esse cognosce, quòd Sanctimonia tua de Ecclesiarum, & Populi perturbatione solicita est: &c.*

5 Valentinianus 3. Imperator, Dignitatem, ac venerationem summo Pontifici Romano debitam, eiusque Sacerdotij Principatum, summo studio defendendum, ac propagandum scribit in epist. ad Theodosium Imperatorem, quæ extat in Concilio Chalcedonensi. *Cùm venissem* (ait) *ad Vrbem Romam, rogatus sum à Romano Episcopo, & alijs, scribere vestræ mansuetudini de fide, quæ cùm sit conseruatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata, quam nos, à nostris Maioribus traditã, debemus cum omni competenti deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis Beato Petro Apostolo intemeratam, & in nostris temporibus conseruare, quatenus Beatissimus Romanæ Ciuitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit* (ex Christi institutione,) *locum habeat, & facultatem de Fide, & Sacerdotibus iudicare.*

5 Valentinianus, & Martianus Augusti, tamquam ad Patrem ad Sãctissimum Romanum Pontificem confugiunt, vt pro eis Diuinam clementiam orare dignetur, sic enim scribunt in Epist. ad Leonem Papã: *Tuam Sãctitatem Principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentem, sacris litteris in principio iustum credimus alloquendam: inuitantes atque rogantes, vt pro firmitate, & statu nostri Imperij Æternam Diuinitatem tua Sanctitas deprecetur, vt eo tale propositum atque desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato, per celebrãdam Synodum, te Auctore, maxima pax circa omnes Episcoqus fidei Catholicæ fiat.*

6 Galla Placidia Imperatrix, ob motum tumultum in Concilio Ephesino 2. quæ Synodus, prædatoria dicta est, nullumque robur obtinuit; scribens ad Pulcheriam Augustam, ad Apostolicæ Romanæ Sedis, ac Pontificis iudicium esse necessariò recurrendum, suadet, eique reuerentiam exhibendam, his verbis: *Ad Apostolicæ Sedis, in qua primus Apostolorum B. Petrus, qui etiam Claues Regni Cælestis accipiẽs, Sacerdotij Principatum tenuit, Episcopatus causa mittatur. Debemus enim Primatum in omnibus immortali conuersationi tribuere, quæ totum mundum propriæ virtutis dominatione compleuit, & nostro Imperio Orbem gubernandum commisit.*

7 Pulcheria Augusta, in epist. ad Leonem Papam, filiali reuerentia scribit, his verbis: *Tua reuerentia, quocumque modo prospexerit, significare dignetur, &c.*

8 Anastasius Imperator in epistola ad Hormisdam Papam se tamquam filius orationibus Pontificis

Digitized by Google

commendat: *Nobis (ait) omnia optata præstantur, si orationibus vestris, nostri memores fueritis.*

9 Athalaricus Rex in epist. ad Clerum Ecclesiæ Romanæ, de Iudicio Clericorum, ait: *Ad Beatissimi Papæ Iudicium prius conueniat audiendus, vt aut ipse inter vtrosque more suæ Sanctitatis agnoscat, aut causam deleget æquitatis studio.*

10 Iustinianus 1. Imperator in epist. ad Ioannem Papam, quæ extat in Cod. de Sum. Trinit. & fide Catholica, multùm detulit Romano Pontifici, eumque tamquã Patrem honorare, eique obedire professus est, his verbis: *Reddentes honorem Apostolicæ Sedi, & vestræ Sanctitati (quod semper nobis in voto fuit, & est) & vt decet Patrem honorantes vestram Beatitudinem, omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre vestræ Sanctitatis: quoniam semper nobis fuit magnum studium vnitatem vestræ, & Apostolicæ Sedis, & statum Sanctarum Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet, & incõmotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes Sacerdotes vniuersi Orientalis tractus, & subijcere, & vnire Sedi vestræ Sanctitatis properauimus.* Hic potẽtissimus Romanus Imperator, poterit esse exemplo Regibus Anglis, ne scindant Ecclæsiæ vnitatem, extollendo se in Ecclesiastico solio, si velint in Solio Laicali esse securi.

11 Pergit idem Imperator Iustinianus, & in epist. ad Bonifacium Papam (quæ extat in Decret. Bonifacij Papæ) ad Bonifacium Papam suæ fidei candorem, & erga Romanum Pontificem filialem obedientiam testatus, ait: *In sede Apostolica extra maculam semper est Catholica Religio seruata. De qua spe, & fide minimè separari cupientes, & Patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes, qui contra Sanctam Romanam, & Apostolicam Ecclesiam superbiendo suas erigunt ceruices: sequentes in omnibus Apostolicam sedem, & prædicantes eius omnia constituta, & per omnia spero, vt in vna cõmunione vobiscum, quam sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra, & vera Christianæ Religionis, & perfecta soliditas, promittens sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, ideſt, non consensientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria. Hanc autem Professionem, mea manu subscripsi, & Bonifacio Sancto, & Venerabili Papæ Vrbis Romæ direxi, damnans, & antecessores & successores meos, & omnes, qui Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ priuilegia cassare nituntur.* Malè actum esset de Laicocephalia Anglicana, Iustiniani Imperatoris tempore. O tempora ò mores!

12 Quam obedientiam, quamuè reuerentiam, & honorem præstiterint Summo Romano Pontifici Imperatores, & Reges posteriorũ temporum, sciũ post sextum seculũ à Protestantibus nobis in hoc Opere præscriptum, facilè est indicare. Et quidèm anno 678. Constantinus 4. Imperator, scribens ad Domnum Papam, has, filialis obedientiæ plenas litteras, misit: *Sanctiss:mo, ac Beatissimo Archiepiscopo Antiquæ Romæ, & Vniuersali Papæ &c. Postquam tempus recipit perfectam Congregationem fieri, adortumur vestram Paternam Beatitudinem, per præsentem nostram piam Sacram, dirigere viros vtiles, modestos, notitiam habentes totius à Deo inspiratæ doctrinæ, & notitiam irreprehensibilem dogmatum habentes, indutos personam vestræ Apostolicæ Sedis, eiusque Concilij &c. Nullamque necessitatem facientes in quocunque capitulo eis, qui à vobis diriguntur, quoquo modos sed in omni honore, cum competenti munificentia, & susceptione dignos eos habebimus.*

13 Iustinianus 2. Imperator anno 687. Papam Constantinum mirabili

rabili veneratione coluit; nam, Beda de sex ætatibus mundi de anno 4665. *Iustinianus Secundus in Imperium restitutus, Constantinum Papam ad se venientem, honorificè susceptt, ac remisit, vt eum die Dominica Missas sibi facere iubens, communionem de eius manu acceperit: quem prostratus in terra pro suis peccatis intercedere rogans, cuncta Ecclesiæ priuilegia renouauit.*

14 Carolus Magnus anno 780. Epistola ad Eliphandum Toletanũ sic scribit: *Nec vestræ me paucitati in consensione huius nouæ assertionis socium admitto: Sed Apostolicæ Sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ, & Catholicis traditionibus tota mentis Intentione, tota cordis alacritate coniungo.* Et iterum idem Carolus lib. 5. legum Francic. cap. 167. penitùs Laicocephaliã prætensam Angliæ explodit, his verbis. *Principaliter totius Sanctæ Dei Ecclesiæ corpus in duas eximias personas, in Sacerdotalem videlicet, & Regalem, diuisum esse nouimus. De qua re Gelasius Romanæ sedis venerabilis Episcopus, ad Anastasium Imperatorem ita scribit: Duæ sunt Imperatrices Augustæ, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas Sacrata Pontificum, & Regalis potestas. In quibus tanto grauius pondus est Sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus hominibusque in diuino reddituri sunt examine rationem. Fulgẽtius quoque, in libro de veritate prædestinationis, ita scribit: Quãtum pertinet, inquit, ad huius temporis vitam, in Ecclesia nemo Pontifice potior, & in seculo Christiano Imperatore nemo celsior inuenitur.* Hæc Sereniſſimus Carolus magnus, contra prætensum Primatum Anglicanum; diuidens vtriusque potestatis, Ecclesiasticæ, scilicet, & ciuilis iura.

15 Ludouicus Imperator anno 820. apud Gratianum dist. 63. cap. 30. erga Summum Romanum Põtificẽ, Romanamq; Apostolicã sedem, in mirifici sui amoris, ac reuerentiæ monumẽtum, postquam suam munificentiam erga illam ostendisset, subdit: *Quando diuina vocatione huius Sacratissimæ Sedis Pontifex de hoc mundo migrauerit, nullus ex Regno nostro aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet gente homo sub nostra potestate constitutus, licẽtiam habeat, contra Romanos, aut PVBLICE, aut PRIVATIM veniendi, aut electionem faciendi, nullusque in Ciuitatibus, aut in territorijs ad Ecclesiæ Beati Petri Apostoli potestatem pertinentibus, aliquod malũ propter hoc facere præsumat: sed liceat Romanis cum omni veneratione, & sine qualibet perturbatione honorificam suo Pontifici exhibere sepulturam, & eum, quem Diuina inspiratione, & B. Petri intercessione, omnes Romæ in vno Consilio atque concordia sine qualibet promissione elegerint, sine aliqua ambiguitate, vel contradictione more Canonico consecrare, & dum consecratus fuerit, Legati ad nos, vel ad nostros successores Reges Francorum dirigantur, qui inter nos, & illum amicitiam, & charitatem, ac pacem faciant.*

16 Nec est reticenda pia Imperatorum Ludouici, & Lotharij filialis exhibitio, obedientia, & subiectio erga summum Romanum Põtificem; ij enim in epist. ad Eugenium Papam anno 826; sic scribunt: *Sanctissimo, ac Reuerendissimo Domino & in Christo Patri Eugenio, summo Põtifici, & vniuersali Papæ Ludouicus, & Lotarius Imperatores, & Augusti, spirituales filij vestri, sempiternã in Domino nostro Iesu Christo salutẽ. Quia veraciter debitores esse cognouimus, vt is, quibus regimen Ecclesiarũ, & ouium Dominicarum cura commissa, in omnibus causis ad diuinum cultum pertinentibus opem atque auxilium, (en ministerialem Imperatorum potestatem) pro qualitate virium nostrarum, & intellectus nostri capacitate, feramus &c. Ideoque rogamus, vt Almitas vestra curam, & diligentiam hãbere dignetur, quo-*

modo

modo per vestram saluberrimam doctrinam, & admonitionem, magis ad concordiam, & vnitatem reuocetur, quàm propter hoc ad maiorem discordiam impellatur. Optamus Sanctam & Venerabilem, & piam Paternitatem vestram semper in Christo benè valere, & nostri, ac nostrorum omnium in Sacrosanctis orationibus meminisse Sanctissime, ac Beatissime Pater.

17 Lotharius Rex anno 868. in epist. ad *Adrianum* 2. Papam, suam filialem affectionem, & obedientiã erga Summum Pontificem Romanum testatus, suum desiderat habere conspectum, his verbis: *Quia Deus Omnipotens Princeps Pastorum in illa Sancta Sede vestri Pontificatus Apicem sublimauit, vestrum multipliciter desideramus conspectum.* Agnoscit ergo Lotarius Rex Summum Ecclesiæ Principatum, non in Rege Laico, sed in Romano Pontifice esse locatum.

18 Basilius Imperator Constantinopolitanus anno 870. in Concilio 8. Generali Act. 6. ait: *Neque enim vt Sanctissimus Patriarcha ad proprium regrederetur thronum, Imperij mei opus, vel excogitatio facta est:* (loquitur de restitutione Patriarchæ Constantinopolitani) *sed multùm ante Sanctissimus, ac Beatissimus Papa Nicolaus, quæ circa illum erant certissimè discens, Synodicè decreuit, reddi ei ius proprij throni, & anathema cum tota Sancta Romanorum Ecclesia pronunciauit contra resistentes huiusmodi decreto atque sententiæ. Hoc autem nos scientes, & pauentes iudicium anathematis promulgari, obsecundari Synodico iudicio Romanæ Ecclesiæ necessarium duximus, & huius rei gratia reddidimus ei proprium thronũ.* Timebat Imperator Iudicium anathematis Ecclesiæ Romanæ; an similiter timet Rex, & Parlamentum Angliæ? nihil minus. Quid mirum si tum Reges, si Parlamentum, si populus, tot in Religiones, ac studia in contraria scindantur?

19 Carolus Rex Franciæ anno 870. in epistola ad *Adrianum II.* Papam suam filialem obedientiam erga Sanctam Sedem & Pontificẽ, his verbis testatam reliquit: *Sanctissimo, ac Reuerendissimo Patri Adriano Summo Pontifici, & Vniuersali, Carolus Dei Gratia Rex, & spiritualis filius vester. Quia litteris ex nomine Sanctæ Paternitatis vestræ ab Arcardo venerabili Archiepiscopo nobis delatis, necessitate cogente prolixius respondere compulsi sumus &c. Quam responsionem Sancta Paternitas vestra non aspernantèr, sed benignè suscipiat, quæ à nobis non est contumaciter, sed mente pacifica contexta. Deus omnipotens ad honorem, & saluationem, atque exaltationem Sanctæ suæ Ecclesiæ vos per annorum curricula conseruare dignetur, Domine Sanctissime atque Reuerendissime Pater in Domino.*

20 Leo Imperator Constantinopolitanus anno 890. Principatum Ecclesiasticum agnouit in Summo Pontifice Romano, dum in sermone de S. Petro, ait: *Tu me sequere: hoc est, sequere me baculo Pastorali, & sicut ego, cùm eram vobiscum, seruabam vos, vt Pater vester, & Caput, ac Magister, vigilans pro vobis: sic & tu esto meo loco, & sequere me Principatu, ac potestate ista, fratres tuos confirmans. Te enim volo esse meo loco. Vnde manet vsque in hodiernum diem Petrus, sequens Christum in suo successore.* At non sic Angli, nolunt enim Pontificem Romanũ, neque Petrum neque Christum sequi in Ecclesiastico principatu, sed vel Hęrodem Regem, vel alios Principes laicos.

21 Anno 950. Otto 1. Imperator apud Gratian. dist. 63. cap. 33. in epist. ad Ioannem Papam, deuotionem, & obedientiam suam filialem erga Romanum Pontificem, his verbis testatus est: *Tibi Domino Papæ Ioanni ego Rex Otto promittere, & iurare faciò per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & per lignum*

hoc

Digitized by Google

hoc viuifice Crucis, & per has reliquias Sanctorum, quod, si, permittente Domino Romam venero, Sanctam Romanam Ecclesiã, & te Rectorem ipsius exaltabo secundùm posse meum: &c. & in Romana Vrbe nullum placitum, aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad te, aut ad Romanos pertinent sine tuo consilio: & quicquid de terra Sancti Petri ad nostram potestatem peruenerit, tibi reddam: & cuicumque Italicum Regnũ commisero, iurare faciam illum, vt adiutor tui sit, ad defendendam terram Sancti Petri secundùm suum posse. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

22 Hugo Rex Franciæ anno 990. epist. ad Ioannem Põtificem Romanum, sic scribit: *Gratianopolis Ciuitas in confinio Italiæ, & Galliæ sita est. At si nos, & nostra inuisere libet, summo cũ honore descendentem de Alpibus excipiemus, morantem ac redeuntem debitis obsequijs prosequemur. Hoc ex integro affectu dicimus, vt intelligatis, & cognoscatis, nos & nostros, vestra nolle declinare iudicia. Petimus itaque, vt Ioannis Archidiaconi legationem benignè suscipiatis, vt dum quod petit obtinuerit, nos in suo aduentu efficiat latos, & in vestro obsequio feruentissimos.*

23 Fridericus 1. Imperator anno 1150. in epist. ad Emanuelem Imperatorem Græcorum, Laicocephaliã mirificè prosternit; dum distinguit Romani Põtificis, Sacerdotij, & Ecclesiasticæ, potestatis dignitatem, ab Imperiali, Regia, & Laicali, quin & Impium Imperatorem Græcorum, ad obedientiam Summo Romano Pontifici præstandam, suo exemplo suadet, his verbis: *Sicut ille Rex Regum, à quo omnis potestas, Romanum Imperium Caput totius Orbis constituit: Ita etiam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum vnicam matrem, Dominam; & Magistram ordinauit: quod vtique duorum gladiorum numero figurauit, quos etiam sufficere perhibuit auctor fidei nostræ. Quapropter, tuam prudentiam commonemus, quatenus nobis & Romano Imperio honorem debitum impendas, & Summo Pontifici, quẽ nomine tenus Sanctum appellas, debitam obedientiam exibeas, & honorem.*

24 Ludouicus Rex Francorum, anno 1160. Epistola ad Alexandrũ Romanum Pontificem; sic, suam filialem obedientiam erga eundem testatus, scribit: *Domino suo, & Patri Sanctissimo Alexandro, Ludouicus Frãcorum Rex salutem, & debitam reuerentiam. Ab humanæ pietatis lege recedit filius, qui matrem deturpat, neque Creatoris beneficijs reminiscitur, qui de Sanctæ Sedi Apostolicæ illata turpitudine non contristatur: Verùm specialiùs est condolendum, & nouitatem doloris excitat inaudita nouitas crudelitatis; quoniam in Sanctum Dei consurgens malignitas, in pupillum Christi, gladiũ infixit, & lucernam Cantuarienſis Ecclesiæ, non tàm crudelitèr, quàm turpiter iugulauit. Excitetur ergo exquisita gens iustitiæ, denudetur gladius Petri in vultionem Cantuarienſis Martyris: quia sanguis eius clamat pro vniuersali Ecclesia, &c.* Clamat certè, & vsque modo clamat sanguis illius Iusti innocentèr effusus. Quid si Ludouicus Rex, vidisset à tempore Henrici 8. Angliæ Regis, deteriora?

Dolet Rex de occisione S. Thomæ Cantuarienſis, Regis Angli iussu secutæ.

25 Alexius Imperator Græcorũ anno 1200. epistola ad Innocentiũ 3. Papam, eum Patrem suum spiritualem appellat, cui & debitam obedientiam, & honorem exhibet, dum scribit: *Innocentio Sanctissimo Papæ Romano, honorem condecentem, vt Patri spirituali, & votum orationũ eius. Per prudentissimos Legatos tuæ Sanctitatis Albertum Subdiaconum, & Notarium Albertinum meo directum Imperio, tuæ Sanctitatis scriptum ei oblatum fuit, atque perlectum &c. Tuæ igitur Sanctitatis est, secundùm præcedentes Synodales operationes, pro requisitis dogmatibus Synodalem conuentionẽ fieri dispensare, & tua sic Sanctitate faci-*

faciente, Sanctissima, quæ apud nos est, Ecclesia ad conuentum tardabit.

26 Leo Rex *Armeniorum* anno 1200, in epist. ad eundem Innocentium 3. sic suam obedientiam erga Romanum Pontificem testatur: *Reuerendissimo in Christo Patri, & Domino Innocentio Dei gratia Summo Pontifici, & vniuersali Papæ, tanto ac tali honore dignissimo, Leo per eamdem & Romani Imperij gratiam Rex omnium Armenioram, cum salutatione, se ipsum, & quicquid potest. Gloria, laus, & honor omnipotenti Deo, qui vos tantum ac talem Pastorem Ecclesiæ suæ præesse voluit, vestris bonis meritis exigentibus, & tàm fructuosam, & firmam fabricam super fundamentum Apostolorum componere, & tantum lumen, super candelabrum positum, toti Orbi terrarum ad salutem totius Christianitatis effundere dignatus est. In vestri verò luminis gratia salutaribus monitis Reuerendissimi Patris Archiepiscopi Moguntini instructi, & informati, omne Regnum à Deo nobis commissum, amplissimum, & spatiosum, & omnes Armenos huc illuc in remotis partibus diffusos, ad vnitatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diuina inspirante clementia reuocare cupimus, & optamus.*

27 Anno 1220. Suam etiam subiectionem, & obedientiam filialē, Reginaldus Rex Insularum, in epistola ad Honorium 3. his præclarissimis verbis expressit: *Beatissimo Patri Honorio Dei gratia Summo Pōtifici, Reginaldus Rex Insularum commendationem cum osculo pedum* &c.

28 Fridericus 2. Imperator in Constitutionibus de statutis, & consuetudinibus &c. de manu Patris sui Romani Pontificis gloriatur se accepisse coronam: *In die, qua de manu Sacratissimi Patris nostri Honorij Tertij Pontificis recepimus Imperij diadema &c.*

29 Non defuit anno 1266. Carolus Rex Siciliæ suam obedientiam, & subiectionem erga Christi Domini nostri Vicarium, *Summum Romanum Pontificem* declarare in epist. ad Clementem 4. his verbis: *Sanctissimo in Christo Patrī, ac Domino suo, Domino Clementi diuina prouidentia Sacrosanctæ, & Vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Carolus Dei gratia Rex Siciliæ, cum omni reuerentia, & honore, post pedum oscula beatorum.*

30 Sanctus Ludouicus Rex Franciæ 1270. antequam Sanctissimam animam in manu Domini efflaret, filio suo Philippo, quædam salubria documenta scripta reliquit, vt testatur Guilielmus Nangius lib. de gestis eiusdem S. Ludouici, inter quæ illud maximum legitur: *Sis deuotus, & obediens Matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, & Summo Pontifici tamquam Patri Spirituali.*

31 Michael Palæologus Imperator Græcorum, anno 1274. in epistola ad Gregorium X. Romanum Pontificem subiectionem, & obedientiam, tanquam filius Patri spirituali eidem Pontifici exhibet, his verbis: *Sāctissimo, ac Beatissimo Patri, & Summo Pontifici, Apostolicæ Sedis vniuersali Papæ, & communi Principi Christianorum omnium, venerabili Patri Imperij nostri Domino Gregorio, Michael à Christo Deo fidelitèr Rex & Imperator, & moderator Græcorum, Ducas Angelus Comnenus Palæologus, & spiritualis filius magnæ Sanctitatis vestræ, decentem honorem & reuerentiam, cum syncera, & pura affectione, & omni postulatione.*

32 Andronicus Imperator Græcorum anno 1320. Epistola quæ extat Græcè in Bibliotecha Palatina, de Supremo Ecclesiæ, & Pontificis Romani Primatu super omnē Ecclesiam Orbis terrarum, ac de eiusdem inerrabilī iudicio in causis fidei, sequens testimonium tulit: *Hæc Sacrosancta Romana Ecclesia, supremum absolutumque Principatum potestatemque super vniuersam Catholicam*

Digitized by Google

licam Ecclesiam habet. Quam quidem potestatem in se ipsa iure & humilitèr agnoscit esse, atque accepisse cum plena auctoritate ab ipso Domino in Beato Petro Apostolorum Principe, ac Vertice, cuius Romanus Pontifex est successor. Et quemadmodum præter alias Ecclesias habet potestatem de fide iudicandi; sic & quæ de fide suborta fuerint quæstiones, huius iudicio dissoluendæ sunt. Ad hanc vnusquisque vexatus prouocare potest, & in omnibus causis, quæ ad examen Ecclesiasticum spectãt, ad huius iudicium potest quisque recurrere. Et huic omnes Ecclesiæ sunt subiectæ. Iniustè ergo Angli Laicocephali, ad Regem causas Ecclesiasticas deferunt, & Anglicanam Ecclesiam à iurisdictione Romani Pōtificis eximunt.

33 Henricus Dux Heluiæ, & vt ait, hæres Regni Poloniæ anno 1324. in Epistola ad Ioannẽ XXII. Papam, testatur suam obedientiam filialem erga ipsum Summum Pontificem, post pedum oscula, dum ait: *Sanctissimo in Christo Patri, ac Domino suo Reuerendo Ioanni Dei prouidentia Summo Pontifici, Henricus Dux Heluiæ, hæres Regni Poloniæ, Dux Glocentiæ, cum recommendatis ipsius pedum oscula beatorum.*

34 Vdalislaus Rex Poloniæ anno 1327. in epistola ad eumdem Ioannem XXII. Pontificem, ait: *Sanctissimo Domino Ioanni, Vladislaus Rex deuotus filius, ad pedum oscula beatorum.*

35 Ladislaus Rex Hungariæ, & Bohemiæ anno 1452. Oratione habita Romæ ad Nicolaum Quintum Pontificem Romanum, quæ extat apud Cochlæum histor. Hussitarum lib. 11. sic ait: *Cùm animaduerto, Beatissime Maxime Pontifex, me apud inclitos pedes Sanctitatis tuæ constitutum, quæ inter mortales, Dei omnipotentis vicem gerit, coram hoc Sacratissimo Senatu, ad quem illustrissima totius mundi sydera, atque homines doctrina, & Sanctitate lectissimi conuenerunt: non iniuria equidèm, in tanta rei magnitudine subsistens, vnde initium summam orationis, quibus verbis te vnicũ Christianorum Principem, tè Regum Regem, atque in terris Deum odorem, non facile constituere possum. Te namque Beatissime Pater, non sine ratione Beatissimum appellamus, quem admiranda probitatis omniumque virtutum merita, incorrupta vitæ integritas, ad hanc Eminentissimam Sedem iure optimo extulerunt.* Eant nunc Angli cum sua Laicocephalia, & constituant sibi laicum Caput, relicto Vnico Christianorum Principe, à Domino nostro Iesu Christo instituto; qui, vt ait Ladislaus, & ipse Rex potentissimus, est Rex Regum, & Pater Spiritualis omniũ Imperatorum, & Regum terræ.

36 Sed & Potentissimus Ludouicus Rex Galliæ anno 1464. mirabili pietate, ac religione obedientiam filialem, & omnem subiectionem Romano Pontifici exhibet, eique soli causarum Ecclesiasticarum & fidei, iurè iudicium tribuit in epistola ad Pium II. Romanum Pontificem, dum scribit: *Beatissimo Patri nostro Pio Papæ secundo obedientiam filialem. Te Vicarium Dei Viuentis ea veneratione prosequimur, vt sacra, præsertim in Ecclesiasticis rebus, tua monita, velut vocem pastoris audire, illisque parere prompta mente velimus. Te Principem totius Ecclesiæ Antistitem Sacrorum, te Dominici gregis Pastorem profitemur, & scimus, teque iubentem sequimur, tibi & Beatissimi Petri, Cathedræ consentimus. Itaque sicut mandasti, pragmaticam sanctionem (tuæ Sedi infensam, vtpote quæ Schismatis tempore, atque per seditionem mota sit) à Regno nostro, nostroque Viennensi Delphinatu, & omni ditione nostra per præsentes pellimus, deijcimus, stirpitusque abrogamus.*

37 Sigismundus inuictissimus Rex Poloniæ anno 1513. in Epistola

Digitized by Google

ad Concilium Lateranense, pro tuenda Sanctæ Romanæ Ecclesię vnitate, ac Catholica fide, suum potentissimum ministeriũ spõdet; quin, & omnẽ obedientiã Summo Pontifici Iulio Papæ huius nominis secundo, pollicetur, his verbis: *Posteaquam accepimus Iulium 2; diuina prouidentia Romanæ Vniuersalis Ecclesiæ Summum Pontificem, pro defendenda Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vnitate, & Sanctissima expeditione contra Catholicæ fidei, & Crucis Iesu Christi hostes suscipienda, Concilium Generale in Laterano indixisse, memores officij, ac debiti nostri, quo eidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Matri nostræ sumus adstricti, pro cuius honore, & tranquillo statu omnes vires nostras effundere semper parati sumus, Ioannem Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis Archiepiscopum, & Stanislaum de Osterog Equitem Auratum designauimus, & designamus Oratores nostros, dantes illis potestatem coram Sanctitate Leonis X. Papa comparendi, ibidemque obedientiam iuxta Maiorum meorum consuetudinem præstandi, & recognoscendi eundem esse verum, vnicum, & indubitatum Pontificem, & Dominici gregis Pastorem.* Iniustè ergò Reges Angli, sibi malè firmum Primatum; &, vt ita dicam, Pastoratum Ecclesiasticum vsurparunt; sed iniustiùs, & contra omnem æquitatem, Angli secuuntur vocem alienorum, Regisque Laici, repudiato legitimo Pastore, Christi Vicario, cui debitum honorem, ac obedientiam exhibent omnes Christiani Reges terræ. *Væ mundo à scandalis.*

38 Dauid Rex Æthiopiæ anno 1524. in Epist. ad Ioãnem Regẽ Portugalliæ, Legatum mittere se dicit ad Romanũ Pontificem, ad præstãdam eidem obedientiam; *Mitto* (ait) *ad Papam Romanum Franciscum Aluarez, qui meo nomine præstet obedientiã.* Et rursus, in epistola 1. ad Pontificẽ Romanum idem Rex, testatus eiusdẽ Romani Pontificis Primatum, mira eidem defert obsequia, & obedientiam illi spondet, his verbis: *Pax tibi sit, iuste Domine, Pater Sancte, potens, pure, sacrate, qui es Caput Pontificum omnium, & neminem metuis; cum nemo tibi possit maledicere, &c. O Felix Sancte Pater, ego tibi reuerenter obedio, cum sis Pax omnium, & cuncta bona merearis, & ita æquũ est, vt omnes tibi obedientiam præstent sicuti Sancti Apostoli præcipiunt apud Deum.* Et iterum epistola 2. ad eumdem Pontificem, obedientiam per Legatum prædictum exhibens, inquit: *Felix Sancte Pater, qui à Deo effectus es gentium consecrator, & Sancti Petri Sedem obtines, tibi data sunt claues Regni Cælorum &c. Mitto ad deosculandos pedes sanctitatis vestræ, more cæterorum Christianæ fidei Regum fratrum meorum &c. Cupio ingenti desiderio consequi Sacrosanctam benedictionem à Vicario Domini nostri Iesu Christi: nam proculdubio Sãctitas vestra Dei est Vicarius. Exosculor autem pedes Sanctos, & supplex oro, vt benedictionem mittat.*

39 Anno 1530. Inuictissimus, & gloriosissimus Carolus V. Imperator in edicto Vuormatiensi, quantũ potest, & possidet, omnia exhibet, pro tuenda Religione Catholica, & Romanæ Sedis dignitate; his verbis: *Ad honorem Dei Omnipotentis, Romanique Pontificis, & Sanctæ Sedis Apostolicæ debitam reuerentiam, pro Imperialis dignitatis officio debito, nec non zelo, & studio quo nostrorum maiorum more, & ingenita etiam nobis vi, ad defensionem etiam Catholicæ fidei, Sanctæque Romanæ, & Vniuersalis Ecclesiæ honorem, tutelam, & protectionem omnes nostras vires, & facultates, Imperium, Regna, Dominium, vitam denique & animam ipsam exponere parati sumus.* Hæc est Potentissimi, & Catholicissimi Imperatoris exhibitio, in obsequium sui Patris spiritualis Romani Pontificis, & Ecclesiæ, ac Fidei Catholicæ; quæ, quantum distet à vanida Laicorum Regum,

Ec-

Digitized by Google

Ecclesiasticum Primatum ambientium, superbia; eruditi *Angli* protestantis vel Puritani iudicium esto.

40 Claudius Imperator Æthiopum anno 1549. Suam obedientiam erga Romanum Pontificem testatur, in recipiendo, & inthronizando Ioanne Episcopo, ab ipso met Papa Paulo III. ad eius Imperiū missō, his verbis: *Nūtius missus à Rege Aznaf Sagad Claudio, directus ad Principem Patrum Romæ, honoratæ Sedis Petri, qui nunc es tuò Paule, Pater noster. Pax tibi, pax Trinitatis sit tecum. Amen. Audi Pater noster: quem nobis in Patrem dedisti Ioannem Consecratum, posuimus in Sede Pontificia. Benedicam etiam tibi Pater duplici benedictione paterna in filium, secundùm benedictionem Abraham, Isaac, & Iacob. Audi nos Pater noster Paule, Princeps Patrum Romæ, cui subijciuntur septem Reges Christianorum, obliuiscitur ne consanguineus sanguinis sui?*

41 Franciscus Rex Bungi in Iaponia anno 1582. per sequentem epistolam, suam obedientiam erga Romanum Pontificem Gregorium XIII. protestatus, scripsit: *Summi Dei Auxilio suppliciter implorato, magna cum humilitate ad Sanctitatem vestrā scribere aggredior. Dominum cæli terræque cuius Imperium super Solem, Lunam, & Stellas ignoranti mihi, & profundis immerso tenebris, claritatis suæ lumen iussit splendescere, ac nostratibus præcipuæ populis reserans arcam suæ misericordiæ atque gemmarum, dignatus est ante annos amplius quatuor, & triginta, destinare in hæc Iaponis Regna Patres è Societate Iesu: quoniam è salutari, & diuina mente nonnihil in meum quoque Dei benignitate cecidit pectus. Quod tam insigne beneficium, aliaque multa, ò Sanctissime totius Christiani populi Parens, vestræ potissimum precationi meritisque accepta equidē refero. Ac proinde, nisi me bella, senium, & affecta valetudo impedirent, conferrem me ipse ad visenda, ac veneranda sacratissima isthæc loca, ac simul obedientiam exhibens, pedes vestræ Sanctitatis, post pia ipsorum oscula, capiti meo superimponerem, & sanctissima vestra manu pectus meum signo Crucis muniendum curarem. Sed quoniam ijs, quas dixi, causis impedior, sororis meæ filium D. Hieronymum Regis Fiungæ filium cogitabam legare pro me: verùm quando is in præsenti longè abest, & Patris Visitatoris instat profectio, D. Mancium, eius consobrinum, eodem nomine mittere visum est: à vestra Sanctitate magni beneficij accipiā loco, si pro ea, qua fungitur Dei in terris vice, me & Christianum hunc gregem, uti facit, fouere & adiuuare perrexerit.*

42 Barptolomęus Princeps Omuranorum epist. ad Gregorium XIII. Pontificem Romanum, de sua ad Catholicam fidem conuersione, deque debita sua filiali obedientia, ac subiectione erga illum, hæc scribit: *Vereor ne crimen audaciæ subeam, attamen cum Regis cœlorum gratia rudem hanc epistolam offero Sanctitati vestræ, quæ cum in terris locum obtineat Dei, ac simul ex ipsius doctrina, & magisterio Christianus populus pendeat vniuersus, æquum sanè fuerat, memet maria trasmittere; ipsumque ad vestram Sanctitatem inuisendam venire, sacrosque eius pedes post pia illorum oscula super meum caput imponere: sed quo minus hoc fungar officio, multæ me hoc tempore prohibent causæ, &c.*

43 Sigismundus III. Rex Poloniæ potentissimus, anno 1590. in epistola ad Sixtum V. (quæ extat apud Seuerinum Cracouiensem de Canonizatione S. Hyacinti) Catholicam suam pietatem; & erga Romanū Pontificem obedientiā sequētibus verbis expressit: *Sanctissimo, ac Beatissimo Patri, ac Domino Sixto diuina prouidentia Papæ Quinto, Sacrosanctæ Romanæ, & Vniuersalis Ecclesiæ Pontifici maximo Domino Clementissimo. Sanctissime, ac Beatissime in*

Christo Pater, & Domine Clementissime, post oscula pedum beatorum, mei, regnique, & Dominorum meorum diligentem commendationem; Quod Sereniſſimos Poloniæ Reges prædeceſſores meos, iam inde à multo tempore à Dominis Sanctitatis veſtræ prædeceſſoribus Pontificibus Maximis, ſummo ſtudio petiſſe intellexi, idem ego peto, &c.

44 Ex dictis igitur conſtat, nunquam Chriſtianos Reges, & Imperatores, Eccleſiaſticum ſibi arrogaſſe Primatum; quin, & ab initio vſque nunc & ſemper ſe, Romano Pontifici tamquam filij ſpirituales, ſubieciſſe, eique debitum honorem, tamquam Chriſti in terris Vicario, detuliſſe.

45 *Addiſcant* igitur ab his Catholicis, potentiſſimis, prudentiſſimisque Regibus, & Imperatoribus, Rex Sereniſſimus *Angliæ*, & ſui generoſiſſimi Optimates, vna cum prudentiſſimo populo, Laicocephaliam quam ſtatuunt, merum eſſe cōmentum, effrenemque ſuperbiam; quin, & obedientiæ Romano Pontifici debitæ frœnifragium, qua poſſet effrœnatè Henricus Rex, abrupto omnis pudoris repagulo, in omnem libidinis licentiam ſuo modo proripere. *Addiſcant*, inquam, à prærecenſitis Imperatoribus *Angli* Reges, ſibi non vſurpare contra ius, & fas Primatum, ſed feſtinent ſe, ſuoſque Populos à Deo, ab Eccleſia, à Romano Pontifice Chriſti Domini, & Saluatoris noſtri Vicario diſſitos, legitimo, (vt vita viuant ſpirituali) vnire Capiti, ac Eccleſiæ Romano-catholicæ, & *Apoſtolicæ* per verā fidem incorporare. Recogitet Sereniſſimus *Rex* Angliæ, recogitent *Puritani*, Proteſtantes, *Brouniſtæ*, & quotquot id generis homines *Angliam* incolunt, hactenus recenſitos Reges, ac Imperatores *Auguſtiſſimos*, haud fuiſſe fatuos, vel murionēs de triuio, ſed prudentiſſimos, piiſſimos, omnique eccellentiori virtute ornatos; qui tamen, nihil ſibi de Eccleſiaſtica, & ſpirituali poteſtate arrogantes, ſemper Romano Pontifici debitum honorem, debitamque reuerentiam, & obedientiam filialem exhibuere: & tunc penitiùs ſe ipſos luſtrantes cognoſcent, ſe, à via veritatis aberraſſe.

46 Sed iam tandem tempus eſt, ſæuitum ſatis eſt Nobiliſſimi *Angli*, Sereniſſime Rex: redite tandem prēuaricatores ad cor: En Sancta Mater Eccleſia paret vbera, venite ſuggite veræ doctrinæ lac: En Pater noſter Ieſus Chriſtus Crucifixus, ſui cōfoſſi corporis porrigit vulnera, venite dealbate ſtolam animæ veſtræ, & candidam eam facite in ſanguine Agni: En Viſibilis Chriſti Vicarius, miſericordiſſimus, & amantiſſimus Patrum Pater expandit bracchia, & certè venientibus de longinquo filijs, feſtinus accurret, ſuperque collum redeuntium, præ letitia corruet, feſtinatiſſimeque in Eccleſiæ ſuæ domum cum gaudio recipiet. Eia tandem à Diaboli laqueis reſipiſcite captiui, venite in libertatem, non à Luthero, non à Caluino, & ſimilibus impoſtoribus, ſed à Deo Patre noſtro filijs ſuis repromiſſam. Expergiſcimini, qui factioſorum nebulonum cantilenis, iam diu in infidelitate dormitis. Cogitate, quia agitur de Eternitate ſalutis vel pœnæ fidelibus vel infidelibus, credentibus vel incredulis repromiſſæ. *Domine exaudi orationem meam.*

47 Quod ſi Sereniſſimum Regem *Angliæ* non mouent exterorum Regum, & Imperatorum exēpla, ſuorum tamen Regum anteceſſorum, & conſanguineorū exempla non deſunt; quæ ſequenti Conſideratione eidē Sereniſſimo Regi exponimus perpēdenda.

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO I.

AD SERENISSIMVM REGEM ANGLIÆ.

SERENISSIME REX ANGLIÆ, SCOTIÆ &c.

1 OMni qua decet demissione tuam Clementiam deprecor, vt ab his, quæ breuiter Maiestati tuæ considerandæ propono, faciem, Serenissimosque oculos ne amoue; Nihil hic controuersum, nihil maledicum, nihil fucatum, quod legentem intricet, offendat, fallat; Omnia hic *Anglicana*, omnia *Regia*, omnia tuam gloriam personant; non alio à me fine, intentione, & animo scripta, quàm vt laudatissimis Maiorum tuorum (nemini, suorum ingrata memoria) vestigijs insistens, cum immortali *Regum Rege*, æternum, post euanidam huius vitæ gloriam, Principatum geras. Hoc, inquam, præsentibus vehementer exopto, voueo, ac *Deum* precor, qui Maiestatem tuam in genere humano præ tot millenis millibus nobilitauit, præ tot nobilibus illustrauit, præ tot illustribus sublimauit.

2 Non dubito nouisti, & tuos recognoscis Maiores, veteres scilicet *Angliæ*, & Scotiæ *Reges*, qui, eò iugiter grata abs te sunt memoria recolendi, quò splendorem, & honorem ab ijs te accepisse gloriaris. Ab his disce Rex prudentissime viam quæ ducit ad vitam, ab his rectam Fidem, Religionem saluificam, verumque *Deum* colendi modum addisce: Hi progenitores, hi consanguinei tui, hi præcessores in sceptro, ob salutem animæ tuæ indicabunt irreprehensibilis doctrinæ veritatem. Non enim aliquis suspectus hoc tempore Minister, aut Concionator, sed hi ipsi, fœlicissimæ recordationis, Maiores, & consanguinei tui, antiqui *Reges*, & Principes summè sapiẽtes, insigniter pij, imò & multi Sancti, & ad miraculum vsque casti sunt tibi Duces per viam iustitiæ, per semitas æquitatis, vt tandem ad *Patriam* deuenias sempiternam. Nec via, vel cœlo errabis, horum sequens vestigia. Suggerit & tibi hoc Consilium Deus, per os Hieremiæ 6. v. 16. *Hæc dicit Dominus: State super vias, & videte, & interrogate de semitis Antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus vestris.* Horum igitur sectare vestigia Clementissime, si velis cum eis in æterna gloria perpetuò gaudere; sin minus, nolo ominosis æternæ infelicitatis præsagijs, tibi molestus fieri.

3 Non hic mihi mens est, & animus, Serenissime Rex, ex *Anglorum*, & Scotorum Heroibus, Maioribus tuis, in scenam producere Principes belli pacisuè laudibus claros, animi magnitudine, & constãtia inuictos, rara sapientia præditos, quales fuisse quàmplurimos, satis terrarum Orbi constat: sed hoc delectat dicere, quod præsenti loco spero futurum vtile, nec auribus ingratum; nempè Maiores tuos, quorum vel sanguine propagatus es, vel in Regnis *Anglię*, & Scotiæ solio sceptroque successisti, sinceros extitisse Catholicæ fidei cultores, Apostolicæque Romanæ Ecclesiæ Matris, in visceribus Iesu Christi dilectissimos filios.

4 Ac sumo huius narrationis exordium, non ab extraneis, sed ab Anglo Scriptore toti Orbi peruenerabili Beda, qui in tuæ, suæque gentis historia lib. 2. cap. 1. hæc scribit: *Beatus Papa Gregorius, cùm primùm in*

toto

Digitized by Google

toto Orbe gereret Pontificatum, *& conuersis iam dudum ad fidem veritatis gentibus, esset Prælatus Ecclesijs, Anglorum gentem eatenus Idolis mancipatã, Christi fecit Ecclesiam.* Quòd si fortè Sereniſſime Rex, Bedæ venerabilis teſtimonium faſtidias, accipe tuum Superintendentem Linconienſem Cooperum qui in ſuo Chronico, rẽ hanc teſtatam facit fol. 146. vbi ait: *Hæc Anglorum conuerſio facta eſt anno Domini* 599. Confirmat hoc Foxius Proteſtans in *Actis*, & Monum. impreſſ. 1576. pag. 117. *A.* prope finem, his verbis: *Anglorum gens Euangelizante Auguſtino, à Prophanis Ethnica infidelitatis erroribus, ad Chriſtianæ fidei veritatem conuerſa eſt.*

5 Et tunc Sereniſſime Rex, Beatus iſte Auguſtinus, qui à Sancto Gregorio Papa *Angliam* miſſus, Euangelium, & fidem Catholicam, & *Apoſtolicam* propagauit, primũ de eadem fidei veritate Edelbertũ *Anglorũ* Regem imbuit, qui ea ſuſcepta, prædictum Auguſtinũ omni qua potuit opera adiuuit pro fide Catholica in ſuo nobiliſſimo Regno propaganda. Nolo hic, Serenitati tuæ, in huius hiſtoriæ conteſtationem; Pontificiorum teſtimonia exponere, ſint teſtes aduerſarij noſtri, Miniſtri tui; rem narret Ioannes Balæus in Actis Rom. Pontif. impreſſ. Baſileæ anno 1558. Centuria 1. fol. 3. vbi ait: *Auguſtinus à Gregorio miſſus, Angloſaxones fide Papiſtica imbuẽdos curauit: Et Edelbertus Rex maximè eum adiuuit, qui anno 21. poſt ſuſceptũ Papiſmum mortuus eſt.* Igitur, per ſpatium plus viginti annorum, bonus iſte Rex, adiuuando *Auguſtinũ Anglorum* Apoſtolum, fidem Romano Catholicam in ſuo Regno propagari curauit; quæ, quantùm ibi fuerit ampliata, iam hic lib. 1. de Eccleſiæ Romanæ amplitudine quo ad loca, & perſonas, ſatis expoſuimus.

6 Sequitur eadem Centuria 6. Oſuui Scoti, & Egeberti Cantuariorum Regis pietas, & erga Romanã, & *Apoſtolicam* Religionem obſeruantia; imò, & debita Romano Pontifici obedientia. Rem narrat Beda, Venerabilis *Anglus* in hiſt. *Anglicana* lib. 3. cap. 29. *Oſuui, (ait) quamuis educatus à Scotis, intellexerat veraciter, quia Romana eſſet Catholica, & Apoſtolica Eccleſia; vnde, tam ipſe, quã Egebertus Cantuariorum Rex Vuigardum Romam miſerunt, vt accepto gradu Archiepiſcopatus, Catholicis Anglorum Ecclesijs ordinare poſſet Antiſtites.* En Sereniſſime Rex, Reges prædeceſſores tui, non niſi Romanam, & *Apoſtolicam* Religionem, quam Gregorius Romanus Pontifex, per *Auguſtinum*, in ea regione plantauerat, retinuerunt; Epiſcopoſque, nõ niſi à Romano Pontifice ordinatos, ſuſceperunt; quod, quantum diſtet à Religione quá colis, ipſe recogita.

7 Sed & ipſemet Beda eodem lib. 3. cap. 25. rem notata dignam, de eodem Oſuuo Rege narrauerat: Cùm enim de Paſchæ obſeruatione inter Colmannum Scotiæ Epiſcopum, & Vuilfridum, & *Agathonem* præsbyteris eſſet exorta cõtentio: illo, traditionẽ Ioannis; hoc autẽ, B. Petri, & Pauli doctrinam vrgẽte; *Vuilfridus dixit: Si tu Colmanne, & ſocij tui audita decreta Sedis Apoſtolicæ, immò vniuerſalis Eccleſiæ, & hæc Sacris literis confirmata, ſequi contemnitis; abſque vlla dubietate peccatis &c. Hæc perorante Vuilfrido, dixit Oſuui Rex: An vtrique veſtrum in hoc conſentiunt, quòd hæc principaliter Petro dicta, tu es Petrus & ſuper hanc petram &c. & Claues Regni Cælorum ſint datæ à Domino? Reſponderunt, Etiam, vtrique. At ille ita concluſit: Et ego vobis dico, quia hic eſt Oſtiarius ille, cui ego contradicere nolo, ſed in quantum noui vel valeo, huius cupio in omnibus obedire ſtatutis, ne fortè me aduenientе ad fores Regni cælorum, non ſit qui reſerat, auerſo illo, qui claues tenere probatur.*

Digitized by Google

batur. Cupit pius Rex Romani Pontificis, Petri Successoris, in omnibus obedire statutis, ne fortè ei ad Regnum Cœlorum prohibeatur introitus. Quæ igitur spes tibi Serenissime Rex, pro æterna animæ tuæ salute supereſſe cogitas; quæ tuis *Anglis* de sua salute spes supereſt, si statutis Petri, & Successorum eius obedire nolitis? ipse Serenissime seriò recogita, agitur de æternitate, cuius sententia bis nunquam redit.

8 Post hos, ante annum septincentesimum quatragesimum, mira in generosissimis Angliæ Regum pectoribus creuit pietas, miraque Religio & obedientia erga Romanum Pontificem, & Sedem Apostolicam; nam, & Ina Angliæ Rex, Regnum suum Romano Pontifici vectigal fecit, cuius exemplum secutus Offa item *Angliæ* Rex, idem præstitit; sed & Rex Aculphus suorum prædecessorum pietatem, & erga Romanam Sedem deuotionem superans, tributum prædictum auxisse fertur: Rē totam seriatim, Serenissime Rex, ex Polidoro Virgilio, qui diu *Angliam* incoluit, & ibi denarij Sancti Petri Quæsturam exercuit, enarratam habemus; is, lib. 4. histor. Angliæ, ait: *Officia Regis, (*loquitur de Ina*) pietatis plena; infinita panduntur, quòd Regnum suum Romani Pontificis vectigal fecerit, singulis argenteis nummis, quos denarios vocant in singulas domos impositis: fecit idem eius exemplo, qui non multò post id tempus regnauit Offa, fuit is annus salutis circiter* 740. *Hoc vectigal, prout quidam scribunt, auxit postea Aculphus Rex, qui vt proximo libro demonstrabitur, totius ferè Insulæ Imperium tenuit.* Hæc de pietate, munificentia, & Religione Regum Angliæ Polidorus. *An* post Henricū 8. rectè factum sit, nedum denegando tributum à priscis *Angliæ* Regibus constitutum, & tot annorum vsu approbatum; sed, & expilando, & spoliando Ecclesias tùm Sacris ornamentis, argenteisque vtensilibus; tùm bonis, & redditibus, priscorum *Anglorum* pietate Ecclesiæ collatis, contra priscorum Regum *Angliæ* statutis? cæcus est qui non videt erratum.

9 Summam Cedoaldi Regis Anglorum pietatem erga *Romanam* Religionem, & *Apostolicam* Sedem puto tibi esse perspectam, Serenissime Rex, ex Paulo *Diacono* antiquo Scriptore, qui vixit anno circiter 770. is namque, lib. 6. de gestis Lōgobardorum cap. 4. al. 15. hæc de Rege *Anglo* præfato narrat: *Cedoaldus Rex Anglorum ad Christum conuersus, Romam properauit, vbi à Papa Sergio baptizatus, ad cælum transyt, hoc epitaphio in tumulo inscripto:*

Culmen, opes, sobolem pollentia regna, triumphos,
Armipotens Cedoal liquit amore Dei,
Vt Petrum, sedemque Petri, Rex cerneret hospes,
Cuius fonte sacras sumeret albus aquas.

10 Non absimili pietate, Kenulphus Rex Merciorum apud *Anglos*, anno 800. Summum Romanum Pontificem veneratus, aurem obedientiæ humiliter eius iussionibus inclinauit, dum in epist. ad Leonem Tertium Papam, sic scribit: *Vnde meritò omnis per Orbem exultat Ecclesia: quia cum omnium verus remunerator bonorum, glorioſissimum gregis sui Pastorem Adrianum perpetuò remunerandum super æthera duxisset, suis tamen ouibus pia erexit prouidentia præsulem, qui scit ouile Dominicum ad caulas non inferius agitare. Hos quoque meritò, quos extremitas Orbis tenet, eodem modo præcæteris gloriamur: quia illius sublimitas, nostra salus est; illius proceritas nobis perennis exultatio: quia vnde tibi Apostolica dignitas, inde nobis fidei veritas innotuit. Quapropter, opportunum arbitror tuis sanctis*

Digitized by Google

ctis iussionibus aurem obedientiæ nostræ humiliter inclinari, & quæ tuæ pietati ritè nobis sequenda videantur, toto nisu implenda: quæ verò rationi contraria deprehensa fuerint, citius declinanda, ac interim nobis omnimodè resecanda. Sed modo ego Kenulphus gratia Dei Rex Excellentiam tuam humilis exoro, vt te sine offentione animi vestri de profectu vestro, vt optamus, liceat alloqui, quatenus in gremium me pietatis tuæ tranquilla pace percipias, & quem meritorum nulla facultas erigit, larga benedictionis tuæ vbertas, ad plebem suam regendam locupletet, &c. Hanc benedictionem omnes, qui ante me sceptro præfuerunt, merucrunt ab antecessoribus tuis adipisci. Hanc ipse humilis peto, & à vobis ò Sanctissime, impetrare cupio, quatenus imprimis adoptionis sorte me tibi filium suscipias, sicuti te mihi patris persona diligo, & totis obedientiæ viribus semper amplector. O si Regis huius Catholici pietatem recogitassent Reges Angli huius seculi, quantùm à pijs moribus huius Regis se intelligerent alienos!

11 Extat, & Eduardi item Regis Angliæ epistola, ad Romanum Pontificem Nicolaum II; in qua, suam obedientiam, obsequium, subiectionem, & reuerentiam erga Romanum Pontificem, hac verborum maiestate declarat: *Summo Vniuersali Ecclesiæ Patri Nicolao Eduardus gratia Dei Anglorum Rex debitam, & subiectionem, & obedientiã. Glorificamus Deum, quia curam habet suæ dilectæ Ecclesiæ, quoniam in locum boni prædecessoris, vos optimum successorem constituit. Quapropter iustum iudicauimus apud vos, velut ad solidam Petram, acuere, & probare omnes bonas actiones nostras, & vestram notitiam, & societatem in bono habere, quatenus eas donationes, & priuilegia, quæ obtinuimus apud prædecessorem vestrum, renouetis, atque augeatis nobis, videlicet, vt quod ille iniunxerat nobis sub nomine obedientiæ, & pœnitentiæ, propter votum, quòd voueram ire Romam, & in remissionem omnium peccatorum meorum cõstruere Cœnobium Monachorum in honore Apostoli Petri, notum faciatis, & priuilegia possessionum, & dignitatum eiusdem loci cõfirmetis, renouetis, & decernatis. Ego quoque pro modulo meo augeo, & confirmo donationes, & consuetudines pecuniarum, quas habet Sãctus Petrus in Anglia, & ipsas pecunias collectas cum regalibus donis mitto vobis, vt oretis pro me, & pace regni mei, & continuam, & solemnem memoriam instituatis totius gentis Angliæ coram corporibus Sanctorum Apostolorum.* Quid in hac Regis epistola, quod vos non redarguat, quod vestrum commentitium Primatum non exsibilet, ac damnet Angli prudẽtissimi? Habetis Reges vestros quos sequamini, sine erroris censura.

12 Sequitur anno 1190. & glorioſissimus Rex Angliæ Henricus II. qui, in epistola sua ad Alexandrum 3. Romanum Pontificem transmissa, (vt recenset Petrus Blesensis epist. 136.) suam obedientiam in omnibus, Pontifici spondet, his verbis: *Vestræ magnitudini promitto, me vestræ dispositioni in omnibus pariturũ*: Et addit: *Deus extulit vos in eminentiam officij Pastoralis, ad dandam scientiam salutis plebi eius*. Contra omne ius, etiam tui Regis decessoris testimonio, eminentiam officij, & Primatus Pastoralis vsurpans, & de Ecclesiasticis Ecclesiasticorumque; ac fidei causis iudicas; cùm (ò Rex) Deus nõ te, nõ tuos prædecessores, non tuos successores Angliæ Reges, sed solũ Romanum Pontificem extulerit in Eminentiam Pastoralis officij, ad dandam scientiam salutis populo suo. Sed ibi subdit: Henricus: *Vestræ iurisdictionis est Regnum Angliæ, & quantum ad feudatarij iuris obligationem, vobis dumtaxat obnoxius teneor, & obstringor.*

13 Accinit viro suo, Generosissima vxor Heleonora Angliæ Regina, Henri-

Digitized by Google

Henrico II. præfato matrimonio iuncta, quæ auitam Maiorum fidē altissimè retinens, in Epistola ad Cælestinum Papam, que extat inter epist. Petri Blessensis 144. suam erga ipsum obedientiam, & pietatem testata, scripsit: *Gentes diuulsæ, populi lacerati, prouinciæ desolatæ, & generaliter tota occidentalis Ecclesia confecta lamentis, in spiritu contrito, & humiliato supplicant vobis, quem constituit Deus super gentes, & Regna in omni plenitudine potestatis. Afflictorum quæso clamor introeat in aures vestras: calamitates enim nostræ, multiplicatæ sunt super numerum, nec ita dissimulare potestis citra criminis notam, cùm sis Vicarius Crucifixi, Successor Petri, Sacerdos Christi, Christus Domini, Deus etiā Pharaonis &c. Vbi est zelus Heliæ in Achab? Zelus Ioannis in Herodē? Zelus Ambrosij in Valentem? Zelus Alexandri III; qui sicut audiuimus & vidimus, Patrem istius Principis Fridericum, plena auctoritate Apostolicæ Sedis, à fidelium communione præcidit? Porrò Tyrannus Apostolicas claues habet ludibrio, nec nisi verba reputat legem Dei. Scriptum est enim: Qui vos spernit, me spernit. Ideo si vestram non vultis, aut Ecclesiæ Romanæ iniuriam persequi, vobis tamen dissimulare non licet Petri opprobrium & iniuriā Christi.* Quid si hęc Generosa, vidisset Regem, Optimates, & populos suos, quos ipsa religiosè rexerat Angliæ, Apostolicas claues nedum habere ludibrio, sed Regi suo Laico, Apostolicam detulisse aūctoritatem, & Ecclesiastici regiminis potestatem? O tempora ò mores! Subdit ibidem Regina, *Non Rex, non Imperator, à iugo vestræ iurisdictionis eximitur.* Hæc illa Pontifici. Et iterum eadē Regina, apud eumdem Blcs. Epist. 146; ait: *Pulcbrè equidèm Christi Crux antecellit Cæsaris aquilas, gladius Petri gladio Constantini, & Apostolica Sedes præindicat Imperatoriæ potestati.*

14 Item anno 1300. alius Eduardus Rex Angliæ in epist. ad Bonifacium VIII. Papam, talibus ad illum verbis, scribit: *Sanctissimo in Christo Patri Domino Bonifacio, diuina Prouidentia Pontifici, Eduardus &c. Conseruetur Paternitas vestra ad regimen Ecclesiæ suæ sanctæ per tempora prospera, & longæua &c.* Quibus, ostēdit pius Rex, suam beneuolentiam erga Patrem suum Summum Romanum Pontificem, quem confitetur Caput, & Rectorem Vniuersalis Ecclesiæ.

15 Expressit anno 1343. suam pietatem, & obedientiam erga Sedem Apostolicam, ac Romanum Pontificem, & alius Eduardus Angliæ & Franciæ Rex in epistola ad Clementem VI. Papam, dum scripsit: *Sanctissimo Patri, ac Domino D. Clementi diuina Dei Prouidentia Romanæ, ac vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Eduardus Dei gratia Rex Franciæ, & Angliæ, Dominus Hiberniç, deuota pedum oscula beatorum.*

16 Et tandem, Serenissime Rex, ne Maiestati tuæ faciam mea prolixitate fastidium, rem totam compendiosè perstringam. Habes ò Rex, Brittānorum Regum exempla, quorum magisterio, si vis, instrui poteris ad salutem. Habes stratam, quàm ipsi calcarunt semitam, quæ ducit ad vitam; Vide quàm longè distent viæ tuæ, à vijs eorum. Vide, an Sceptrum quod geris, ab illis dissimili manu sustineas: sustinuerunt eum Maiores tui, sed ea manu qua, Obedientiam Pontifici Romano iurauerant; tu, ea, qua cōtra Apostolicam Romanam Sedem, contra Sacerdotes Catholicos, contra cultores auitæ fidei Maiorum tuorum; vel gladium impugnas ad nœcem; vel, si mitiùs, calamum ad edictum, ad exilium. *Ad anteriores* igitur respice *Reges*, qui Catholicè viuentes, Pontifici Romano obedientes, adeòque piè, & Religiosè viuentes, maxima sanctitate floruerunt.

runt. Hinc te inuitat Rex Nortumbrorũ Osualdus, hinc Chenelmus Rex Merciorum è Cœlis, vt vias tuas per eorum semitas dirigas; Inde è cœlesti Paradiso, clamant Reges Ethelberti primus, & secundus, quorum alter Orientalium Anglorum, alter Cantianorum Populos, & ciuili potestate gubernarunt, & Christiana pietate, ac exemplo, in obedientia Summi Romani Pontificis, & in fidei Catholicæ vnitate cõseruarunt. Inuitat & Rex Edmundus, te Cœlum scandere, eieratis erroribus. Nec desunt etiam duo alij Sãctissimi Anglorum Reges, Eduardus 1. & Eduardus 2, qui vias tuas, vitam & errores tuos è Cœlis redarguunt: hos inuoca, his te commenda, vt tandem à via erroris, pœnitẽs redeas ad semitas æquitatis. Vnum scio, quòd ab anno Christi 800. ex quo, vnus tantùm Rex, totius Insulæ dominium gessit, & obtinuit, vsque ad Elizabetham vltimò ex illorum sanguine procreatam, solùm tres Reges, contra Sedem Apostolicam, Romanumque Pontificem obstinatè vsque ad mortem perseuerarunt.

17 Quòd si ad Henricum Regem huius nominis 8. Serenitas tua purgatæ mentis oculos direxerit; videbit profectò, qualis de Romana Sede, eiusque Põtifice sua fuerit mens, antequam Annæ Boleniæ dementaretur fascino. Non erit ingratum, eius, de hac re aperire sententiam. Is enim in erudito suo libello Assertion. septem Sacrament. cont. Martinum Lutherum, art. 2. sic ait: *Negare Lutherus non potest, quin omnis Ecclesia fidelium Sacrosanctam Ecclesiam Romanam, velut Matrem Primatemque, recognoscat, ac veneretur, quacumque saltem neque locorum distantia, neque periculis interiacentibus prohibetur accessu. Quamquam, si vera dicunt: qui ex India quoque veniunt huc, Indi etiam ipsi, tot terrarum, tot mariũ, tot solitudinum plagis disiuncti, Romano tamen Pontifici se submittunt, ergo si tantam, & tam late fusam potestatem, neque Dei iussu Pontifex, neque hominum voluntate consecutus est; sed* (vt vult Lutherus) *sua sibi vi vendicauit: dicat velim Lutherus, quando in tantæ ditionis erupit possessionem. Non potest obscurum initium esse tàm immensæ potentiæ, præsertim si intra hominum memoriam nata sit. Quòd si rem dixerit vnam fortasse aut duas ætates superare, in memoriam nobis rem redigat ex historijs: alioqui si tàm vetusta sit, vt rei etiam tantæ obliterata sit origo, legibus omninò cautum esse cognoscit, vt cuius ius omnem hominum memoriam ita supergreditur, vt scire non possit cuiusmodi habuerit initium, censentur habuisse legitimum: vetitumque esse constat omnium consensu gentium, ne quæ diù manserunt immota, moueantur. Certè si quis rerum gestarum monumenta euoluat, inueniet iam olim protinus post pacatum Orbem pleraque omnes Christiani Orbis Ecclesias obtẽperasse Romanæ. Quin Græciam ipsam, quamquam ad ipsam commigrasset Imperium, reperiemus tamen, quòd ad Romanæ Ecclesiæ Primatum pertinebat, præter quam, dum Schismate laborabat, Romanæ Ecclesiæ cessisse.*

18 Hæc est, Prudentissime Rex, Henrici 8; (qui primus nuper elapso sæculo, libidine fascinatus, ab Ecclesia Romana defecit) de Pontificis Romani Primatu super omnes Orbis Ecclesias, inuictis rationibus firmata sententia. Defecit tandem à Pontifice Romano, cuius iudicium reformidabat, ob Catharinæ Austriacæ lectissimæ Reginæ repudiũ, Pontificis tamen Romani doctrinã retinuit, vt ait Protestans ille non ignobilis Sleidanus, in sua historia, *exulare fecit nomen Pontificis Romani, doctrina eius retenta.* Quin, & vt ait Foxius eruditus Protestans in *Act. & Monum.* fol. 1471. Idem Henricus. *Edidit, & pleno parlamenti consensu, stabilinit sex Articulos vniuersam*

Papi-

Digitized by Google

Papiſticæ Religionis ſummam comprehendentes. Quòd ſi in odium *Iudicis*, reus *Iudicis* nomen in exilium pellit, id euenit quia nullus *Reus Iudicẽ* amat quem reformidat; retinuit tamen eam, quam veram agnoſcebat doctrinam: *Hanc* tamen, temporis progreſſu, iniquitate ſuccreſcẽte, penitùs ex tuo nobiliſſimo *Regno*, non ſine lachrimis, nouimus profligatã.

19 Perluſtraui Sereniſſime mi *Rex* & *Domine* amantiſſime, quanta potui breuitate celebriores Maiores tuos, *Regni* tui Anglicani moderatores, ac *Reges*, qui à Principio tùm conuerſionis, tùm educationis ſuæ, veram, & ſaluificam fidem Chriſti, amplexi, & profeſſi ſunt; qui te, & ſuos *Populos* de *Religione Catholica* rectè & ſincerè informare poſſunt, & certiores reddere ſine fuco, & fraude, quæ nam fides graſſantibus hoc & quouis tempore erroribus, hominum maleferiatorum, luxurioſorum, rebelliũ ad pruritum aurium prædicantium, capeſſenda ſit; cùm non niſi vnus Chriſtus, vnus *Deus*, vna *Fides*, vna *Eccleſia* ſit à principio ad finem vſque mundi conſtans, & immobilis contra Inferi portas firmiter ædificata, benè diſpoſita, optimèque, prout decet *Domum Dei*, ordinata. Nõ te moueat, quod cæteri, vel Apoſtatæ, vel à *Dæmone* excitati, quos ſi etio præteriui, aliã ſectati fuerint *Deum* colẽdi rationem, aut Religionem. Vnã enim, eamdemque quã Maiores tui iuerunt ad Cœlos viam, (de quorum Cœleſti beatitudine nonnullorum *Sancta Romana*, & Apoſtolica *Eccleſia* nos certiores fecit; de reliquorũ verò ſalute benè ſperare iubet) ſequere, & ſaluus eris.

20 Quæ res, cùm cõcernat æternam, aut vitam, aut mortem; animæ ſalutem, vel interitum, leuiter ponderari nõ debet, quaſi vnuſquiſque, ſicuti in ſenſu ſuo abundare quod dicitur, ita in fide ſua, (à profligatiſſimis hæreticis commẽta) ſaluari poſſit; ſed altiùs res expendenda eſt, & conſideranda maturiùs, *Rex Sereniſſime*; An ſcilicet, poſt breuem huius lucis vſuram, cum nouitijs, & perditis *Apoſtatis* ire malimus ad *Inferos* æternùm excruciandi, an verò ad Cœlum per eam viam, per quam, ferè omnes Maiores tui, quos *Sanctos* recenſuimus, inclitæ tuæ gentis *Principes*, vel eiuſdem *Regni* moderatores, ac *Reges* eò peruenerunt? Non dubites *Sereniſſime*, hãc viam eſſe certiorem, imò dubitare non debes, quin ab hac; omnis alia (cùm non ſit niſi vna ad Cœlum, ad *Inferos* mille) ſit ad Cœlum incerta, imò certa ad *Inferos*.

21 Igitur Clementiſſime *Domine Rex Angliæ*, iterum Te compello per *Chriſti Saluatoris* vulnera, per animæ tuæ ſalutem, cogita, & recogita de ſummo hoc puncto, quod grauius eſt, & longè magis arduum quàm quodcumque tui *Regni* negotium, aut, ſi fractus illaberetur Orbis, quomodo euadere poſſes eius ruinas. Omnes etiam nobiliſſimos Primates tuos, vtriuſque prudentiſſimi Parlamenti viros generoſos, nobiles, Sapientes, Prudentes, & rerum gnaros, rebus ſæculi implexos, & occupatos conuoco; inuoco, & obteſtor, vt cum Clementiſſimo, & inclyto Principe ſuo, & inter ſe, omni acumine inueſtigent, & dijudicent in hac cauſa, quæ extremè tangit ſingulos; an non ſit tutius, certius; non dico modo honeſtius, non glorioſius, ſed ſalutarius, antiqua premere, & repetere auitorum *Regum*, ſuorumque Maiorum Optimatum, vel *Ciuium*, & *Parentum* veſtigia; illoſque ad cælum antegreſſos ſequi, quàm deſerere vias eorum, & à tritis illorum ſemitis quærere diuerticula.

22 Sint itaque Sereniſſime Rex, Nobiliſſimi *Angli* veſtri Maiores, veſtri *Inſtructores*: Veſtri Prædeceſſores, veſtri Duces, & viæ indices ad ſalutem.

Digitized by Google

CONSIDERATIO II.

AD SERENISSIMVM DVCEM SAXONIÆ.

SERENISSIME DVX PRINCEPS ELECTOR.

1 VTinam patiaris exorari, precibusque humillimis adfauere humilis serui tui, hoc vnum, ex tua magnanimitate deposcentis; vt cùm vacauerint, per otium, tuæ Serenitatis oculos lucubrationibus hisce meis admoueas, in quibus Inclitam tuorum Maiorum in sinu Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ enutritorum Catholicam Genealogiam, vsquad Fridericum III. nunquam interruptam, seriatim ea qua potui diligentia ex probatissimis Scriptoribus delineaui. Ex quo labore, hoc vnum intendo, vt inspecta omni in Religione nouitate, omnique partialitate sepositâ, Catholicam & Apostolicam Romanam fidem, quæ semper, quæ vbique, quæ omnium fuit & est populorum, ac gentium; Regum & Principum eadẽ, propter honorẽ Dei, & amorem propriæ salutis, ab antiquis instructoribus inquiras, & cognoscas; & iuxta Dei mandatum, *Interroga patres tuos & dicent tibi, Maiores tuos & annunciabunt tibi*, quid sanctum, quid saluifica fide tenendum: Meliores enim Serenitatis tuæ Instructores cùm non sciam, nec animæ tuæ chariores quàm auitos Parentes, consanguineos, ac Inclitos Maiores tuos, quorum continua nunquam interrupta propagatione caro, & sanguis es, quorumue omnium bonorum, (à quibus bonis saluificam Christi fidem, quam testamento posteris reliquerunt, excludere non debes) hæres es: illos, & non alios (multa enim, eaque euidentissima argumenta supperent) è cœlis aduocabo: illos, inquã in his meis paggellis, suis te exemplis alloquentes, eorumque Catholicos sanctissimosque mores, exponam, qui tibi suis Augustis monitis, & monumentis, veræ, saluificæque fidei veritatem indicabunt. Quàm verò grauiter Deus comminetur ijs, qui Patrum suorum dimittunt legem, aut à rectis Maiorum semitis recedunt, non est hic nec esse Generoso inserere pectori, quod virtutis amore, & storge quadam naturali appetit, laudata Maiorum insequi vestigia;

2 Ordior igitur, & memoriam recolo Vuitikindi I. tàm inclitæ, & Augustæ familiæ prothoplasti. Is, cum esset Paganus, & Christianorũ fines acerrimè deuastaret, tandem armis à Carolo Magno, post triginta annorum bella depressus, vt ait Vuitikindus Scriptor lib. 1. Chronic; exul, vagusque circa Vualmerstedam in syluis, accepto saluo conductu, victori factus est supplex, gentilique barbarie deposita, Christo Regi Regum se subdidit anno 785. quando, vt narrat Cranzius in Metrop. Saxon. lib. 1. cap. 9; & Historia Saxoniæ lib. 2. cap. 23. assumpta forma mendici, vna cum alijs mendicantibus in septimana Sancta, vt res Christianæ fidei accuratus omnium obseruator addisceret, ad stipem sedebat, non alio fine, nisi vt secretius, ac penitius Regis Caroli, aliorumque Christianorum mores, & vitam circa tempus illud occultus, & latens inspiceret. Sed tandem agnitus, ac Regi Carolo manifestatus, ad eum iussus est accedere; à quo benignè susceptus, percunctatusque quid sibi vellet indignus Principe habitus, Vuitikindus ad hæc; *vt illo habitu incognitus possem lustrare secreta gestorum*, ac Chri-

Christianorum mores. Cui Carolus Rex; *Quid igitur vidisti quod te delectat*; ille cum tunc esset rerũ Christianarum rudis, narrat; se cum Rex & alij in Dominica Resurrectionis Sacram Eucharistiam sumerent, vidisse, quemque sumentium *è manu Sacerdotis pulchellulum puerum in os suscipere*; Hinc Carolus Rex occasionem nactus, eum de fidei Catholicæ Mysterijs imbuit, *indeque mutata veste, manu secum abstractum docuit grande pietatis Mysterium in Altaris Sacramento*. Qua re cognita, exhilaratus Dux, Sacerdotem à Rege postulat; & datus est ei Sanctus Herimbertus, cui Dux, dimidium Arcis suæ ad Vuiseram pro ædificanda Ecclesia, & Episcopali palatio concessit, ibique prima Cathedralis, & Episcopalis erecta est Sedes. Anno verò sequenti 786. Vuitebachij iuxta Sacros Catholicæ Romanę Ecclesiæ ritus, Vuitikindus Saxoniæ Dux salutifera baptismatis vnda ablutus, à Sancto Hildegrino Episcopo Halberstadensi *L.* Patrino existẽte ipso Rege Carolo Magno, vt testatur Regino, Annales Francorũ; & alij. Crescebat in Serenissimo Duce baptizato in dies Catholica pietas, vnde, extruxit postmodum Angriæ Basilicam, in qua suum corpus post mortem sepeliri mandauit; sed inde ab Henrico Romanorum Rege Paderbornam translatum, lætam ibi resurrectionem expectat. Reliquit duos filios, Vuigbertum, & Vuitikindum *II.* Adducam hic, non omnes de generatione in generationẽ filios, ac nepotes, sed solùm illustriores. Ac primùm dicam de descendentibus ex Vuigberto Primogenito; deinde de descendentibus à Vuitikindo *II.* secundocenito.

3 *A* Vuigberto Primogenito ortus est Otto Saxoniæ Dux dicti Vuigberti pronepos, Princeps bellicosus, sed magis pius, qui vitam suã persemitam Diuinorum mandatorum dirigens, Ecclesiasticis personis debitum honorem, vt Christianum decet, exibens, ac Christiana pietate fragrans; suasu Vuiperti Episcopi Verdensis, in honorem Beatæ Mariæ Virginis, fundauit Monasterium Benedictinorum in monte Luneburgensi. Felici fine quieuit anno 916.

4 Ex Ottone prædicto, natus est Henricus I. Vulgo dictus *Humilis*, ex eò, quòd (vt ait Ditmarus illorum temporum scriptor lib. 1. Chron.) dum fuisset à Rege Conrado moribundo nominatus Rex Romanorum, & à Primatibus Imperij Frieslariæ congregatis, communi omnium suffragio electus, & Heringerus Archiepiscopus Moguntinus vellet eum in Regem inungere, subtitit Henricus, recusans solemnibus sacris iniũgi, confessus se tali sacra vnctione indignum; & quamuis à multis scriptoribus hæc eius humilitas alijs causis adscribatur, verius tamen sentio cum Ditmaro, qui vixit illis temoribus, Chron. lib. 1. Henricum se indignum illa sacra vnctione extimasse, ob sacrilegium ex iuuenili cœcitate commissum, desponsando sibi Hattebur. Eurini Seniores filiam velatam, ex familia Comitum Aldenburgiorum, quando nuptijs ex more peractis, acriter ob hoc reprehensus, & ad publicam Synodum citatus à Venerabili, & Sanctæ vitæ Episcopo Halberstadensi Sigismundo, ipse religiosè paruit & comparuit, vbi intercedente Rege Conrado eius auunculo absoluitur, & restituta Connobio matrona, aliam duxit vxorem, scilicet, Mechtildem Comitissam Singelheimẽsem, filiam Theodorici, & Scinhildæ ex tribu Vuitikindi Regis progenitam. Qualis autem fuerit huius Principis contriti, & humiliati postea pœnitentia, narret nobis idem Ditmarus loco citato eiusdem Principis coetaneus, & rerum gestarum

testis

testis oculatus: *Audiui (ait) quod hic Henricus Romam causa orationis petens, plus pedibus, quam equo laboraret; & à multis interrogatus, cur sic ageret, culpam profiteretur.* Penitendo igitur, factus postea Rex, sacra se vnctione indignum iudicauit, qui sacrilegè aliquãdo peccaret, INIVSTO (ait idem auctor) SE HACTENVS MVLTVM PECCASSE CONNVBIO, TANDEM PROFESSVS.

5 Rex igitur factus, quanta eius fuerit Religio, ac Sancta auiditas in colligendis sacris Sanctorum reliquijs, quantaque easdem sit deuotione veneratus, narrat Vuitikindus eiusdem sæculi scriptor in sua histor. lib. 1. Dum enim Carolus (simplex dictus) Galliarum Rex, diademate priuatus, legationem misisset cum sacris Reliquijs ad Henricum, quibus cum protestabatur Franciæ pacem, & gloriam, ad decus & tutamentum Saxoniæ cum Sacris Reliquijs simul transferri; Legatus autẽ Caroli, sit Henricum alloquitur: *Dominus meus (inquit) Carolus, Regia quondam potestate præditus, modo priuatus, misit me ad te, demandans, quia nihil ei ab inimicis circumuẽto iucundius, nihil dulcius esse possit, quam de tui magnifici profectus gloria aliquid audire, ac fama virtutum tuarum consolari. Et hoc tibi signum fidei, & veritatis transmisit: protulitque de sinu manum pretiosi Martyris Dionysij auro gemmisque inclusam &c. Rex autem munus diuinum cum omni gratiarum actione suscipiens, prosternitur reliquijs Sanctis, & deosculatus eas, summa veneratione veneratus est.* Hæc ille testis oculatus. Similem huius Regis mirã deuotionem erga Lanceam ex aliquibus particulis clauorum Christi compactam, narrant Luitprandus lib. 4. cap. 12. Sigebertus in Chron. & Surius tom. 5. die 3. Octobris. Dicere enim solitus erat Rex Henricus, se, totum suum robur, totamque felicitatem à Deo, & Sanctis eius, quorum reliquias secum deferebat, expectare. Tanto pietatis studio Sacræ reliquiæ ab Henrico Rege colebantur.

6 Porrõ, quam fuerit idem Rex zelosus, & feruidus in propaganda Catholica fide, & conuertendis ad eam barbaris infidelibus, patet ex eo, quod illis subiugatis, duo exigere solebat, fidem Christianam Deo, sibi tributum. Quin, & Catholicus iste Rex, magna & quidem periculosa gessit bella, (vt ait Cudsemius in Henrico 1.) potiùs vt Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quàm Imperij dilataret tentoria. Anno 930. & sequent. totus in Septentrionalium Populorum, per fines Imperij perniciosè grassantium conuersione incubuit, & Reges Northmannorũ, & Abroditarum victoriosa manu ad fidem Christi perduxit, teste Cõtract. Sigiberto, & alijs. Danis quoque, quos transire opus habuit, religionem, quam non multò ante, sub Ludouico II. Imperatore à Sancto Ansgario, primo Sedis Hamburgensis (quæ nunc Bremensis) Archiepiscopo acceperant, Sanctissimi Vnni eiusdem Sedis Archiepiscopi, (qui postea quoque in Suetiã Christi Euangelium intulit) Apostolica prædicatione restituit, ita narrat, ex priscis Scriptoribus, Adam Chronologus lib. 1. histor. Ecclesiast. cap. 49. & 50.

7 In Ecclesiæ hostes quantum fuerit terribilis, narrat Vuitikindus Scriptor lib. 1; nam, anno 927. Sclauos, & Henetos, expugnata eorum arce primaria, quæ Brandeburgi erat, media hyeme castris in glacie positis, fame, ferro, flamma deleuit. Luitprandus, Sigebertus, & alij. Vngaros quoque Gentiles innumera multitudine, locustarum more ad 40000. (vt ait Henniges historicus) vel ducenta millia (vt dicunt alij mox citandi) depopulantes Germa-

Digitized by Google

maniam, incredibili cæde prope Mersburgum, vociferante eius Catholico exercitu, Kyrieeleison, Kyrieeleison, omnes quos aqua non absorsit, ferro trucidauit, septem dumtaxat seruatis, quos auribus, manibus, naribus truncatos, acceptæ cladis nuncios, ad Hungariæ cõfinia adduci iussit, & tributum quod Vngaris prius debebatur, postea. Catholica pietate, cultui Diuino, pauperumque vsibus impendit; Hãc historiam ad longum narrat Brotusius, refertque ad annũ Christi 933; Sigebertus verò ad annum sequentem 934. Ad viuum verò eam refert Luithprandus lib. 2. cap. 9. idem refert Otto Fringeu. lib. 6. cap. 18. Sed & Vuitikindus Scriptor lib. 1. de rebus Saxoniæ, & Luithprandus lib. 2. cap. 8. referunt, qualitèr Catholicus iste Rex Henricus, milites suos ipsemet ad bellum contra hostes fidei Catholicæ Romanæ exhortari solebat; vt pro gloria, & honore Dei Creatoris, & Redemptoris sui, alacritèr pugnarent.

8 Tandem Catholicus Rex Henricus, dum iter iterum Romam deuotionis causa instituit, infirmitate correptus, iter cœptum intermisit, Catholiceque & piè migrauit ad Dominum, extructis multis Deo, & Sanctis eius Templis, anno 16. Regni sui, 2. Iulij ætatis autem 60. sepultusque Miminleue vbi mortuus est; deinde, ab Ottone, Henrico Rixoso, & B. Brunone suis filijs, trãslatum fuit corpus eius, in Ciuitatem, quæ dicitur Quedlinburg, sepultum in Basilica Sancti Petri ante altare cum plantu, & lachrymis omnium subditorum, vt narrat Ditmarus historicus, Luithprandus lib. 4. cap. 7. sed omniũ paulò clariùs Vuitikindus scriptor, qui illo eodem sæculo vixit.

9 Sed & Sancta Mathilda Henrici prædicti vidua relicta, summa pietate, vigilanti studio, ac maxima deuotione defuncti sui viri corpus sepeliri fecit, & pro eius anima, supplicationes, oblationes, ac Sacrificia Deo fieri curauit, eleemosynaque pauperibus est elargita vt narrat Luithprandus lib. 4. cap. 7. Huius autem Sanctissimæ Reginæ (ex eodẽ Ducum Saxoniæ sanguine procreatæ, vt supra innuimus) gesta, & virtutum exercitia, recenset Scriptor illorum temporum Vuitikindus lib. 3. circa finem, vbi post longam virtutum eius enarrationem, sic concludit: *Igitur plena dierum, plena omni honore, plena operibus bonis, & eleemosynis, cunctis diuitijs Regalibus distributis seruis Dei, & ancillis, ac pauperibus, 2. Idus Martias animam Christo reddidit.* Relata reperitur in numero Sanctorum dicta die Natalis sui, hoc Elogio: *Halberstatti in Germania Dormitio Beatæ Mathildis, Reginæ Matris Ottonis 1. Imperatoris humilitate, & patientia celebris.*

10 Dicendum nunc est de tribus Regis Henrici 1. filijs, ex Sancta Mathilda susceptis. Primogenitus fuit Otto 1. Imperator Augustus, quem Vuitkindus historicus lib. 1, ob virtutum præstantiam, *Mundi Amorem*, vocat; sed Catholica pietate longè illustrior, cognomento *Magnus*; qui initium sui Imperij à Deo auspicatus, solemni ritu, & cæremonijs (vt ait Otto Frising. lib. 6. cap. 9. Ditmarus lib. 2. Vuitikindus lib. 2.) Aquisgrani ab Hidelberto Archiepiscopo Mogũtino, accepta licentia à Vuigfrido Archiepiscopo Colonienſi, in cuius diœcesi Aquisgranum existit, inunctus atque coronatus est anno 936; & tandem Romæ à Papa Ioanne XII. nouis ritibus, cum fastis Populi Romani acclamationibus, in dignitate Imperatoria est confirmatus, in Basilica Sancti Petri die Natalis Christi, anno 962. vti tradunt Regino, Frodoandus, Luitprãdus, & alij. Et quamuis initio Imperij sui multis fuerit bellorum procel-

cellis inuasus, semper animo inuicto in Deo confisus iuit audentior, semper tamen victor.

11 Quantum Otto insudauerit pro Catholica-romana Religione propaganda. Rē narrat Vetus Chronologus Adam Canonicus Bremensis lib. 2. cap. 2. his verbis: *Otto igitur Rex diuino fultus auxilio, quàm primùm ab insidijs fratrum suorum ereptus est, iudicium, & iustitiam Populis fecit &c. In Danos arma corripuit, quos antea Pater eius bello compressit. Eninuerò tunc rebellare moliti, Legatos Ottonis cum Marchione trucidarunt, omnem Saxonum Colaniam funditus extinguentes. Ad quam rem vlciscendam Rex cum exercitu statim inuasit Daniam, transgressusque terminos Danorum apud Schliasuugh olim positos, ferrò & igne vastauit totam regionem, vsque ad mare nouissimum, quod Northmannos à Danis dirimit. Cui egredienti Haraldus (Rex Danorum) apud Schliasuuich occurrens, bellum intulit, in quo vtrisque viriliter certātibus, Saxones victoria potiti sunt. Dani victi ad Naues cesserunt, tandem conditionibus ad pacem inclinatis, Haraldus Ottoni subijcitur, & ab eo Regnū suscipiens, Christianitatem in Dania recipere spopondit. Nec mora baptizatus est ipse Haraldus cum vxore Gunild, & filio paruulo, quem Rex noster à Sacro fonte susceptum, Suen Otto vocauit. Eo tempore Dania Cismarina, quam Iutlan incolæ appellant, in tres diuisa Episcopatus, Hamburgensi Episcopatui subiecta est.* Deinde, narrat idem historicus, incrementa, & successus Catholicæ fidei in *Aquilone* habitos per viros Apostolicos, ex commissione Apostolicæ Sedis, scilicet, ab *Adaldago* Episcopo Hamburgensi, & ab eo ordinatos, ac missos Haroldo, Liasdago, Regibrundo &c; quibus Sanctissimus Pontifex Romanus *Agapetus* II. benedictionem, & auctoritatem *Apostolicam*, pro felici Vineæ Domini cultura, cum gaudio impertiuit.

Rex Daniæ & domus eius tota Fidem Catholicam recidit, Ottonis opera; ibiq; à Rom. Sede mittuntur Episcopi.

12 Deinde idem *Adam* ibid. c. 3; & Sigebertus vbi supra, narrant, quomodo idem ipse Catholicus *Imperator* Otto, vniuersos Slauonorū populos ad Christi fidem, & gremiū Sanctæ Matris Ecclesiæ adduxit; de quibus citati scriptores dicunt: *Baptizatusque est totus Gentilium populus, Ecclesia in Slauonia tunc primum constructa*, &c. Sed quis enarrare sufficeret quantas pijssimus Imperator Otto I. victorias potius precibus & Ieiunijs, quàm vi armorum, militumve potentia reportauit? Hæc pauca ideo prolixiori sermone retulimus, vt viuentes incliti Saxoniæ Principes, ab Ottone *I.* Imperatore cognoscant eius Religionis Catholicæ veritatem, quam ipse omni studio, & contentione, cum vitæ suæ quoque periculo Daniæ, & in Slauonia intulit, & in populis à Christiana fide alienis longè latèque propagauit. Et tam Catholicus, & pius *Imperator* adeò sitiēs hominum salutis, non poterit eamdem fidem Catholicam persuadere suis ex consanguinitate posteris, *Augustæ* Domus Saxoniæ hæredibus?

Slauoni ad fidē Catholicā ab Ottone 1. adducuntur.

13 Sed adhuc vlterius dicendū occurrit, de Catholica Ottonis I. insigni pietate, in fundandis, extruendisque Religionis Catholicæ Ecclesijs. Non erat satis pijssimo illi *Imperatori* multos populos ad gremiū Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ non sine magno labore, ac vitæ suo periculo perduxisse, nisi etiam in necessarias fabricas, & vsus Ecclesiarum, diuersis in locis, Regios omnino sumptus effunderet. Præter eas verò quas opera Sanctissimorum virorum in *Dania*, Sleusuci, Ripæ, *Arhusæ*, & *Aldeburgi* Ecclesias erexit Episcopales, insignes alias in Germania fundauit, & abundantissimè dotauit, de quibus sequētia vetus historicus narrat Adamus lib. 2. *Ipso tempore Magnus Otto subiungatis, Christianæq; fidei copulatis*

Sla-

Digitized by Google

Slauonorum gentibus inclitam vrbem Megdelburg super ripam Albiæ fluminis condidit, quam Slauis Metropolim statuens, Adelbertum Summæ Sanctitatis virum, accersita Romani Pontificis auctoritate, ibidem consecrari fecit Archiepiscopum. Is primùs in Magdeburg ordinatus, duodecim annis strenuè Pontificatum administrauit, multosque Slauonorum populos prædicando conuertit. Cuius ordinatio facta est anno Imperatoris, & Archiepiscopi (scilicet Hamburgensis, nomine Adaldagi) trigesimo quinto, & sunt anni post ordinationem Sancti Ansgarij centum triginta septem. Magdeburgensi Episcopatui subiecta est tota Slauonia vsque ad Penem fluuium. Episcopatus quinque, quorum Mersburg & Tysca super Salam flumen condita, Misna super Albin, Brandeburg, & Heuelber inferius vadunt. Sextus Episcopatus Slauoniæ est Aldenburg: eũ, quod vicinior est nobis, Hamburgensi Archiepiscopatui subiecit &c.

14 Quod si Inclitus Dux Saxonię hos testes sibi ingratos audire detrectet, audiat suos tum Lutheranos, tum Caluinistas, qui hanc Catholici Imperatoris Ottonis 1. decantatam in Templis extruendis pietatem, manifestissimè testatam faciunt. Elias Reusnerus Lutheranus in Academia Ienensi quondam professor, in opere suo Genealogico in stirpe Vuitikindea, his verbis rem narrat: *Quid multa? Imperium Romanum penè collapsum restaurauit: Germaniam, Galliam, Italiam pacauit, Danos, Sarobos, Henetos, Bohemos (cum quibus quindecim circiter annis acritèr conflixit) ad societatem Ecclesiæ perduxit: Ecclesias Episcopales plurimas fundauit: vtpote Hauelbergensem anno Christi 946; Aldenburgensem Anno Christi 948; Misnensem An. Ch. 958; Brandeburgensem An. Ch. 960. Magdeburgensem, Mersburgensem, & Zicensem An. Ch. 968.* Hæc Lutheranus; similia narrat Abraham Bucholtzerus Caluinista in suo indice Chronologico ad annum Christi 936.

15 Constat etiam, Ottonem Cœnobium Magdeburgi fundasse sub regula S. Benedicti, in honorem SS. Apost. Petri, & Pauli, & Innocentij Martyris, cuius ibi reliquias collocauit, ex Crantio in Metrop. Saxon. lib. 3. Ecclesiam verò ibi Metropolitanam, totamque Ciuitatem, tutelæ, & Patrocinio Sancti Mauritij, legionis Thebæorũ martyrum Principis, cuius similiter corpus eò transtulit, Anno Christi 961. vt refert Ditmarus in suo Chronico, deuotè dicauit; quippe qui Sanctos, Sanctorumque reliquias, non minore, quã suus Pater Henricus, veneratione colebat.

15 Cæterum, sicut in omnibus suis actionibus, ità maximè in frequentatione cultus Diuini, fuit assiduus; nam, vt narrat Ditmarus lib. 2. *Solebat Otto in solemnitatibus vniuersis ad Vesperas, & Matutinas preces, atque ad Missam, cum processione Episcoporum venerabili, deindeque cæterorum ordine Clericorum cum Crucibus Sanctorumque reliquijs, ac thuribulis, ad Ecclesiam vsque deduci: hic quæ, cum magno Dei timore, qui est principium sapientiæ, stare, vsque dum finita sunt vniuersa; nil loqui nisi Diuinum* &c.

16 Qualis fuerit pijssimi Imperatoris Ottonis 1. exitus, & mors, narrat distinctè Vuitikindus illorũ temporum Scriptor lib. 3. circa finẽ; his verbis: *Tertia feria ante Pentecosten loco deuenit, qui dicitur Mileua, proxima nocte iuxta morem diluculo de lecto consurgens, nocturnis, & matutinis laudibus intererat; post hæc paululum requieuit. Missarum deindè officijs celebratis, pauperibus iuxta morem manus porrexit, paululum gustauit; iterũque in lecto requieuit. Cum autem hora esset, processit lætus, & hilaris ad mensam resedit; peracto ministerio, vespertinis laudibus interfuit. Facto Cantico Euangelij, æstuari, & fatigari iam cæpit. Quod cùm intellexissent Principes circumstantes, sedili eum imposuerunt:*

Inclinantem autem Caput, quasi iam defeciſſet, refocillauerunt. Expetitoque Sacramento Diuini Corporis, & accepto non ſine gemitu, cum magna tranquillitate vltimum Spiritum cum diuinis officijs, pietati Creatoris omnium tradidit. Eadem narrat Ditmarus eiuſdē ſæculi Scriptor lib. 2. ad finem. *Hic* eſt pij Imperatoris feliciſſimus exitus, nonis Maij anno 973. ſepultus Magdeburgi in Eccleſia Metropolitana.

17 De Henrico ſecundogenito Henrici 1; & Ottonis 1. Imperatoris fratre, eſt mentio facienda, quæ pro infra dicendis valdè ſubſeruit, cùm is fuerit auus Sancti Henrici Imperatoris. Henricus iſte frater Ottonis 1. dictus eſt *Rixoſus*, quia arma contra Ottonem fratrem arripuit. Sed ab illo victus, veniam impetrauit, à quo Lotharingiam, & poſtea Bauariæ prouincias accepit; fiduſque deindè Imperatori fratri ſuo perpetuò adhæſit militiæ Comes, ac victorioſus belli Dux, qui mortuus eſt, Anno Chriſti 954.

18 Tertiusgenitus filius Hērici 1. ex Matre Sancta Methilde, frater Ottonis 1. & Henrici Rixoſi, fuit B. Bruno Archiepiſcopus Coloniēſis, dignus Sanctæ Mathildis filius, qui ſimul cum lacte pietatem, ac ſanctitatem ex matris vberibus hauſit. Is, vt ait Scriptor Vuitikindus lib. 3. fuit magnus Catholicæ veritatis Doctor, *magnus ingenio, magnus ſcientia, & omni virtute, ac induſtria*; qui verbi Dei prędicatione illuſtris, Saxones, alioſque populos, dum vixit, Catholicis ſanctiſque moribus inſtituit.

19 Beatus iſte, & bonus Paſtor Bruno, aſſiduam nauauit operam in corrigendis ſuæ Diœceſis moribus. Inter cætera, fuit mirè deuotus in colligendis, & honorandis Sanctorum reliquijs, cuius diligentia Colonienſes acceperunt Sancti Petri Apoſtoli baculum, partemque catenæ: item corpora, & oſſa Sanctorum Martirum Eliphij, Gregorij Spoletani, Euergiſti, &c. Celebrem quoque Abbatiam S. Pantaleonis Coloniæ, & Collegiatam Eccleſiam Sulati ipſe fundauit, multaque alia Catholica pietate Templa, ſuis expenſis erexit: fuitque primus in ordine Epiſcoporum qui Colonientium extitit Dominus in tēporalibus. Tādem, dum ob diſſidentes conciliandos ex ſororibus nepotes, in Galliā pergit, Remis infirmatur, videns ſui corporis diſſolutionem imminere, præmiſſa Sacramentali confeſſione Euchariſtiam expetit, ac extremam vnctionem, quibus mira deuotione ſuſceptis, quinto morbi die, media nocte obdormiuit in Domino die 2. Octobris Anno Chriſti 965. ex Regino, Cranzio lib. 4. cap. 13. Deinde corpus eius Coloniam translatum eſt. Eius vitam diffusè ſcribit Rotgerus Monachus Pantaleonita.

20 Predictus Otto 1. primogenitus Henrici 1. duas ſucceſſiuè habuit vxores; prima fuit Editha, Edmundi Anglorum Regis filia, ex qua natus eſt Ludolfus, qui contra Patrem rebellis arma tulit, *malorum depraua-tus conſilio* vt ait Ditmarus lib. 2. Sed opera & interceſſione B. Brunonis ſui Patrui, S. Vdalrici, & religioſi Hartberti Epiſcopi Curienſis, Patri reconciliatur, ex Rutgero, & Mariano. Hic Ludolfus, genuit Ottonem 3. Patrem Brunonis Romani Pontificis, de quibus infra. Fuit & alius eius filius Vuihelmus, Archiepiſcopus Moguntinus.

21 Ex ſecunda vxore Adelheide Rudolphi Regis Burgundiæ filia, Otto 1. ſuſcepit alium filium Ottonem, qui dictus eſt Otto 2. Imperator, cognomento *Rufus*. Hic ſeptennis à Patre in Imperij conſortium aſſumptus, & ad Ioannem XIII. Romanum Pontificem à Vuilihelmo nuper dicto Romam deductus. Cæſareo Diademate eſt coronatus. Catholi-

Digitized by Google

tholica huius Ottonis pietas, indè præclarè innotescit, quòd insignia solitus fuit impertire Ecclesijs priuilegia. Diploma Monasterio S. Vincentij ad fontes Vulturni posito cõcessum, sic incipit: *Si Ecclesiarum Dei curam habere studuerimus, proculdubio Imperium nostrum stabile erit, insuper & vitam æternam promereri credimus &c.* Quod si Ottonem hunc, in fine vitæ fortuna oppressit aduersa, hoc Diuino consilio, diuinaque indignatione ex eò didicimus factũ (discant eius posteri) quia is, Princeps Laicus, Ecclesiasticis se bonis immiscuit; (vt notat Lambertus in histor. anni 981.) nam, mortuo Sancto Adelberto primo Magdeburgensi Archiepiscopo, & substituto ab ipso Ottone 2. Hisillario eius amico Episcopo Mersburgensi, destructoque anno sequenti Mesburgensi Episcopatu, quem Pater suus Otto 1. Sancto Laurentio in victoriæ laudem, & gratiarum actionem erexerat: bona huius Episcopatus, vna cum Hisillario ad Magdeburgensem Ecclesiam trãsportauit. Sed qua auctoritate id à filio factum? Propria, Laica, prophana; nulla. Ex qua causa? vt nimium amico Hisillario contra Ecclesiastica iura adfaueret. Quid hic Ottoni II. euenit? Audiat inclitus Dux Saxoniæ visionem cuidam Episcopo oblatam, & ab antiquo illius ætatis Scriptore in Vita S. Adelberti narratam, apud Surium tom. 2. die 23. Aprilis. *Nocte intempesta vidit visum de quo agimus, Regem Ottonem aureo solio sedentem, sub pedibus eius argenteum scabellum &c. Intrauit autem decora facie, instar ignis, iuuenis, quem niuea vestis vestiuit, & purpurea stola in pectore cinxit. Nec stat, sed via vadit, argenteum scabellũ sub pedibus Cæsaris cum indignatione subtrahit, & auerso vultu ianuam petiit* (erat is S. Laurentius). *Talem visionem cernere qui meruit, quæso inquit Dominemi, dedecus ne facias, suppe-*

Otto bona Ecclesiastica non aufert, sed tãtum transfert, & diuinam vultionem experitur.

Visio præsidens Ottoni mala.

daneam reddas, Regem coram Populo nè confundas. Imò, inquit, si meum dedecus non emendat, maiora faciam, subtracto scabello, ipso solio deponã. Quid factum? cum Otto non resipisceret, anno sequenti 982. contra Saracenos, & Græcos magno cum exercitu proficiscitur, *in quo bello*, ait Sigebertus, *omnes Romanorum copiæ vsque ad internecionem penè deletæ sunt. Imperator natando nitens euadere, à nautis ignorantibus eum, capitur.* Et Marianus, eius tẽporis scriptor, ait: *Otto Imperator apud Calabriam, occiso à Græcis exercitu eius, de naui exiliens natando aufugit.*

22 Discant huius Ottonis exemplo Principes, Reges, & Imperatores, quàm periculosè, & quanta cũ iactura corporis, & rerũ, animæque dispendio, Ecclesiasticis se rebus immisceant, etiam cum quid rectè, Deoque gratum facere se existimãt. Otto iste Catholicam Religionem non destruxit, bona Ecclesiæ non abstulit, sed ea illicitè de vna in aliã Ecclesiam transtulit. Quid fiet illis, qui Ecclesiæ bona in militum stipendia, qui Ecclesias conuertunt in stabula, quique Religionem Catholicam in Epicureismum transferũt? Caueant, & exhorreant moderni Principes, Dei, Sanctorumque eius indignationem incurrere, quæ si tardè venit, nec præueniente pœnitentia placetur, tandem Deus ipse tarditatem, pœnæ grauitate compensat.

23 Dedit autem Misericors Deus Ottoni Cæsari cor pœnisens, quo & delicta per Sacramentalem confessionem, & copiosas eleemosynas expiauit. Præterea, vt narrat Ditmarus exactus huius historiæ scriptor ad finem lib. 3., ex beneplacito Benedicti Papæ VII; Veronæ Comitia celebrauit, vbi Otto III. eius filius fuit electus, sibique substitutus. Deindè, paulò post Romæ, ægrotans, vt munus pij, vt Catholici Impera-

Digitized by Google

toris impleret, *Omnem suimet peculiam* (ait idem Scriptor) *partes diuidit in quatuor, vnam Ecclesijs, secundam pauperibus, tertiam dilectæ suimet sorori Matildæ Abbatissæ monali in Quedilingeburg deuotæ Christo famulæ, quartam suis merentibus donauit ministris, & militibus. Factaque confessione, acceptaque ab Apostolico, cæteris que Coepiscopis, atque Presbyteris optata remissione, septimo idus Decembris ex hac luce subtractus est, terræque commendandus ad introitum Orientalis Paradisi domus Sancti Petri.* Hæc Ditmarus.

24 Otto III; Imperator constitutus Veronæ ex consensu, & approbatione Benedicti VII. filius Ottonis 2. præfati, & Theophaniæ Nicephori Imperatoris Constantinopolitani priuignæ. Dum anno 996. mortuo Ioanne XV. Papa, Bruno filius Ottonis Sueuiæ, & Bauariæ Ducis, (qui fuit filius Ludolphi, primogeniti filij Ottonis 1. Imperatoris, vt supra) fuisset ritè electus Summus Pontifex Romanus, dictus Gregorius V, postquam quatuor menses pacificè sedisset, Crescentius Senator Romanus diues, & prepotens, Philagatonem Episcopum Placentinum, natione Calabrum intrusit, & in Sancta Sede per vim inthronizauit, appellauitque Ioannem XVI. Otto 3. Imperator audito Schismate, ac in tantis turbis Romam vocatus adijt, & Schisma sedauit, sed zelo nimis seuero (vt scribunt) in Crescentium Schismatis auctorem, & Philagatonem Calabrum Papam Schismaticum animaduertit: legatur Glaber lib. 1. cap. 4. & B. Petrus Damiani epist. 2. ad Cadolaum; dum Crescentium præcipitari fecit è sumitate Castri S. Angeli; Philagathoni, manus, & aures fecit abscindi, oculosque euelli.

25 His auditis à S. Nilo (vt patet ex Actis eiusdem Sancti apud Cassinenses, Monasterij Vallis Lucis) Ioannis XVI. seu Philagatonis intrusi conterraneo, corde afflictus, coactus fuit, senio & morbo confectus licet, (nonagenariam enim excedebat ætatem) Romam venire, & Imperatorem adire, pro gratia impetranda Philogano, quam impetrauit; & Imperatorem qui in puniendo excesserat, seuerè correxit. Et vt ait B. Petrus Damiani in Vita S. Romualdi, Catholicus, & pius Imperator Otto 3. errorem suum, & excessum in puniẽdo cognouit; Vnde post Sacramentalem Confessionem B. Nilo factam, nimis rigidam pœnitentiam egit. *Imperator* (ait Damianus) *ex eodem crimine Beato viro confessus, pœnitentiæ causa nudis pedibus de Romana Vrbe egrediens, sic vsque ad Garganum montem ad Sancti Michaelis perrexit Ecclesiam. Per totã etiam Quadragesimam in Classensi Monasterio Beati Apollinaris, pauci sibi adhærentibus mansit. Vbi ieiunios & psalmodia, prout valebat, intentus, cilicio ad carnem indutus, aurata desuper purpura tegebatur. Lecto insuper fulgentibus pallijs strato, ipse in storea de Papyrijs confecta tenera delicati corporis membra terebat.* Hæc Damianus, de seueriſſima Catholici, & pij Imperatoris pœnitentia.

26 Hæc exposui verbosius, vt qui excessum Ottonis in puniendo non tam suo, quàm aliorum consilio factum legerit, legat & pœnitentiæ sibi impositæ excessum, ac Catholici Imperatoris pietatem; indeque addiscat, post peccatum ad pœnitentiam habere recursum.

27 Quis autem hic Otto fuerit, qualis in pietate, quantus in deuotione, luculento sed breui adhuc sermone narrabo. *Is* (vt ait Petrus Damianus in vita S. Romualdi cap. 22.) S. Romualdum adiuit vt Abadiam susciperet, & apud eum pernoctans, in lecto ipsius dormiuit. Tiburtinis, qui graniter eum offenderant, interficiendo inclytum suum

Ducem

Digitized by Google

Ducem Matholinum nomine, non solùm pepercit, sed & crudeli homicidæ per matris interceſſionem libertatem donauit. Reuerſus in Germaniam oſſa Caroli Magni, magna pietate Aquisgrani decentiori loco collocauit. Iterum in Italiam reuerſus, in Caſſinenſi Abbatia S. Benedicti aliquot diebus commoratus, duas Sancto illi donauit argenteas coronas, teſte Leone Oſtienſi. Quo tempore cùm Beneuenti eſſet, Sancto Hereberto amico ſuo electo Archiepiſcopo Colonienſi, inueſtituram dedit aliquot fœudorum, quæ Imperij munificentia Eccleſia illa poſſidet, illi congratulatus, & ſalutaria precatus; ex Ruperto Abba. Tuit.

28 Quàm verò munificus, & liberalis fuerit cum Eccleſiaſticis, & Monachorum Cœnobijs, alijſque Eccleſijs, lõgũ eſſet dicere. Sit vnum exemplum de priuilegijs, & bonis Eccleſiæ Vercellenſi donatis; extat eiuſdem Imperatoris Diploma integrè ex autographo deſcriptum à Baronio ad annum 999. ſequentis tenoris: *Et vt ceteri promptiores ad obſequium noſtrum conſurgant, liberalitas noſtri Imperij pro Dei, & Sancti Euſebij amore donauit pradicto Leoni, omnibuſque ſuis ſucceſſoribus in perpetuũ totum Comitatum Vercellenſem integrum, cum omnibus publicis pertinentijs, & totum Comitatum, quem dicunt S. Agatæ, in perpetuum, cum omnibus Caſtellis, Villis, Piſcationibus, venationibus, Syluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumue decurſibus, & cum omnibus publicis pertinentijs, cum mercatis, cum omnibus telonijs, cum omnibus publicis functionibus, vt demota omnium hominum omni contrarietate, tam Leo Sanctæ Vercellenſis Sedis Epiſcopus, quàm & Succeſſores ad honorem Dei Omnipotentis, & ad reuerentiam Sancti Euſebij Magnifici Epiſcopi, inuicti contra Hereſiarchas meritis, &c. quia omnem poteſtatem, & omne dominium publicum, quod ad nos inde pertinuit, in poteſtatem, & dominium Sanctæ Vercellenſis Eccleſiæ, & Leonis noſtri Epiſcopi, & omnium ſucceſſorum dedimus, largiti ſumus, & omnino conceſſimus in perpetuum*, &c. O ſi hæc cõſideraret præſens Sereniſſimus Dux Saxoniæ, forſan huius Imperatoris extimulatus exemplo, quæ ſui rapuerunt Eccleſijs bona, reſtitueret, & ſua munificentia noua adijceret.

Diploma concessionis, & donationis facto ab Octone III. Eccleſiæ Vercellenſi.

29 Idem Imperator Otto 3. audiens de Martyrio Adelberti Pragenſis Epiſcopi, quo familiari in viuis vſus fuerat, deque translato ſacro corpore illius in Gneſnenſem Eccleſiam, vbi innumeris miraculis claruit, magno amore, & ardenti deuotione inflammatus, orationis cauſa, ex Italia in Poloniam ad illius ſepulturam feſtinat; & vt Ditmarus lib. 4. refert, *Videns à longè vrbem (Gneſnam) deſideratam, nudis pedibus ſuppliciter aduenit, & ab Epiſcopo eiuſdem, Vngero, venerabiliter ſuſceptus, in Eccleſiam introducitur, & ad Chriſti gratiam ſibi impetrãdam Martyris interceſſionem profuſis lachrymis deprecatur*: & poſt pauca: *Factoque ibi Altari, ſanctas in eo honorificè reliquias condidit.*

30 Quid tandem Catholico, ac pientiſſimo Imperatori euenerit triſte, audiamus ex Friſing. Vrſperg. & Sigonio in Ottone 3. Dum is eſſet in florida ætate annorum 29. vel 30. die 28. Ianuarij anno 1001. Vidua relicta Creſcentij, quem Otto ob Schiſma præcipitari fecit, necis viri ſui vltrix, muliebri aſtutia, dum Imperator in Germaniam redire feſtinat, Chirothecas affabrè factas, ſed veneno funeſtiſſimo tinctas, magnũ ſimulans erga Ottonem amorem, Ottoni dono dedit, quarum vſu, & contactu expirauit. Corpus in Germaniam delatum, honorificentiſſimè S. Hẽricus eius ſucceſſor, Aquisgrani ſepeliuit.

31 Ottone 3. pientiſſimo, ac Catholi-

tholico Imperatori, succeſſit Sanctiſſimus Imperator Henricus, filius Hērici *Hezelonis*, Nepotis Hērici *Rixoſi* qui fuit frater Ottonis 1. Imperatoris, & pronepos Henrici *Aucupis*. Sanctus Henricus ergo, electus eſt Rex Romanorum Anno Chriſti 1002. & poſt annos 12. vt ait Vrſperg. & *Albertus* Stadenſis, anno 1013. vel. 1014. à Summo Romano Pontifice Benedicto *VIII.* Romæ coronatus eſt. Huius Sancti viri bellorū præclara geſta prætereo, pietatis, & ſanctitatis virtutes ex Adelbodo Epiſcopo Vltraiectino, & alijs, ea qua poſſum breuitate percurrā.

32 Hic S. Imperator Hēricus, totus fuit in Catholicæ fidei propagatione intētus. Suo miniſterio Regnū Vngariæ ad gremium S. Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, perducitur: quo autem medio id egerit, & hic tranſcribam ex Ottone Friſin. Chron. lib. 6. cap. 27. Deſpondit Stephano (qui poſtea in Catalogo Sanctorum relatus eſt) Hungarorum Regi Giſalam ſororem ſuam in vxorem, iuſta Canones Eccleſiæ, ſi ipſe ſe Catholicæ Romanæ Religioni imbuendum traderet, (iuxtà ſtatuta par. 2. decret. Cauſa 14. q. 1. cap. 15. 16.) Quid autem Rex Stephanus? is (vt narrat Conrad. Vſper. ad annum 1001.) nō ſolùm ſe ſtatim erudiendum Myſterijs fidei tradidit, ſed & in diſciplina Chriſti poſtea adeo profecit, vt poſt fata Diuis, & cœleſtibus Regibus Rex connumerari meruerit, qui interris totum quoque Regnū ſuum, Regum Regi Chriſto, illiuſque in terris Vicario, Romano Pontifici, in temporalibus & ſpiritualibus ſubmittit, ac proprium fecit. Hoc teſtatum facit Papa Gregorius *VII.* lib. 2. epiſt. 13. quæ eſt ad Salomonem Hungariæ Regem, vbi ſic ait: *Gregorius Seruus Seruorum Dei, Salomoni Regi Hungarorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Litteræ tuæ ad nos tardè propter moram nuntij tui allatæ ſunt, quas quidem multò benignius manus noſtra ſuſcepiſſet, ſi tua in cauſa conditio non adeo B. Petrum offendiſſet. Nam ſicut à maioribus patriæ tuæ cognoſcere potes, Regnum Hungariæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ proprium eſt, à Rege Stephano olim B. Petro cum omni iure, & poteſtate ſua oblatum, & deuotè traditum. Propterea Henricus piæ memoriæ Imperator, ad honorem S. Petri Regnum illud expugnans, victo Rege, & facta victoria, ad corpus B. Petri lanceam, coronamque tranſmiſit, & pro gloria triumphi ſui illuc Regni direxit inſignia, quò principatum dignitatis eius attinere cognouit, &c. Verū, ſi hæc emendare, & vitam tuam (vt decet Regem) inſtituere, & Deo miſerante adornare volueris, proculdubio dilectionem S. Romanæ Eccleſiæ, ſicut Matris dilectus filius, & noſtram in Chriſto amicitiam bene habere poteris. Datum Romæ 5. Kalend. Nouembris, Indictione 13. anno 1703.*

Stephanus Vngariæ Rex fidem Catholicam ſuſcipit, Regnumque ſuum Rom. Pont. ſubmittit.

33 At redeamus ad Cardinem cauſæ. Sanctus iſte Imperator Henricus, omnes ſuos conatus adhibuit in infidelium conuerſione ad fidem Catholicam, quare Græcos Schiſmaticos, & Saracenos, quos ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ trahere nequiuerat, ex Apulia, & Calabria expulit. Epiſcopatum Merburgēſe, ob inſperatam victoriam ab Ottone magno ex inimico longè potentiori reportātā ex voto Sancto Laurentio Martyri erectum; ab Ottone II. ob vnionē cum Magdeburgēſi deſtructum, Henricus inſtauratū, & dotatum reſtituit. Eccleſias immani Slauonorum depopulatione vaſtatas, Hildesheimenſem, Miſnēſem, Magdeburgenſem &c. reparauit. Bambergenſem à fundamentis erexit, ampliſſimiſque redditibus ditauit, ex Ottone Fring. lib. 6. cap. 27. Contracto in Chron. anni 1007. De eius Sanctitate quid dicam? vnū narro omnibus admirandum; cum enim

Digitized by Google

enim tandem Sanctiſſimus Imperator ſentiret extremum ſibi diem imminere, accerſitis Coniugis ſuæ parentibus, & nonnullis Regni Proceribus. Imperatricem dextera apprehenſam, parentibus reſtituit, his verbis: *Hanc mihi*, inquiens, *à vobis, imò à Chriſto Domino traditam, eidem, & vobis Virginem reſtituo immaculatam.* Beato ſic fine in Domino obdormiuit Bambergæ anno 1024. die 13. Iulij, ætatis ſuæ 55. & S. Cunigunda ſecuta eſt ſponſum, anno 1033. Videatur Lābertus in Chro. anni 1024. Quid ad hæc Lutherani? Quid Caluiniſtę, qui dicitis, Virginitatem impoſſibilem eſſe ſeruatu? ſic dementaſtis Dominos, & plebes. Vtinam tandem Deo illuſtrante reſipiſcant!

34 Scio Sereniſſime Princeps Elector, & Dux Saxoniæ, quòd ames iuſtitiam. Cur igitur tę, non potius Ottoni Magno Mesburgenſis Epiſcopatus fundatori, & S. Henrico reſtauratori, Heroibus pietate optimis ſimilem facis, reddendo *quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo?* Cōſidera maiorum tuorum prudentiā, in retinenda auita illa vera Religione, quæ ſola eſt portus ſalutis; & te iunge Catholicorum Cœtui, in ſinu Sanctæ Matris Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Romanæ, extra quam, (ſicut diluuij tempore, extra Noemi arcam) nulla ſalus homini, ſpes nulla ſalutis.

35 At tempus eſt, vt Catholicam Genealogiam, ex filio ſecundogenito Vuitikindi 1. per rectam lineam deducamus ſemper Catholicam, ſemper Apoſtolicam, ſemper Romanam nunquam interruptam vſque ad Federicum 3. inclitum Saxoniæ Ducem, qui Lutheri faſcino à Catholica, & auita tot Herouum, ac Conſanguineorum Maiorum fide diſceſſit.

Linea Ducū Saxoniæ ducta à Vitikindo 2. ſecundo genito Vuitikindi I.

36 Quòd ſi ad poſteritatem Sereniſſimorum Dominorum Saxoniæ, ex Vuitikindo II. ſecundogenito Vuitikindi 1. progenitam, oculos direxeris Sereniſſime Dux, ad huc eximia virtutum ſpecimina, fidei Catholicæ zelum teſtantia, ac eiuſdem Catholicæ Religionis illibatæ obſeruantiæ, ac deuotionis exempla non deſunt, quibus extimulatus Celſitudinis tuæ animus, ad auitam maiorum tuorum fidem Catholicam amplexandam, & obedientiam Summo Pontifici Romano exhibendam incaleſcat.

37 Igitur Vuitikindus II. tres filios genuit, ſcilicet, Dietgremum, à quo Celſitudo tua glorioſam originem trahit, Eridericum, & Vuitikindum III. à quo Hugo prouenit Capetus, multorum Principum, Regum, & Imperatorum progenitor. Conſulatur Petrus Albinus in Miſnicis Chronicis fol. 497. 498. & 499.

38 Hæc linea, non minus quàm linea Vuigberti primogeniti Vuitikindo I. extitit glorioſa. Ex Dietgramo filio Vuitikindi II. & Ditmaro nepote, ortus eſt Chriſtianus, verè Chriſti diſcipulus, ex quo prodijt præfatorum Dominorum abnepos Gero ille Archiepiſcopus Coloniēſis, qui fidei Catholicæ zelo, Religione, pietate norma factus Præſulum, inſignia poſteris reliquit virtutum exempla. Hic ipſe Gero, (vt narrat Ditmarus illorum temporum Scriptor lib. 2. Chron.) communi Populi, ac cleri conſenſu anno 969. non abſque miraculoſa Dei cooperatione electus Archiepiſcopus Coloniēſis, dum eius electio Ottoni 1. Imperatori diſpliceret, ac propterea inueſtituram quod bona Imperij feudalia, non tàm differebat, quàm detrectabat, ab Angelo viſibiliter ei apparente in Sanctæ Dominicæ Reſurrectionis diæ, diſtrictum in manu gladium habente, minis hiſce territus fuit. *Niſi in Gerone hodie compleueris electionem, ſecurus non euades hanc cædem.* Quare, Imperator territus, ad nutum paruit mandato Altiſſi-

Digitized by Google

tissimi, imò & postea Geronem agnatum suum, maximo complexus est amore. Contigit & alia visio (vt narrat idem Ditmarus Episcopus Mersburgensis qui ijsdem temporibus vixit, lib.2.Chron.) in consecratione Gironis, relatu digna, in qua apparuerunt Sanctus Petrus, & Sanctus Ambrosius, oleum fundentes, quo vngeretur.

39 Hic miræ probitatis Antistes Gero, præfuit Ecclesiæ suæ, magnæ animi mansuetudine, & pietate, sæpè in deuotione extra se raptus, inque Deum intentus, (vt narrat idē Scriptor lib.3.) animæ deliquium passus est. Meritò itaque B. memoriæ Gero Catholicæ Religionis Pastor, & Doctor, suo adhuc exemplo inclitæ gentis suæ Saxoniæ Principes instruit dè via salutis, quibus Deus misericors, ex propria familia donauit tàm illustres Ecclesiæ, & Regni sui Proceres, quos consanguinea eorum posteritas altiùs reuereri, & proprius imitari deberent.

40 Proximè Geroni vixit Hugo, Marchio Brandeburgensis, filius Bruniconis (qui ab Ottone 3. Augusto primus in Marchionem Brandeburgensem inuestitus fuit anno 965. & Vuitikindi 2. ex filio Dietgremo Atnepos, supremus Ottonis in Hetruria militiæ Præfectus. Hugo iste, tanta erga Catholicam Romanam Religionem pietate flagrabat, vt multis in locis, proprijs expensis septem fundauit Religiosorum Monasteria. Otium, Heros dignissimus ità fugit, & detestatus est, vt ociosos, si potuisset, omnes à mundo pepulisset. Mortus est Florentiæ anno 1001. sepultusque est in Monasterio à se extructo, multisque opibus religiosè ditato. Videatur Petrus Cudsemius in Saxon. fol. 179.

41 Anno 1013. Albertus eiusdē familiæ, & Henrici 3. Imperatoris consanguineus, electus est Episcopus Bremensis, qui ab eodem Henrico Frisiæ Comitatu donatus est. Albertus iste doctrina, & vita præclarus eam, qua ipse incessit Catholicæ fidei semitam, posteris suis cōsanguineis poterit commostrare. Extruxit in suæ Catholicæ pietatis monumētum Monasterium Gozecēse, priuilegijsque donauit. Episcopos, Romani Pontificis auctoritate, ordinauit viginti, quos conuertendas gentes Aquilonares ad fidem Catholicam misit. Obijt Gloslariæ, 21. Martij anno 1073. & in defuncti ipsius thesauris præter libros, & Reliquias Sanctorum nihil inuentum est. Sepultus est Bremæ. Videatur idem Cudsemius ibid. fol. 180.

42 Accedunt duo alij, eiusdem ferè temporis, eiusdemque inclitæ familiæ Ducum Saxoniæ Episcopi, qui virtutum, ac Catholicæ pietatis laude floruere; Primus est Fridericus Episcopus Monasterienſis, filius Dieterici 2. Marchionis Landsbergensis, qui Ecclesiam Sancti Martini, vbi sepultus esi, condidit; & pro fide Catholica propaganda multum insudauit. Secundus est Guntherus eiusdem Friderici Fratruelis, Episcoscopus Naumburgensis. Mortui sūt anno 1093. non tamen eadem diæ. Hi duo Ecclesiæ Præsules cum viuerent, facti norma gregis sibi commissi, Posteris consanguineis suis, eam, quam docuerunt Catholicam fidem, voluerunt esse commēdatā.

43 Conradus Magnus, cognominatus Pius, filius Thimonis Dieterici II. prædicti nepotis. Is Conradus, ob maximas suas virtutes, fuit primus ab Imperatore Lothario II. inuestitus Misniæ Marchio anno 1126. Huius in Catholica fide pietas adeo fuit admiranda, vt viduus posteà inuestiretur inter Fratres laicos Monachus in Cœnobio Laubergiano, quod ipse proprijs impēsis, & liberalissimè dotauit, in quo mortalem hanc vitam finiuit die 5.

Fe-

Digitized by Google

Februarij. 1156. Huius Conradi pij proles fuit numerosa, æquè ac pia; nam, eius Primogenitus filius Otto Marchio Misniæ, Cœnobia fundauit duo, vnum in Turingia, quod Portam vocant, alterum Veterem cellam ad Muldam in Syluosis vallibus vbi fuit sepultus, anno 1189. Secundogenitus, fuit Theodoricus 3. Marchio Landsdergæ & Lusatiæ, qui non absimili pietate fundauit Monasterium Dobralucæ ad Elstrum nigrum, cuius filius eiusdem nominis Theodoricus, fuit insignis Christianæ, ac Catholicæ pietatis exemplar, & Episcopus Mersburgensis, qui apud Scriptores nomen habet viri pij, & docti. Tertius genitus, fuit Hermānus Episcopus Bambergensis, qui singulari pietate instructus, oues sibi commissas per semitas æquitatis direxit ad Christum. Filiæ quoque eiusdem Conradi religiosissimæ: Berta, ob suas Christianas virtutes, fuit Abbatissa Gerbsteti; Gertrudis, post obitum mariti Hermanni Principis Palatini ad Rhenum, Cœnobium Sancti Theodori Bambergæ suis elæemosynis extruxit, in quo vidua Deo, ac cœlestium meditationibus vacans, reliquum suæ vitæ pensum absoluit; Odamonialis, & post obitum sororis Abbatissa Gerbsteti; Agnes etiam probissimæ vitæ monialis Abbatissa Quedliburgi; duæ aliæ in Sancto coniugio diem obierunt.

44 Ex Ottone Conradi prædicti primogenito, natus est Theodoricus IV; & ex hoc progenitus est Henricus ob res gestas dictus *illustris*. Is contra Prutenos non dum ad fidem Christianam conuersos, felicia gessit pro Catholica Ecclesia, & Imperio bella anno 1237; & Christiana qua pollebat pietate, extruxit Monasterium Cellæ nouæ in Lusatia. Obijt Dresdæ 25. Febr. anno 1287. Trigamus, plures reliquit filios, sed vnum ex Constantia Austriaca, Leopoldi filia, coniuge prima, insignem pietate, Sapientia, & iustitia Principem Theodoricum *Va* vulgo *Sapientem* dictum qui condidit Cœnobium Vueissenfeldense Cranzius in Metropol. Saxoniæ.

45 Eiusdem Conradi Magni, ex filio Dedone, & nepote Conrado proneptis fuit *Agnes*, quæ Bertoldo IV. Duci Moraviæ nupta, peperit Sanctum Hedwigem; itemque Gertrudem, Matrem Sanctæ Elisabethæ.

46 Ex Henrico prædicto natus est Albertus; ex Alberto Fridericus Fortis, ex Friderico Forti, natus est Fridericus Grauis Lādgrauius Thuringiæ Marchio Mistiæ &c. qui habuit vxorē Mechtildē filiam Regis Ludouici Bauari: ex quo fælici cōiugio natus est Sigismundus Administrator Episcopatus Mersburgensis; Ludouicus Antistes Magdeburgensis; & Halberstadēsis duo Catholicæ fidei pugiles, qui Religionē Catholicam totis viribus, toroque conatu, propagarunt; & Fridericus dictus *strenus*, qui multiplici sua virtute, fuit in maxima apud omnes auctoritate. obijt 26. Maij an. 1380; relictis ex Catharina coniuge tres filijs, Friderico, Vuilhelmo (qui fūdauit Ecclesiam Collegiatam Sancti Georgij Aldeburgi) & Giorgio, qui Clericorum, ac Iustitiæ *Amantis* nomen obtinuit.

47 Ex huius primogenito Friderico natus est alius Fridericus dictus *Bellicosus*, Martis & Artis cultor, singularisque literarum Mæcenas, qui ex ruinis Academiæ Pragensis, quā vastarunt seditiosi tunc nascentium Hæreticorum tumultus, fabricauit suam Lipsensem; atque ita, Catholicæ pietati, musis exultantibus, nouū aperuit Lipsiæ domicilium die 12. Nouembris anno 1409. Contra factionem Coniuratorum, qui se *Stellares* nominabant, ductu Friderici

Digitized by Google

Burggrauij Norimbergensis militauit in Francia, cum Conrado Ordinis Teutonici Magistro, pro nominis Christi propagatione in Borussia. Hic ob egregia Christianarum virtutum specimina in fide propaganda edita, ob militarem gloriam, & ob fidele auxilium præstitum Sigismundo Imperatori, primus auitum Saxoniæ Ducum titulum, qui passim ad alienas familias peruaserat, ad legitimos hæredes reuocauit: dignitatem quoque Electoratus titulo annexam, ab eodem Imperatore familiæ suæ (Deo Catholicæ fidei propagatori assuente) acquisiuit anno 1423. die 6. Februarij. Is naturæ debitum persoluit die 4. Ianu. Anno 1428. Multæ fuerunt huius Principis virtutes, in quibus semper eluxit pietas, & zelus promouēdi Catholicam fidem, & Pacem: Dignus quem hodierni Saxoniæ inclyti Duces sui posteri, Prouinciarum, & dignitatis hæredes, progenitorem ac benefactorem suum in fidei Catholicæ propagatione imitentur. Faxit Deus votis meis, vt ita tandem fiat.

Friderico Bellicoso restituitur Ducatus Saxoniæ qui ab obitu Saxonicorum Imperatorū ad alienas familias trāsieras.

48 Ex Friderico Bellicoso, progenitus est Fridericus II. cognomēto *Placidus*; Sigismundus Episcopus Herbipolensis, & Administrator Mersburgensis; Guilhelmus, qui cū magna laude Alberto II. Austriaco Imperatori militauit contra Bohemos, à quo ob res fæliciter gestas, Ducatum Lucelburgensem in fœudum accepit, quem tamen quinquēnio post Carolus Audax Dux Burgundiæ actu occupauit suoque ære redemit. Vinariæ Cœnobium proprijs expensis in suæ Christianę pietatis monumentū extruxit. Ibiq; sepultus est anno 1483. Igitur Fridericus II. dictus Placidus primogenitus dicti Friderici Bellicosi vere mitis, & Pacificus, Christi exemplo, *qui mitis est, & humilis corde*, didicit, bella, & contentiones quātum potuit, deuitare: Memorabile est, (vt narrat Cudsemius vbi sup. fol. 187. initio) quod cum aliquando incidisset in litem, & bellum cum Friderico Archiepiscopo Magdeburgensi, & per exploratores cognouisset, piū Præsulem causam suam commisisse Deo, qui pro ipso pugnaret, fertur dixisse: *Alius insaniat, vt bellum inferat ei, qui confidit se Deum defensorem habiturum.* Nouenos tulit ex cōiuge Margarota Austriaca, Friderici 3. Imperatoris sorore liberos, è quibus Ernestus, & Albertus soli maturuerunt, qui in Catholica pietate enutriti, coniuncta opera, Ecclesiam Cathedralem Misnensem, in qua diuinæ laudes peculiari exēplo noctes dieśque decantarentur, mirum in modum ditarunt, exornarunt, ac perfecerunt.

Catholici Ducis Saxoniæ pium dictum.

49 Ernestus Princeps optimus, in Christiana pietate, & Electorali dignitate maioribus suis succedens, virtutibus Christianis, bonitate naturæ, ingenij prudentia, morum grauitate, magnam sibi apud omnes conciliauit auctoritatem, vnde meruit communi omnium elogio vocari, *Pater Patriæ, & pietatis corona.*

50 Ernesto, successit filius eius Fridericus 3. à mentis sagacitate, dictus, *Sapiens*, Academiæ Vuittembergensis fundator. At is, in infœlix illorum malignorum temporum exordium incidit, qui Lutheri nænijs dementatus, in auitæ Catholicæ Fidei inclitæ Domus Saxoniæ propudium, excucullato Apostatæ adhæsit, & à tot Imperatorum, Regum, Principum, ac Ducum, laudatorumque suorum maiorum fide, Religione, ac pietate defecit; nouam doctrinam Patribus incognitam, ab Ecclesia anathematizatam amplexus. Hunc, Supremus Pontifex Romanus Leo X, à Luthero discedere, & auitam Maiorum suorum Apostolicam doctrinam retinere monuit, hoc eodem, quo nos argumē-

Fridericus 3. primus ex Ducibus Saxoniæ à Catholica fide defecit.

to

to Celsitudinem tuam recogitare, præcamur, ab exemplo Maiorum ducto, quod in generosis pectoribus mirificam habet vim, & efficaciam ad incendendum animum ad incedendum per Maiorum semitas, & non deflectendum ab eis: De quo Pontifice loquens Ioannes Sleidanus Lutheri Symmista in Principio histor. suæ, sic ait: *Eodem die (23. Augusti 1518.) ad Fridericum Saxoniæ Principem, qui tùm erat Augustæ scribit: Inter alia Saxoniæ Domus ornamenta, proprium hoc illi semper fuisse, quòd Religionis esset obseruantissima: nō esse igitur verisimile, quemquam eius familiæ sic à suis degenerasse Maioribus, vt illum qui de Religione Christiana minus benè sentiat, protegere velit, & patrocinio suo iuuare.* Itē idem pietissimus Pater Patrum Leo X, in alia epist. 6. Iulij Anno 1520. ad litteras Friderici, quibus se à Lutherica labe, & hæresi purgabat, vt refert idem Sleidanus Lutheranus, hæc respondit: *Nimirū hoc ita decere ipsū, eiusque totam familiam, quæ magnum semper honorem Ecclesiæ Romanæ detulerit;* quem etiam paulò post, aurea Rosa singularis beneuolentiæ causa donauit. At incautus Princeps, Lutheri facetijs dementatus, Maiorum pietate, ac Religione posthabita, errori inhæsit, secumque Ioānem fratrem, Henricum patruelem, eorumque filios, prauo suo exemplo in Lutheri errores induxit ac traxit. Sed præ lachrymis quid dicam vlterius?

51 Hic sisto, hic quiesco, orans humillimè, & supplicans Serenitati tuæ, vt à suis clarissimis, prudentissimis, Catholicisque Maioribus potius, quàm ab Apostatis, & impostoribus Luthero, & similibus, de veræ, ac Catholicæ fidei veritate patiatur erudiri. Nec Celsitudo tua, studium hoc meum, alio interpretur animo, quàm à me magno sui amore, & honore susceptum est, ad Gloriā Dei, Decus Domus Saxonicæ, & salutem tuam, tecumque errantium per eum promouendam. Et sicubi humanæ fragilitate in historiarum circumstantijs, aut particularitatibus rerū, & personarum, ipse erraui, qui error præiudicium aliquod parere possit, Clementissimè mihi condonari peto. Laboris mei mercedem non exigo, nec donum expecto, neque premium spero, sed cum Sancto Nilo Ottoni 3. Imperatori, (parato dare quodcumque peteret) tuæ Celsitudini dicam: *Nil aliud peto ab Imperio, præter salutem animæ tuæ.* Deus misericordiarum pijs annuat votis, vt in exultatione spiritus, liceat cum Regio Propheta dicere: *Conuenerunt Principes coniuncti psallentibus* in Ecclesia Catholica *benedicentes Domino de fontibus Israel.*

Deo sit laus, potestas, & Imperium. Beatæ Mariæ Virgini, B. Thom. Aquin., & omnibus Sanctis honor, & gloria Amen.

Omnia subijcio correctioni S. Matris Ecclesiæ Caholicæ Romanæ, quæ est Columna, Firmamentum, & Domicilium Veritatis.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

RERVM LIBRI SECVNDI SECVNDAE PARTIS:

Primus numerus folium, secundus numerum indicat.

A

Adequata fidei Regula est Verbum Dei tùm Scriptum, tùm Traditum, fol. 2. post initium.

Adæ sepultura in Caluario, non est solidæ veritatis, 33. n. 139.

Adorationis nomine, quid veniat, 67. n. 23. med. & fine.

Angelus figuratiuè loquitur cum Tobia, 79. n. 34. Ad abigendam Tobiæ cœcitatem adhibet fumum iecoris exusti, & quare? 80. n. 41. Quomodo dicatur filius Azariæ, ibid. n. 35.

Apostoli memoriam defunctorum in Missa fieri sanxerunt, 14. n. 18.

Apostolicum munus in quo cõsistat, 120. n. 24.

Argumentum pluries à protestantibus repetitum, ex doctrina Protestantium soluitur, 90. n. 45. seq. Argumentum retorquetur contrà Caluinum, & Lutherum, 247. n. 61. Argumẽtum Spalatensis à diuisiuo ad collectiuum, nihil concludit, 251 n. 85. Retorquetur aliud eiusdem Argumentum, 294. n. 27.

Assiriorum Reges omnes dicebantur Nabucdonosores, sicut Cæsares Romanorum, 73. n. 28.

S. Augustinus à Caluino celebratur, 93. n. 18. Deprauatè adducitur à Caluino, 94. n. 19.

B

Baruch Liber Canonicus. Vide verbo; Liber. Fuit secundùm aliquos, amanuensis Hieremiæ, 69. n. 36. Verius fuit Auctor illius libri, ibid. n. 37.

Baptismus Paulinistarum quare iteratus? 248. n. 66.

Bellarmini, & aliorum sententia de Libro Sapientiæ, 84. n. 15. Bellarminus ab impostura, Lectij Protestantis vindicatur, 67. n. 25. 26.

Bel, & Draco interfectus in Libro Danielis, est historia Canonica, 104. n. 38.

Bezæ deceptio in historia Mulieris adulteræ, 142. n. 4.

C

Caluinus Concionem exigit in baptismo Paruulorũ, fol. 21. n. 69. Quinque cæremonias requirit in eo, ibid. n. 72. Sibi contrarius, 66. n. 23. post med. Vide verbo: Protestantes.

Canon quid significet, 55. n. 2 Quotupliciter Canon accipiatur, ibid. Quo modo Scripturæ Sac. Libri dicantur Canonici, 56. nu. 2. seq. Canon Scripturæ antiquum, ab initio Ecclesiæ stabilitus, 57. n. 10. Ostenditur hoc ex Pontificibus, ibid. n. 12. seq. Ex Concilijs ibid. n. 14. Ex Patribus, 58. n. 16. ex Protestantibus 59. n. 20. seq.

Canon Scripturæ à S. P. Augustino descriptus, 58. n. 18. Ab Alcimo, 59. n. 19. Canon Tridentinus, idem ac antiquus, 61. 32. Canonici Libri, vide Libri. Quid sit Papam, & Concilium Librum Canonicum facere, 76. n. 13.

Caput, non est membrum ex D. Tho. 281. n. 95. Per quid distinguatur à membris, ibid. Eius officium, ibid.

Cæremoniæ Baptismi ex Traditione, 12. n. 24. Cæremoniæ Ecclesiasticæ, ieiunia, &c. vade oritum habent, 52. n. 27.

Christus nihil scripsit de fidei mysterijs, sed omnia oretenus tradidit, 18. n. 59.

Christi ætas dum moritur edicitur, & contraria sententia reijcitur, 33. n. 138.

Christus cur loquebatur in parabolis 169. n. 25.

Christiani in primitiua Ecclesia, Nouum Testamentum secum deferebant, 145. n. 9.

Concilia generalia ex Traditione definierunt res fidei 41. 18. Non sunt absolutè necessaria ad hunc finem, 238. n. 8. Sed vt suauiùs res fidei, & morum definiantur, ibid. Sunt vtilia, ex multis capitibus, 239 n. 11. Diuersimodè eius decreta conduntur, ibid. n. 12. & 13 Approbata à Papa, Inconcussam habent auctoritatem in rebus fidei, & morum, 238. n. 8. Concilium quando dicatur absolutum 240. n. 13. Quomodo non possit errare, ibid. Expressus consensus Pontificis, Decretis tribuit firmitatem ibid. Legatorum institutio. 239. n. 12. fol. 240. n. 15. Eorum inconcussa auctoritas ostenditur ex Scripturis ibid. n. 16. seq. Ex Pontificibus, 242. n. 19. seq. Ex PP. 244. n. 35. seq. Ex Rationibus 245. Ex Protestantibus ibid. n. 47. Eorum Decreta vim obtinent ex approbatione Papæ 268. n. 17. seq.

Concilij Tridentini, & similium Decreta non sunt in examen adducenda, 255. nu. 6. Id ostenditur ex Scriptura ibid. n. 6. & 7. seq. Ex Pontificibus, 256. n. 9. seq. Ex Concilijs, 257. n. 14. Ex PP. ibid. n. 15. seq. Ratione, 258. n. 21. seq. Ex Protestantibus, 259. n. 23. seq.

Concilium Generale, non est supra Pontificem 267. n. 13. Hoc demonstratur ex Scripturis promiscuè contra Protestantes, & quosdam Catholicos, 265. & 266. Per quid horum sententia differat, ibid. n. 4. seq. Aduersus vtrosque Veritas Catholica iterũ ex Scripturis ostenditur 271. n. 25. seq. Ex Pontifici-

Digitized by Google

tificibus, 274. n. 42. seq. Ex Concilijs, ibid. n. 47. seq. Ratione, 277. n. 60. Ex incommodis, 278. n. 63. Ex Protestantibus, ibid. n. 65. seq.
Conciliorum conuocandorum auctoritas, soli Rom. Pontifici conuenit, 299. n. 7. Ex huius legitimæ conuocationis defectu, Concilia vim non obtinent, ibid. n. 7. Ex Diuina institutione auctoritas hæc conuocatiua, est soli Papæ commissa, ibid. Hoc ostenditur ex Scriptura 130. n. 1. seq. Ex Pontificibus, 302. n. 16. seq. Ex Concilijs, 304. n. 29. seq. Ex Imperatoribus. 311. n. 56. Ex Rationibus, 312. n. 1. Ex Protestantibus, 313. num. 65.
Concilia omnia generalia hactenus celebrata; à quibus Pontificibus sint indicta. 314. n. 68. seq. & fi. 305. n. 30. seq.
Concilij Constantiensis Decretum ab omnibus Patribus eiusdem Concilij reprobatur 285. n. 45. Respexit tempus Schismatis, ac Pontifices Schismaticos, & factiosos 296. num. 2.
Concilium Nicænum 1. & Neocesarienſe, nõ damnat secundas nuptias, vt prætendunt Protestantes, 250. n. 75.
Corruptio locorum Sac. Scripturæ, vnde sit orta, 46. n. 9.
Curia vnde dicta, 332. n. 55.
Considerratio ad Seren. Regem Angliæ ex omnium suorum Regum predecessorum exemplis educta. 389. seq.
Consideratio ad Seren. Ducem Saxoniæ, ex Genealogia prædecessorum suorum nunquam interrupta, semper Catholica Romam patriatim delineata 396.

D

Daniel fuit Sanctus Dei Propheta, fol. 101. n. 6. Caput 13. & 14. Libri Danielis sunt in Canone recensita, 102. n. 9; Probatur hoc ex auctoritate Pontificum Rom. ibid. seq; ex Concilijs, ibid. n. 11; ex PP. n. 14. seq: ex Rationibus, 105. n. 45. Ex Protestantibus, ibid. n. 46. seq: Inter Satrapas Regni annumeratur, & quomodo 107. n. 53. Eiusdem ætas, quando Susannam liberauit, ibid. n. 58. Bis fuit in lacu Leonum, diuersis temporibus, 108. n. 62.
Deprauatio Verbi Dei Scripti, Protestantibus familiaris, 195. initio, & n. 1. Deprauant textum Scripturæ per Additionem, ibid. n. 2. Per Detractionem, 196. n. 5. seq. Per Inuersionem textus, ibid. n. 7. Mutando verba textus, ibid. n. 8. seq.
Diei Dominicæ obseruatio ab Apostolis instituta, 13. n. 28.
Dionysius Areopag. auctor Cœlestis Hierarchiæ contra Protestantes, 13. n. 26.
Dubia fidei, ante definitionem Ecclesiæ possunt pro vtraque parte substineri, non post, 61. num. 28.
Dydimi antiqui Scriptoris deceptio, 135. num. 16.

E

Ecclesiæ nomine, venit Prælatus, 280. num. 90.
Ecclesiastici Liber, verè Canonicus, 87. n. 6.
Epistola B. Pauli ad Hebræos, Canonica est & Diuina, 121. n. 3. Euincitur hoc ex Scriptura ibid. Ex Pontificibus, ibid. n. 6; Ex Concilijs, 122. n. 7. Ex PP. n. 8. seq. Ex Protestantibus, 123. n. 20. Hec Epistola fuit hebraicè scripta, & in Græcum translata à Clemente Papa, vel Luca Euangelista, 124. num. 24.
Epistola D. Iacobi Apostoli Canonica est & Diuina, 128. n. 3. patet ex Pontificibus ibid. Ex Concilijs ibid. n. 6. Ex testimonijs Protestantium, 129. num. 11.
Epistola 2. D. Petri inter Canonicas recensetur, 133. num. 3. Ex Pontificibus ibid. seq: Ex Concilijs, 134. n. 7. Ex PP. ibid. n. 8. seq. Ex Ratione ibid. n. 10; ex Protestantibus, 135. num. 11.
Epistola Iudæ Apostoli Diuina est & Canonica ex Pontificibus. 136. num. 3. Ex Concilijs, ibid. n. 4; Ex PP. ibid, n. 5. seq: Ex Protestantibus, 137. n. 14.
Epistola 2. & 3. Ioannis Euangelistæ in Canone recensentur, 138. n. 3. Ex Pontificibus, & Concilijs, ibidem; Ex PP. ibid. n. 4. ex Protestantibus ibid. n. 9. seq;
Ester septem postrema Capita, inter Canonicas Scripturas annumerat Ecclesia, 110. n. 3. Probatur ex Pontificibus ibid. & seq; Ex Concilijs ibid. n. 4. Ex PP. 111. n. 8. seq. Ex Praxi Ecclesiæ, 112. n. 13; Ex Protestantibus, ibid. n. 14.
Exequiæ cum cantu Psalmorum antiquæ 81. num. 7.

F

Fel valet ad sanandum oculorum albuginẽ, fol. 80. n. 42.
Fide tenendum est hunc numero hominem esse verum Pontificem, Christi D. N. Vicarium, 252. n. 93.
Fidei causæ non ab Imperatoribus, & Regibus Laicis, sed à Pontifice discutiendæ sunt, & examinandæ, 331. n. 48. seq. & 334. n. 63. seq.

H

Historia Sudoris Sanguinei Christi Saluatoris Luc. cap. 22. Mulieris adulteræ Ioann. 8. & vltimum Caput Marci Euangelistæ in Sacro Canone recensentur, 140. n. 3. Ex Concilijs, Pontificibus, & Protestantibus ostenditur, 140. n. 4. seq. Historia Mulieris Adulteræ in Græcis, & Latinis Codicibus scripta, 142. n. 2.
Hymnus trium Puerorum Canonicus est, 103. n. 22. seq.

I

Imperator intra, non supra Ecclesiam est, fol. 297. n. 1. Diuinam in se vltionem sentiunt, dum Eccleſiæ iura inuadunt, ibid. med.

Digitized by Google

Ministerialitèr, in Fidei, & Papæ obsequiũ, Concilia conuocant, 299. n. 7. Eorum consensus quare expetitus à Papa? 300. n.8. In Conciliorum conuocatione, distinguendum est Ius à facto, ibid. n.9. Imperatores, & Reges tanquam filij se Pontifici submiserunt. 378.n. 1.seq. vsque ad fol. 388.

Ingeniti nomen ex Traditione contra Arianos, 14.n.36.

Ipterpretatio Scripturæ Sacræ non est omniũ, nec ad cuiusque priuatum Spiritum pertinet, 179.n.5. Id ostenditur ex Scriptura ibid. seq. ex PP. 180.n.10.seq. Ratione, 181.n.18. 19.ex Protestantibus, 182.n.21.seq. Hoc Ius interpretandi tantùm ad Ecclesiam pertinet auctoritatiuè, 187. n. 6. Soli Concilio, vel Pontifici reseruatur, ibid. n.7. Hoc patet ex Scripturis ibid.n.8. seq. Ex perpetua Ecclesiæ praxi, 188.n.14. Ex Conciliis, 189. n.15. Ex PP. ibid.n.16.seq. Ratione, 190.n.20. Ex Protestantibus, ibid.n.21. seq. Interpretationes falsas Scripturis adhibent Protestantes, vt suos errores defendant, 201. n.11. Interpretatio Protestantium falsa de Verbis Baptismi, 199.n.2.& fol. 220. n. 11. Verborum Cœnæ, ibid.n.3 & fol.201. n.12. De Fide, 200.n.3.& fol.201.n. 13. De Clauibus, ibid. n.6. De Operibus, 202. n. 14. De Peccatis, ibid.n.15. De Iustificatione, ibid.n. 16. De Cœlibatu, 203. n. 17. Interpretantur falsò loca Scripturæ, rem veram significantia, pro Re apparenti, 203.n.1.seq.

Ioannes Apostolus, & non alius Ioannes (vt asserunt Protestantes) fuit auctor lib. Apocalypsis, 118. n. 14. Ipse etiam fuit Auctor Epistolæ Canonicæ, & non Ioannes Presbyter, 139. n. 12. Duo Ioannes recensentur Ephesi, ibid.n.13.

Iudas Apostolus Epistolam suam scripsit post alios Apostolos, 137.n. 16.

Iudith Liber Canonicus, vide verbo: Liber.

Iudicia criminalia, & ciuilia Clericorum penes Pontificem, & Episcopos, 330. n.37. seq.

Iudæorum Rex, & Populus ter ductus sunt in captiuitatem à Nabucdonosor, 97. n.37.

Iunij Caluinistæ cauillus contra librum Sapientiæ diluitur, 83.n.22.seq.

Iurium Ecclesiasticorum, & Laicorum distinctio, 332.n.50.

Ius Gentium iuri Diuino subditur, 351. n.61.

L

Laicocephalia Anglicana est merum commentum. Vide Regis Angliæ Primatus. Laicocephali malè de Ecclesia sentiunt, 333. n.58. Laicocephalia reprobatur ex Scripturis, 354.n.73. Ex Caluino, Scriptura, & exẽplis caret, 355. nu. 75. Apertè confutatur, 362.n.26.

Latina æditio Scripturæ, Græca antiquior ex Hieronymo fol.145. n. 7.

Lectius Caluinista, calumniam Bellarmino affricat, 67.n.24. Innocentia Bellarmini ostenditur, ibid.n.25.26.

Lectioni Scripturarum Oratio adijcienda, 168. n. 20.

Leonis Papæ Epistola quo modo fuit examinata à PP Concil. Chalcedonensis, 280.n.88.

Liberius Papa tyrannicè & cont. omne Ius ab Imperatore deponitur, 28.n.86.

Libri Apochriphi qui sint, 62.n.34. seq. Libri Hagiographi qui sint 75.n.3 Qui libri ante annos 30. ætatis non legebantur, 169.n.31.

Liber Baruch Canonicus, probatur ex auctoritate Romanorum Pontificum, 63. n. 5. seq. ex Conciliis, 64.n.8.seq. x PP. n.12.seq. ex Protestantibus, 66.n.22.

Liber Iudith est Canonicus, fol.70.n.4. ex Põtificibus, ibid.ex Conciliis, 7 .n.6. 7. ex PP. ibid.n.8.seq. ex Protestantibus, 72.n. 18.seq.

Liber Tobiæ in Canone recensetur, 76. n.6. ex Pontificibus, ibid.seq ex Cõciis, ibid. n.11. ex PP. 77.n.15 ex Protestantibus, 78. n.21.

Liber Sapientiæ Salomonis Canonicus est, 81. n.6. Ostenditur hoc ex Scripturis ibid. ex Pontificibus, ibid. n.7. seq. ex Conciliis, 82. n.12.seq.ex PP.ibid.n.15.seq.ex Protestantibus, 84.n 26. Hunc Librum magni faciebant Iudæi ante mortem Christi Domini, non post, & quare? 85. n.30.

Liber Ecclesiastici inter Canonicos annumeratur, 87.n.6.ex Scriptura, ibid.ex Põtificibus, ibid.n.7. seq.ex Conciliis, 88.n. 19. seq. ex PP.ibid. n.21. seq. ex Protestantibus, 89. n.33.seq.

Libri 1. & 2. Machabæorum Diuini sunt & Canonici 92. n. 5. Ex Pontificibus ibi. & seq. Ex Conciliis ibid. n. 9; Ex PP. 9. n. 10; ex Protestantibus 94. n. 20. seq.

Liber Apocalypsis Canonicus ostenditur ex Pontificibus 116. n. 3. seq: ex Conciis ibid. n. 4; ex PP. 16. n. 6. seq. Ration, 117. n. 8; ex Protestantibus ibid. n. 9. se.

Linguæ septuaginta in toto Orbe numerantur 145. n. 6; Tribus tantum linguis Nouum & Vetus Testamentum editum est, ibid. E lingua Hebraica & Chaldaica orta est lingua Syriaca, & quomodo? ibidem.

Lutherus in paruulis baptizatis, fidem actualem comminiscitur 21. n. 70; Sine Traditione non potest defendere perpetuam B. M. Virginis Virginitatẽ, quam asserit 22.n.75. Vide verbo: Protestantes.

M

Macedoniani nolebant dicere: *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto.* fol.42. num. 31.

Machabeorum libri. Vide: Libri. In Græcum ex Hebraico translati 145. n. 6. fin.

Melchiadis Papæ iudicium, cur iudicatum? 279. n. 83.

Missio triplex 361. n. 23; Quæ missio non arguit superioritatẽ in mittente? ibid. Petrus quomodo missus ab Apostolis? ibid.

Moyses Sacerdos contra Okam 326. n. 22.

Digitized by Google

N

NAbuchodonosor interpretatur plantus, 74. num. 29.
Nomina prè ab Ecclesia excogitata respuunt Protestantes 260. n. 31, Eadem recipiunt ibid. num. 32.

O

OBseruantiæ quædam Ecclesiæ Catholicæ non illaqueant, sed in libertatem animas redigunt, 53. n. 31.
Orare contra Misericordem, quid sit? 91. nu. 49. seq.
Origenes, ex facto Danielis probat B. Mariæ Virginitatem. 103. n. 15.

P

PApa Romanus solus, absque Concilio, potest res fidei definire, 270. n. 23. Id ostenditur ex praxi continua Ecclesiæ, ibid. Non potest Papa constituere supra se iudicem, 275. n. 53. Papalis potestatis sublimitas, est de Iure Diuino, 276. n. 55. Papa à solo Deo iudicatur ibid. n. 54. Hoc agnoscunt Imperatores ibid. n. 56. Papa in ratione Potestatis, est tota Ecclesia virtualiter, 283. n. 102. Est supra Concilium, vide Concilium generale. In casu Metaphisico hæresis nec amittit auctoritatem Capitis 287. n. 123. est phisicè impossibile quòd Papa à fide deficiat ibid. n. 122. Data tamen hypotesi, quòd in hæresim incidat, a Deo solo exauctoratur, ibid. Quid si paratus sit corrigi? statuitur contra Bellarminum 288. n. 125. seq. Si sit deponendus, deponitur à Deo: declaratur tamen ab Ecclesia, & quare? 288. n. 128. seq. Papalis dignitas dubia, & ignorata, Concilij Generalis declarationi subijcitur 295. n. 29. Quo modo Papa teneatur credere ea, quæ sunt à Concilio Generali definita, ibid. n. 31.
Pappus Protestans cum suis, Canonem Scripturæ recipit, fol. 60. n. 25.
Patres in Concilio, sunt discipuli, non magistri Summi Pontificis, 276. n. 57. Eorum sensus ante Ecclesiæ decretum, non facit rè de fide, esto temeritatis notam incurrant cõtradicentes. 187. n. 6.
Patrum Ord. Prædicatorum constantia pro defensione auctoritatis Romani Pontificis, 264. n. 1. seq. Ioanni Baptistæ similes (cuius Pater mutus efficitur) honores oblatos respuunt pro tuenda veritate, & auctoritate Pontificia, ibid.
Paschæ Solemnitas statuta, contra Aerium, 14. num. 47.
Petro, & non Ecclesiæ dictum est, *Pasce Oues*, 293. n. 23.
Pestilis nomine, non solum Prouincia, sed totum Regnum venit, 96. n. 35.
Piscis captus à Tobia non est fabula, vt putant Protestantes 78. n. 22. Piscis Callionymi fel, cicatrices sanat, 81. n. 42.
Philo Iudæus non fuit auctor Libri Sapientiæ contra Protestantes. Et quare? 85. n. 34.
Potestas Ecclesiastica solis Sacerdotibus collata non Principibus Laicis, 326. n. 25. seq. Vide: Laicocephalia, & Regis Angliæ Primatus.
Principes Ecclesiastici, & Laici debent inter se familiaritatẽ Christianam seruare 301. n. 10.
Promissio Diuina de inerrabilitate, excludit permissionem errandi in Pontifice, & Cõcilio legitimo, 241. n. 24.
Prohibitio de re quæ non est intrinsecè mala, 247. n. 63.
Prophetæ secundùm se poterant errare, non verò vt à Spiritu Sancto directi. 246. n. 58.
Prophetiæ quatuor species, 108 n. 59. 60.
Protestantes suis Principijs illaqueantur, fol. 19. n. 63. seq. Cum Hæreticis antiquis conspirant negando Traditiones, 42. n. 30. Agnoscunt in Ecclesia potestatem condendi Canonem, 62. n. 32. Quare reijciant librum Baruch Prophetæ, 65 n. 12. Quare non recipiãt librum Iudith, 75. n. 38. Apud eos, nulla versio Scripturæ stabilis, 147. n. 10. Eorum vulgares æditiones sicut & latinæ quæ, & quot, ibid. n. 11. A quibus sint factæ, ibid n. 12. seq. Versiones suas inuicem damnant, 157. n. 1. seq. & fol. 160. n. 21. seq. Earumdem varietas, 159. n. 8. seq. Paganorum, & Ethnicorum more Scripturas interpretantur, 159. n. 19. seq. Deprauant Verbum Dei Scriptum, 195. seq. Vide verbo: Deprauatio. Asserunt, Papistas nullum Scripturæ locum pro se habere vt sua Dogmata firment, 265. n. 2. Dicunt se, omnia sua ex Scripturis habere, 206. n. 2. Contrarium asserunt, dum dicunt se contradicere Scripturis in Materia de Deo 206. n. 5. Quòd scilicet velit peccatum ibid. Præcipiat peccatum ibid. n. 8. Non odisse peccãtes, 207. n. 9. Quòd nolit omnes homines saluos fieri ibid, n. 14. Quòd non vocet omnes, 208. n. 17. Dicunt, se, contradicere Scripturis in materia de Christo, scilicet, quòd eius humanitas nec adoranda sit, nec inuocanda, 208. n. 20. Quòd non viuificet, 209. n. 23. Christum non condidisse Nouum Testamẽtum, ibid. 26. non redemisse mundum sua morte corporea, 210. n. 29. Non esse mortuum pro damnatis ibid. n. 32. Non esse mortuum pro omnibus, 211. n. 35. Eius Sacratissimum Sanguinem computruisse 211. n. 38. Negant Christi animam descendisse ad inferos, contra Scripturas. 212. n. 41. Dicunt nõ esse ingressum ianuis clausis ad discipulos ibid. n. 44. Non intercedere apud Patrem pro nobis, 213. n. 49.
Protestantes dicunt se contradicere Scripturis, dum asserunt omnes Sanctos esse æquales in gloria. 213. n. 50. Eosdem in Cœlo non orare pro nobis. 214. n. 53. Sac. Scripturam non esse obscurã 114. n. 55. Quod Lex sit contraria Euangelio ibid. n. 58.
Protestantes dicunt se Scripturis contradicere in materia de Fundamento Ecclesiæ Petro.

Digitized by Google

215. n. 61. De Apostolis 216. n. 64. Dum negant Apostolicam successionem ibid. n. 67. Ecclesiæ perpetuitatem 217. n. 70. Visibilitatem ibid. n. 73. Innerrabilitatem. 218. n. 76. Dum negant, Aquam, & Inuocationem SS. Trinitatis esse in Baptismo necessariam ibid. n. 79. Baptismi necessitatem, 219. n. 82. 84. post med. esse lauacrum Animæ 220. n. 87. Quòd Eucharistia sit Corpus Christi 221. n. 90. Dicunt quod contradicunt Scrip. dum falsò exponunt consecrationis verba 222. n. 93. Dum dicunt Christum nobis non dedisse suum verum Corpus. 223. n. 96. Calicē Eucharistiæ non esse nouum Testamentum ibid. n. 99. Dum negant, Matrimonium esse Sacramentum ibid. n. 102. Dum dicunt Fidē amitti per quodlibet peccatum mortale, 224. n. 105. Dum negant bona opera esse ad salutem necessaria 225. n. 110. Actum fidei esse actum virtutis 224. n. 107. Bona opera esse causam salutis æternæ 226. n. 113. Esse meritoria ibid. n. 116. Quòd sint facienda propter Deum 227. n. 119. Virginitatem consuli in Scriptura ibid. n. 122. Dicunt se, contradicere Scripturis, dum asserunt, gratiā posse manere simul cum peccato mortali ibid. n. 125. Peccatum mortale non deijcere hominem à gratia 228 n. 128. Iustitiam semel habitam non amitti ibid. n. 131. Dum negant, vitam æternam esse mercedem 229. n. 134. Infernum esse locum ibid. n. 137. Nobis esse orandum pro nostra salute, 230. n. 140. Volūtatem nostram esse liberam ibid. n. 143. Orandum pro mortuis 231. n. 146. Dicunt se contradicere Scripturis in omni ferè materia inter nos, & eos controuersa, 231. nu. 147. seq.

Protestantes, ad totius impietatis compendiū, dicunt se nec ipsi Deo credere, 235. n. 11. Eorum astutia detegitur 254.

Protestantes, impiè, Sac. Concilij Tridentini decreta in examen adducunt ibid. n. 2.

R

RAges Ciuitas Mediæ, distincta ab alia Ciuitate Rages fol. 79. n. 28.

Regia dignitas, quando incepit, 3 4. n. 19; Regia potestas, ad Ecclesiæ præsidium data 318. n. 86. fine, Ab Ecclesiastica distincta 377. n. 7.

Rex Laicus habet Supremam potestatem ciuilem, cui subditi tenentur in conscientia obedire 323. Eius potestas est à Deo, & quomodo? 323. n. 12. & seq: & fol. 324. n. 20. seq: Non est ab illo immediatè, sed per interiectum ius Gentium ibid. n. 20. Et fol. 325. eodem num. Est Sacerdotali, & Spirituali inferior; cùm illa sit corporalis, ciuilis, & politica ibid. n. 21.

Nec Reges, nec Principes fuerunt in Lege Euangelica per annos fermè 300. à Christo, fol. 326. n. 23.

Rex Angliæ, dū se facit Ecclesiæ Caput, Caput amittit 297. ante finem; Primatum Ecclesiasticum sibi vsurpat 322. Primatum Elizabetha Regina propagat ibid. n. 9. Iacobus Rex Angliæ propugnat ibid. n. 40. Impugnatur eius Primatus, seu Laicocephalia Anglicana ex meris placitis eiusdem Regis 324. n. 17. seq. Impugnatur etiam ex Scripturis 326. n. 25. Ex Pontificibus 330. n. 37. seq; Ex Conciliis 332. n. 54. seq. Ex PP. 339. n. 2. seq: Ex testimonio Imperatorum Laicorum. 346. n. 34. seq. Rationibus 351. n. 58. seq: Ex Protestantibus 353. n. 65. seq: Elizabethæ Reginæ Angliæ Regimen, mera ira Dei fuit ex testimonio Protestantium Anglorum 354. Henrici 8. Laicocephalia & Primatus damnatur à Caluino 353. n. 68. 69. & 70. Laicocephalium seu Primatum laicalem Regis, sacrilegium appellat 355. n. 75. Rex ipse Iacobus, factis ac dictis Laicocephaliam & suum Primatū damnat, 355. n. 77. Illum, multis rationibus refutat Gilboy Protestās Anglus ibid. n. 78. Sic & alij Protestantes DD. Angli 354. n. 71. 72. 73. 74. & fol. 356. n. 79. seq: Soluuntur Argumenta Regis Angliæ & DD. Laicocephalorum 357. n. 2. seq:

Regi Angliæ Consideratio omnium suorum maiorum exponitur 389. seq: vsque ad fol. 395.

Regnum Christi mille annorum post iudicium Vniuersale, est fabulosum, 33. n. 140.

Regulæ generales pro solutione multorum argumentorū ex auctoritate PP. 30 n. 122. seq:

Romanorum Pontificum iussu Sac. Scriptura à mendis purgatur, 148. n. 14.

S

SAcrificium iussit Iudas Machabæus offerri pro mortuis, ex antiqua Patrum Traditione, fol. 98. n. 44. seq; Illud Sanctè, & Religiosè celebratum est, contra Protestantes. 98. num. 47.

Sacramentorum numerus ex Traditione, 40. num. 10.

Salomon quomodo dicatur templum edificasse, Ostias obtulisse, &c. 263. n. 32. seq:

Saxoniæ Ducum Serenissima genealogia semper Catholica vsque ad Fridericum 3. Exponitur, 396. seq: vsque ad finem.

Scriptura Sacra, Mari assimilatur, 169. n. 30. Omnibus est clara in se, non quo ad nos 173. n. 50; ex ipsa sola, incerta victoria in Disputationibus ex Tertulliano, 15. num. 40. Eius finis, quis nam sit? 31. 129. Eiusdem sensus ex Traditione venandus 40. n. 15. Scripturæ Sacræ libri Canonici; vide Verbo: Libri. Scripturæ libri antequam apponerentur in Canone, erant Canonici in se, 60. n. 27. Ecclesia facit eos autenticos quo ad nos, quod erat tale secundum se, 253. num. 35. Scriptura multoties sumit præteritum pro futuro, 79. num. 32.

Scripturarum interpretes, quare non omnes eodem

Digitized by Google

eodem modo eadem ſcripturæ verba citant? 154.n. 38.
Scripturæ Sacræ ſenſus quot & qui ſint, 164. n. 7. Senſus Literalis exponitur 165. n. 7. med; Myſticus, ibid. n. 8; Allegoricus ibid. n.9. Anagogicus ibid. Moralis, 166. n.9. fin. Diuiditur ſenſus Allegoricus iuxta numerum trium Virtutum Theologalium, & quare? 165. n. 9.
Scripturæ Sacræ obſcuritas, 164. n.6. Oſtenditur ex eadem Scriptura, 166. n. 10. ſeq: Ex PP. 167. n. 17. ſeq. Ex Diuina Prouidentia, 170. n. 35. Ex Proteſtantibus 171. n. 36. ſeq. Cur Scriptura ſit obſcura 168. n. 19. Obſcura eſt ad vtilitatem ibid. n. 22. Obſcuritas hæc vnde orta? 169. n. 26.
Scripturæ interpretatio. Vide Verbo: Interpretatio.
Scripturæ verba Proteſtantes non recipiunt, 232. n. 2. 3. Obuium Scripturæ ſenſum in controuerſiã vocant ibid. n. 4. Verba Script. ex profeſſo dicta de vna re, in aliam rem transferunt, 233. n. 5. Chriſti mentem non colligunt ex eius Verbis in Scriptura relatis ibid. n. 6. Scripturam Scommatibus impetunt 234. n. 8. Tandem Scripturam reijciunt, ibid. n. 9. 10.
Ad Scripturæ examen omnia redigunt Lutherus & Caluinus, 260. n. 31.
Spiritus Sanctus eaſdem prorſus ſententias diuerſis Prophetis inſpirauit, 131. n. 30.
Sorbonæ Schola ab impoſtura Spalatenſis vindicatur, 239. Spalatenſis doctrinam execratur & damnat, 291. n. 9. ſeq:
Styli diuerſitas, non diuerſificat auctorem. 119. num. 22. & fol. 135. n. 13.
Suſannæ hiſtoria Canonica eſt 102. n. 140. ſeq:

T

TObiæ liber Canonicus, vide verbo: Liber
Traditione Sacra reiecta, oriuntur hæreſes fol. 1. & fol. 16. n. 49. Traditionũ neceſſitas, 39. n. 8. & fol. 44. n. 38. ex Proteſtantibus. Eiuſdem definitio, 3. n. 1. Diuiſio, ibid. n. 2. Definitionis, & diuiſionis bonitas oſtenditur 4. n. 12. ſeq. ex Proteſtantibus, 5. n. 13. ſeq. Earumdem triplex genus, 3. n. 4. ſeq. & fol. 51. n. 17. Quæ ſit Traditio Diuina, quæ Apoſtolica, & quæ Eccleſiaſtica, 4. nu. 8. ſeq. Præter Verbum Scriptum neceſſario exigitur Verbum Traditum, 8. n. 6. Habet Traditio infallibilem auctoritatem ibid. n. 7. Oſtenditur hoc ex Scripturis, 8. n. 7. ſeq. ex Pontificibus 10. n. 13. ſeq. ex Concilijs ibid. n. 17. ſeq. ex PP. 12. n. 23. ex Rationibus 17. n. 56. ex Proteſtantibus, 19. n. 63. ſeq. Habet æqualẽ auctoritatem cũ Verbo Scripto, 14. n. 34. & fol. 34. n. 4. ex Traditione ſola, multa habentur ad ſalutem neceſſaria contra Proteſtantes, 16. n. 46. Symbolum Apoſtolorum, ibid. n. 50. Aliæ continent Chriſti ſtatuta, aliæ Apoſtolorum, 17. n. 54. neceſſariò ſunt obſeruandæ ibid. Sola Traditione fides conſeruata antequam vetus Teſtamentum eſſet Scriptum, 17. n. 56. ſicut antequam ſcriberetur Euangelium 18. n. 57. Si non extaret Sac. Scriptura, ſola Traditio ſufficeret, 35. n. 6. Ex ipſa ſola conſtat hoc eſſe Euangelium Matthæi, Marci, &c. 18. nu. 60. Traditiones coactè recipiunt Proteſtantes, & quas? ibid. n. 62. Earum neceſſitas ex Proteſtantibus euincitur 19. n. 65. ſeq. Traditio vana, damnatur in Scripturis, 32. n. 133. Traditiones Sacras nunquam interituras, declaratur exemplo, 32. nu. 135. Quæ Traditiones ſint recipiendæ, quæ reſpuẽdæ, 33. n. 137. Traditiones habere æqualem auctoritatem cum Verbo Dei Scripto, patet ex Scriptura, 34. n. 4. & fol. 35. n. 5. ex PP. ibid. n. 6. ſeq. Ratione, ibid. n. 12 ex Proteſtantibus, 36. n. 13. Quare aliquando Theologi primum locum tribuunt Scripturæ, ſecundum Traditionibus? 38. n. 22. 23.
Traditionum vſus neceſſarius ad confirmationem fidei, mores, & cultum promouendum 39. n. 5. Hoc oſtenditur ex Praxi antiquæ Eccleſiæ ibid. ſeq. ex Pontificibus, 40. n. 13. ſeq. ex Concilijs 41. n. 19. ex PP. 41. n. 22. ſeq. Ratione, 43. n. 34. ex Proteſtantibus ibid. n. 39. ſeq.
Traditiones Eccleſiaſticæ in eo neuſſam habent auctoritatem, 48. n. 6. Quid veniat nomine Eccleſiaſticæ Traditionis ibid. Quod habeant inconcuſſam auctoritatẽ probatur ex Scriptura ibid. n. 7. ſeq. ex PP. 49. n. 8. Ratione, ibid. n. 11. ex Proteſtantibus n. 1[illegible]. ſeq.
Traditionum clypeo ſua defendunt Catholici, 10. n. 17. Arium, Neſtorium, Eutychetem, Macedonium, &c. ex ſola Sacra Traditione damnantur, 11. n. 18. ſeq.

V

VEtus Teſtamentum ante Hieronymum ex Græco in Latinum translatum, fol. 147. n. 9. ante fin.
Vitæ puritas neceſſaria pro intelligentia Scripturarum, 168. n. 21. 22.
Vigilius Papa quare noluit tribus Capitulis ſubſcribere, 285. n. 112.

ERRATA

Digitized by Google

ERRATA SIC CORRIGE.

Fol.	Col.	Linea		
4	2	38	tuum	tuam
6	2	6	ſtabilita	ſtabilita
		7	variabilia	variabilia
	2	41	Eccleſiaſticæ	Eccleſiaſticæ
11	1	48	hec	hæc
		3	Veneta	Veneta
	2	14	cuſtodia	cuſtodia
15	2	33	Corypheum	Corypheum
20	1	45	perſuadeat	perſuadeat
	2	18	Traditione	Traditione
29	1	50	decipientem	decipientem
40	2	4	Scripturarum	Scripturarum
42	2	24	Eccleſiaſticarum	Eccleſiaſticarum
47	1	35	expoſitam	expoſitam
	2	23	omine	omine
48	2	28	ſunt recepta	ſunt recepta
54		12	etſi	etſi
68	2	20	exſibilamus	exſibilamus
70	1	27	eoſdem	eoſdem
74	1	20	determinatè	determinatè
83	2	23	ſapientiæ	ſapientiæ
84	2	16	Patrum	Patrum
85	1	26	Catholici	Catholici
91	2	26	cap. 18.	cap. 18.
94	1	25	locum	locum
97	2	27	Hieremia hortãte	Hieremia hortãte
107	1	44	iuxtà	iuxtà
108	2	43	ambulauit	ambulauit
113	2	30	Mardochæo	Mardochæo
119	2	32	ſtili	ſtili
130	1	46	interciſus	interciſus
133	1	4	Theologicarum	Theologicarum
144		8	Scripturarum	Scripturarum
148	2	2	amabò	amabò
153	2	9	obtinuit	obtinuit
160	2	14	Oecolampadij	Oecolampadij
163	2	34	fideli	fideli
171	1	28	Cathedras	Cathedras
		32	quereliæ	quereliæ
174	2	13	benè	benè
176	2	40	ſuperuenienti	ſuperuenienti
178	1	4	pandantur	pandantur
		15	mare eſt	mare eſt
178	1	43	aliud	aliud
180	1	3	ſpiritum	ſpiritum
180	1	21	aliud	aliud
180	2	26	ingẽnij	ingẽnij
182	1	24	medicæ	medicæ
184	1	23	diſparitas	diſparitas
185	1	1	alijs	alijs
	2	15	illuſtrante	illuſtrante
191	1	1	Sutcliffus	Sutcliffus
		1	impreſſionis	impreſſionis
	2	17	diſcernere	diſcernere
194	2	12	quippecui	quippecui
	1	40	Pontificijs	Pontificijs
195	2	1	quos	quos
200	1	44	anima	anima
203	2	3	charè	charè
218	1	38	Sacramentis	Sacramentis
224	1	8	nullus	nullus
232	2	35	contra	contra
238	2	2	vittus	vittus
249	1	3	Occidentales	Occidentales
		21	Orientalium	Orientalium
252	2	42	proportionabiliter	proportionabiliter
272	1	35	dicerent	dicerent
277	2	25	cuius	cuius
278	1	40	&	&
280	1	27	Romanam	Romanam
286	2	7	nos	nos
lin. 18.			reſtiterint	reſtiterint
287	2	13	influxum	influxum
297		39	culmina	culmina
305	1	18	præſtitit	præſtitit
325	1	9	coniunctam	coniunctam
326	2	4	Regis	Regis
331	1	2	Epiſcopi	Epiſcopi
333	1	29	In Concilio Calced. 3. celebrato	In Concilio Calced. 3. celebrato
	2	43	In Cõcilio Rom. 3. celebrato	In Cõcilio Rom. 3. celebrato
336	2	13	Imperator	Imperator
337	2	47	vel	vel
347	1	18	alijs	alijs
349	1	13	Honorius	Honorius
349	1	37	iure	iure
350	1	24	inunguntur	inunguntur
	2	23	ſuſpicerent	ſuſpicerent
351	2	1	non	non
352	2	15	Iudicij	Iudicij
354	2	25	vſurpatum	vſurpatum
358	1	31	Eat	Eat
	1	47	ignoratis	ignoratis
	2	25	ceteri	ceteri
359	1	50	poteſtatem	poteſtatem
	2	20	violator	violator
360	1	37	obtinerent	obtinerent
361	1	11	euertunt	euertunt
378	2	17	edita	edita
388	2	13	parat	parat
392	2	36	vſurpas	vſurpas
		48	teneor	teneor
396		8	vſque	vſque
		9	diligentia	diligentia
397	1	45	ſecundogenito	ſecundogenito
ibid.	2	22	inungi	inungi
ibid.	2	27	temporibus	temporibus
398	1	27	ſic	ſic
403	2	40	penitens	penitens
	2	50	&	&
404	1	13	commendatus	commendatus
405	2	50	Ottoni	Ottoni

DEMENDA.

27	2	28	punctum & virgulam	punctum & virgulam
328	1	24	que	que
329	2	3	tantùm	tantùm
333	2	47	ſed	ſed
336	2	15	ſibi	ſibi
344	2	25	tum	tum
352	1	34	virgula poſt: in fideles, deme punctum, & virgulam	
53	2	44	autem	
368	1	24		

ADDENDA.

9	1	16	tibi: adde: virgulam	
47	2	1	multorum: adde virgulam	
		44	fideles: adde: punctum, & virgulam	
53	2	33	vtrumque: adde: enim	
113	2	17	peruenit: adde: humana natura	
127	1	42	&: adde: lumen quod	
176	2		ad ly ſpiritum: adde: ſibi	
ibid.		49	poſt ly, cap. 3. adde: fol. 341. & alij. Hoc aduerſari Scripturæ, oſtendimus ſupra Inſtr. 3. & patet amplius, tum ex illo Petri cap. 3. v. 16. omnique: adde: ea	
214	1	37	Conſtantinum	
237	2	17	collatam vſurpãt:	
344	2	49	virgula	
352	1	43	precisè: adde: ſed	
368	2	20	principali: adde:	
375	1	42	poteſtate	
376	1		poſſit: adde: ſed	

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google